SIMONIS STAROVOLSCI

BREVIARIVM IVRIS PONTIFICII

In vsum simplicium Parochorum

LIBRIS SEPTEM

Simpliciter collectum.



ROMAE

Sumptibus Io. Baptistæ, & Iosephi Corbi Bibliopolarum.

Ex Typographia Francisci Monetæ. MDCLIIII.

Superiorum Permissu.


INSTYTUT
OSSOLINSKIEGO.

REVERENDO VIRO

D. CAZIMIRO PROCZYNSKI

PAROCHO IVANOVICENSI.

AMICO EX ASSE.

SIMON STAROVOLSCIVS Vtramque Salutem.



ELICI ſanè omine, Cazimire Ornatiſsime; Magnus ille Zamoſcius (cuius elucent in Sarmatia noſtra virtutes eximiæ, nomen verò æternis conſignatum, atque impreſsum ingenij monumentis, per Orbem terrarum fama diſsipauit) vrbem veſtram, à ſuo nomine Zamoſcium appellatam, & in ea florentiſsimam Academiam condidit. Vnde centenario annorum ab origine nondum expleto, tot iam centuriæ virorum ingenio, doctrina, pietate, prudentia, militariq; laude conſpicuorum prodiere; qui, non obſcuras tantùm Ruſsiæ noſtræ oras, in qua iam pridem; poſt emiſſos il-

los Sarmatas, Bulgaros, Vandalos, Hunnos, Vsos, Gothos, atque Longobardos.

Abstulerat claros indigna obliuio ciues,
Raraq; nominibus fama superstes erat.

Sed vniuersum ferè Orbem Polonum, & scriptis doctissimis, & rebus pro patria, pace, ac bello præclarè gestis, egregiè illustrarunt. Quos inter, cum Te etiam Cazimire Amantissime, felix illud ac fertile solùm, insignem ingenij dotibus virum protulisset, Academiaque illa summis humaniorum literarum apicibus informasset, decorasset laurea Alma Vniuersitas Cracouiensis. Non abs re fore putaui, si Breuiarium Iuris Pontificij, quod Simplicium Parochorum vsui confeci, Tibi, inter mille amplissimæ illius Diœcesis Cracouiensis Curatos, Parocho haud postremo, amico verò meo charissimo, ac veluti nouo Pyladæ, dicarem & offerrem, Tibi, inquam, cui & priscæ honestatis cura præcipua est, & veterum doctrinarum arcana quæque patent, & in omni disciplinarum colore, formaque non limatum tantùm, sed lynceum iudicium adest. Literatorum verò amor tantus, vt omissis, quomodo alios liberaliter iuua-

iuũare ſoleas, tenuioribusq; ſtudioſis beneface-re conſueſti, vel ipſam quam non rogatus me-diocritati meę vltrò munificentiam, dum in Italiam pergerem exhibuiſti, diligentius perpẽ-dens, palam pronunciare non dubitem. Vnum te eſſe, cui, ſi facultas daretur, voluntas etiam eſſet fugientes literas à ſitu, atque ab interitu vindicandi.


Cæterùm, cum ea ſit Superum voluntas, vt cum ferentibus Fatis feramur, & ea quæ deſti-nata è cœlo eſt ſorte ſimus contenti: poſtquam in Paſtorali officio hoc quod geris, triplici iſto radio reſplendeas luculenter, virtutis, doctrinæ, humanitatis: non eſt quod Prælationes ambi-gas, aut honores in Eccleſia: tui nominis mè-moria, nunquam fœda occidui temporis obli-uione teretur, ſed proprio honeſtatis ſplendore coruſcante, luminoſius per redeuntia ſæcula reuiuiſcet omni poſteritatis curriculo vene-randa. Hæc ſiquidem tua in diuinis exacta ſacrorum & religionis cura; hæc aſſidua deco-ris domus Domini ſolicitudo & amor; hæc in-defeſſa circa commiſſum tibi gregem vigilan-tia; hoc inconcuſſum in vindicandis ab impijs

deten-

detentoribus Ecclesiæ tuæ bonis animi robur; hæc denique in vniuersę vitæ curriculo morũ æqualitas & constantia; pręstabunt sufficienter, in quo te pia posteritas veneretur, & colat. Nos verò qui te nunc nouimus, qui tua constanti amicitia fruimur, quique te procliuem videmus virtutis studio in Religionem, doctrinæ in iustitiam, humanitatis in Musam; plenissimo affectu, liberisque votis rependemus amorem humanitati, venerationem doctrinæ, cultum virtuti. Interim excipe hæc, quæ in Breuiarium retulimus Sacratioris Iuris effata, eodem affectu quo me ipsum, quo omnia mea excipere consuesti. Cumq; ea reliquis etiam, qui precum Breuiarium asiduę manibus terunt, pari ratione, qua & ipse, reuoluenda commendaueris, hanc sinceram animi mei propensionem in te, nouo beneuolentiæ calore foue, & in ęternum vale, decus Mystarum singulare.

CANDIDO, AC INGENVO

LECTORI.





VIA post Deum & Religionem, maius non est vinculum, aut quod dissoluere causa vlla humana valeat, quam Patrij amor soli. CANDIDE LECTOR: Idcirco illud mihi semper propositum fuit ac constitutum, vt post defensam, patrio sermone, Catholicã Religionem, qualiquali stilo, pro posse meo, eorum res gestas non tam laudatione, quam narratione percurrerem, quos Sarmatia nostra vniuerso terrarum Orbi, vel Sanctitate, vel singulari eruditione colendos, vel egregijs virtutibus admirandos, vel insigni armorum gloria timendos, vel denique præcipuarum dignitatum luce spectandos dedit. Atque ita Sanctorum nonnullorum indigetum vitas, Scriptorum insigniorum præconia, Clarissimorum Oratorum laudes, fortissimorumq. Sarmatiæ bellatorũ elogia quorum iam memoria, vel iniuria temporum, vel incuria historiographorum penè interierat, specialibus libellis protuli, & ab interitu vindicaui. Viuunt siquidem nomina Heroum, consumptis etiam corporibus, Scriptorum industria ad memoriam prolata: & cum qualemqualem præconem virtus inuenit, elucet honestissimè, & ad sui amorem imitationemq. allicit, cum alios quosuis, tum tribulos maximè, ac de sanguine descendentes. Si verò caret encomiaste literato, aut delitescit in tenebris obliuionis, aut penitus extinguitur barbarie. Quod ædepol cum maioribus nostris factum est, antequam Poloni luce Euangelij, & litterarum splendore imbuti fuissemus. Nec satis diuinare poterimus; quid à Lecho primo Imperij Sarmatici fundatore

tore, siue bello & armis, siue togę studijs pacatisq. artibus, vsque ad tempora Miecislai primi Christiani Principis in Polonia gestum fuerit; nisi ex Scriptoribus aligenarum gentium, qui Gothos ex nobis profectos, Vandalosq. describendo, nonnullam maiorum nostrorum mentionem fecerunt. Qui alias rudes tunc temporis, & barbari quamuis, nominis attamen æternitatem tanti æstimauerunt semper, vt eam & summis laboribus, & ingentibus periculis, & ipso sanguine, ac vita sibi comparandam præclarum esse duxerint: prout & diuersis ex Historicis, & ex ipso cognomine gentis colligere poterimus. Slouianie siquidem (quorum Poloni pars pręcipua sumus) propria vocis significatione, homines gloriam armis quærentes intelliguntur, & Polanie, in campo aperto aciem, seu victoriam obtinentes. Sed quia non armis tantum & bello, verumetiam mitioribus studijs & virtute immortalitas paratur: multosque claræ opes euexerunt ad decus, & honestas; multis mœchanicæ etiam artes diligêntius tractatæ claritudinem decreuere, nonnullis pax togaq. gloriæ fuit. Cæteros lingua, ac literæ adeo commendarunt posteritati, vt obliuioni superiores, liuidæ iam vetustatis iniurias non pertimescant; maximè quos Ecclesiastica munera, & sanctitas morum astris iam intulerũt. Eapropter Polonam iuuentutem (cui dudum Bellonæ præcepta, militarisq. rei instituta præscripsimus) ad humaniora quoque studia allicere cupientes, cum Historiarum suauitatem, dulcedinem Poetices, Suadæ præstantiam, harmoniæq. Musicalis iucunditatem, singularibus libellis commendauimus: tum ad pietatem, et iustitiam formare intendentes, Sacros sermones tomis aliquot, et Iuridica rudimẽta nõnullis opusculis cõnotauimus. Hoc est Monita primò Legalia, seu methodum studendi in iure, præscripsimus, Accessum deinde ad Iuris vtriusq. cognitionem breuẽ parauimus. Mox commentaria in Iustiniani

Imp.

Imp. Institutiones dedimus. Nunc demum Pontificij Iuris summam collegimus (idque simpliciter, absque allegationibus textus, eruditissimi Lancellotti exemplo. Cum & Gregorius Papa XIII. Corpori Iuris Canonici, nil quicquam addere, vel immutare, aut interuertere, nullaue interpetramenta adiungere premiserit) ne tanquam inter fluctus maris, cupidi huius sacrę Scientiæ adolescentes, inter tot Canonistarum libros, & infinitas allegationum ab ipsis adnotatarum tricas, cum periculo ingenij vagare cogantur, aut difficultate abdiscendi illas, à studio ipso deterreantur. Fecimus itaque quod potuimus, quo & Patriam ornare, & optimam studiosorum indolem iuuare valeamus. Vestrum autem erit, ò Candidi, ingenuique Lectores, quorum laudes nostris in scriptis admiramini, eorum virtutes imitari; siue illi bellatores, siue literati fuere; & quibus gloriamini maioribus, nihilo minores apparere; vestroque docere exemplo, inter quascumque gentes nati estis, eosdem igniculos virtutis vbique populorum nasci, quos olim sola in Græcia elucere antiqui Romani mirabantur. Valete.

Admonitio ad Lectorem.

Lector Aduerte Auctorem ne Breuiarij, quod intendebat limites excederet, multa ex Iure Canonico summatim transcripsisse, quæ maiorem desiderant explicationem. Quapropter vbi occurrerit aliquid ingerẽs difficultatem, scias idipsum Auctorem ex Sac. Canonibus haurisse, tu tamen Benigne Lector in huiusue difficultatibus, ne tantum Breuiario fidas, quin prolixiores Canonistas, & Summistas non consulas. Errata autem tua corrigas discretione, & vale.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

A. Episc. Verul. Vicesg.

LIbrum Adm. Reu. Simonis Starouolscij *Breuiarium Iuris Pontificij* intitulatum, summa attentione, & diligentia de mandato Reuerendiss. P. Vincentij Candidi Mag. Sac. Pal. Apost. perlegi, & non solum in eo nihil, quod Christianæ Religioni, aut bonis moribus repugnet offendi, sed totius Iuris Pontificij materias omnes summa claritate, & admirabili compendio digestas altè sum admiratus; Quare censeo maximo Reipublicę Christianę bono cessuram illius publicationem, & hinc non minorem Ecclesiam sensuram esse vtilitatem, quã totus Orbis receperit ex tot alijs Operibus, quæ eruditiss. iste Auctor maxima cum sui nominis gloria edidit.

Nicolaus Seuerolus Sac. Consist. Aulæ Aduoc.

IVssu Reuerendiss. P. Magistri Vincentij Candidi Sacri Apostolici Palatij Magistri Opus hoc accuratè legi, & cum in eo nihil inuenerim, quod Catholicæ fidei, sacris canonibus, & Christianæ vitæ moribus conforme non sit, censeo ipsum esse dignum, quod publicæ vtilitati exponatur. In fidem Datum in Conuentu Sanctorum duodecim Apostol. die 29. Octobr. 1653.

F. Modestus Gauatius Ferrariensis Ord. Min. Conuent. S. Rom. & vniuersalis Inquisitionis Consultor, & Qualificator.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Candidus Sac. Pal. Apost. Mag. Ordinis Prædicatorum.

INDEX, ET SVMMA
Titulorum Iuris Pontificij.

LIBRO PRIMO

De Personis Ecclesiasticis, in gradu altiori constitutis, & eorum officijs, tractatur Titulis 24.

LIBRO SECVNDO.

De Personis Ecclesiasticis, in inferiori gradu constitutis, eorumq. officijs, tractatur Titulis 10.

LIBRO TERTIO.

De rebus Ecclesiasticis Spiritualibus, & earum administratione, tractatur. Titulis 23.

De

LIBRO QVARTO.

De rebus Ecclesiasticis Temporalibus, & earum administratione, tractatur Titulis 13.

LIBRO QVINTO.

De Iudicijs Ciuilibus, ad forum Ecclesiasticum spectantibus, tractatur Titulis 24.



14 De

LIBRO SEXTO

De Iudicijs Criminalibus, ad forum Ecclesiasticum spectantibus, tractatur Titulis 13.

LIBRO SEPTIMO

De Pœnis, seu Censuris Ecclesiasticis, tractatur Titulis 5.

FINIS.

SI-

SIMONIS STAROVOLSCI

BREVIARIVM IVRIS PONTIFICII

LIBRIS SEPTEM

Comprehenſum.

LIBER PRIMVS.

De Perſonis Eccleſiaſticis, in gradu altiori conſtitutis, & eorum Officijs.

PROOEMIVM.



VIA Sacrorum Canonum, Decretaliumq; Epiſtolarum, rebus ita exigentibus, tam magnus hodie factus eſt cumulus, vt numerum prope legum Ciuilium exæquare videantur; vixq; à paucis ob ſuam multitudinem, diuturno ſtudio cognoſci valeant. Eapropter, Studentium vtilitati conſulere volentes, multi veteres, recentioresq; Iureconſulti, Summas breuiores conſcripſerunt; in quibus vniuerſa propè ea, quæ Pontificij Iuris libris ſparſa conſpiciuntur, certa quadam via, & ratione complexi ſunt. Sed quia eas pro more, & conſuetudine Iuriſperitorum, partim aſſiduis allegationibus, quæ obtu-

obtusioribus ingenio cognitu difficiles sunt; partim notis diuersorum Interpretum, frequentioribusque partitionibus in Paragraphos, Capitula, Numeros, Paratitla, & Sectiones, quæ debiliorem memoriam offuscant, perpetuò inumbrarunt, quod primo intuitu horrorem quendam, & impossibilitatem addiscendi lectoribus inijcit: Ideò ingenuos adolescentes hoc metu inani liberare volentes, cupientesque rudiores, & nondum inchoatos tyrones, ad altius Canonicæ doctrinæ studium attrahere, prius quàm lecturæ Iuridicæ, & citationibus legum assueuerint, hæc simplicia sacrarum Sanctionum effata, pernoscenda proposuimus: Et quicquid in tanta Pontificij Iuris librorum mole dispersum, dissipatumque cernitur, sub vnum velut aspectum, in hoc nostro Breuiario, collecta, conglutinataque posuimus. Quo vel sic, sacratioris doctrinæ dulcorem, studiosi iuuenes, quasi in massa quadam degustantes, alacriores deinceps ad ipsos fontes & capita Iuris Pontificij currant, diligentiusq; per se, & Sanctorum Patrum Decreta, & solertissimas circa illa Doctorum commentationes euoluant, & perscrutentur assiduè. Quibus eam ob causam, & *Accessum ad Iuris vtriusque cognitionem* olim, ante Commentarios nostros in Iustiniani Imp. Institutiones præmisimus, & nunc *Monita Legalia*, seu Methodum in vtroque Iure studendi præscripsimus, quò minore cum fastidio, ac facilius studijs hisce canonicis, tanquam sacris quibusdam initiari volentes, artem ipsam percipere valeant. Hinc vltra consuetum vsum allegationum, etiam verborum compositionem apud eruditos fieri solitam, volentes omisimus, ne stilum potius, quam vtilitatem studentium affectare videremur; sed potiùs exemplo serio discere cupientibus possimus esse, quo & illi quauis in arte, disciplinaque altiori, non inania vocabulorum ornamenta, salubria rerum emolumenta

sectari

sectari velint, memores illius Senecæ, ad Lucilium Epist 49. *Quæ veritati dat operam ratio, incomposita esse debet, & simplex*. Et licet facundia sit interpres sapientiæ, non multitudine attamen illa verborum instructa esse debet, sed pondere sententiarum. Igitur iuxta Diui Saluiani dictum, *In scriptis nostris non lenocinia esse volumus, sed remedia*.

TITVLVS I.

De Comparatione vtriusque Iuris, Cæsarei nimirum, & Pontificij.

1 LEGES omnes & iura, quæ diuersos inter populos in Orbe vniuerso reperiuntur, ad dirigendas humanas actiones institutæ, vt secundum earum præscriptionem benè, beateq; omnes suis in prouincijs viuere possint. Quarum sanè legum vbique, aliæ delinquentibus poenas pro delictis ac sceleribus inferunt, aliæ rectum agentibus præmia & honores inter conciues conferunt.

2 Inter omnium autẽ populorum, qui in orbe sunt, vel fuerunt, ciuilis societatis, ac regiminis ordinationes, præcipuæ sunt etiamnum leges, & iura Romanorum, quibus non modo Romani Imperij subditi, sed vniuersa ferè Christianitas, ordinariè vtitur; & in omnibus ferè regulatur.

3 Hoc autem ius Romanum duplex est. Aliud *Pontificium seu Canonicum*, Et aliud *Cæsareum*, *vulgo Ius commune dictum*. Illud Romani Pontificis authoritate nititur. Istud authoritate Imperatoris Romani.

4 Ius Cæſareum conſtat Imperatorum Conſtitutionibus; Senatus, populi, & diuerſorum Magiſtratuum placitis; tum & Iureconſultorum prudentibus reſponſis. Ius verò Pontificium, Romanorum Antiſtitum Sanctionibus; Sacrorum Conciliorum, tàm Generalium quàm Prouincialium decretis, & Sanctiſſimorum virorum ſalutaribus ſententijs.

5 Ius Cæſareum dirigit hominem ad bene viuendum in ſocietate ciuili. Ius verò Pontificium ducit hominem ad perpetuam beatitudinem in ſocietate ciuium cœleſtium. Illud proximi, dilectionem docet, iſtud amorem ipſius Dei. Vtrumque autem ad perfectionem, & æternam fælicitatem tendit.

6 Ius Cæſareum tractat in ſuis libris, de perſonis ſæcularibus, prout liberi aut ſerui ſunt, deq; earum differentijs, & qualitatibus: ſecundo, de rerum diuiſione, & acquirendo ipſarum dominio: & tandem de actionibus, ſeu iure perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur. Ius Canonicum itidem tractat in ſuis libris, de perſonis Eccleſiaſticis, earumq; officijs, ac beneficijs: de rebus tàm ſpiritualibus quàm temporalibus, vt ſtatum Eccleſiaſticum concernunt: & demum de iudicijs ciuilibus, & criminalibus per iudicem Eccleſiaſticum exercendis, deq; Cenſuris Eccleſiaſticis, quas quis incurrit ob commiſſa crimina voluntariè.

7 Ius Cæſareum præcipuè continetur Codice, Digeſtis, Authentico ſiue Nouellis, libro Fœudorum, & Inſtitutionibus Iuſtiniani. Ius quoque Pontificium continetur, Decreto, Decretalibus, Sexto, Clementinis, Extrauagantibus, & Inſtitutionibus Lancellotti.

8 Decretorum librum (cui princeps locus inter libros Canonum tribuitur, quod & præclaris aureiſq; ſententijs abundat, & auitæ religionis Eccleſiaſticam ſeueritatem, & diſciplinam præfert) ex antiquis codicibus

dicibus Conciliorum, qui asseruabantur in Vaticano (semper enim in Romana Ecclesia, quæ omnium aliarum Ecclesiarum est Magistra, Conciliorum Canones, & Acta, Pontificumq; Summorum decreta asseruabantur, & alijs Ecclesijs per vniuersam Christianitatem communicabantur) temporibus Eugenij III. circa An. 1151. collegit Gratianus, Monachus Benedictinus Sancti Fælicis Bononiæ, natus in Clissa ciuitate Thusciæ. Cuius libri authoritas, ne vacillaret aliquo modo, quod à priuato homine compositus esset, iusserunt patrum nostrum memoria, corrigere, Pontifices, Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. viris eruditissimis, & Cardinalibus assignatis. Qui vltra collectionem Canonum Isidori Hispalensis, Burchardi Vormaciensis, Iuonis Carnotensis, *Anzelmi* Panormij, Deus dedit Cardinalis, Gregorij Presbyteri, & Dionisij Exigui, qui Græcorum Synodos in linguam latinam conuertit, conquisitis vndique vetustissimis Codicibus, cum Codice Vaticano, Moguntino, atque Cresconij collationem fecerunt, & emendarunt, Synodorum Generalium, Summorum Pontificum, Prouincialium Conciliorum, & Patrum Sanctorum decreta, ac sententias diligentissimè relegentes.

9 Per eosdem statim, & Decretalium Gregorij Papæ IX. compilatio, per F. Raymundum Ord. Præd. suum Capellanum, & Pœnitentiarium facta, Anno 1230. suæ integritati restituta est. Similiter & liber Sextus Decretalium Bonifacij Papæ. VIII. vna cum Clementinis, & Extrauagantibus. Anno siquidem 1294. Bonifacius Papa prædictus, Decretales Epistolas prædecessorum suorum, per Gulielmum Archiepiscopum Ebrudunensem, & Berengarium Episcopum Biterensem, ac Magistrum Richardum de Senis S.R.E. Vicecancellarium diligenter fecit recenseri: & quibusdam Decretis nouis à se additis in vnum librum sub

debitis titulis redigi, & quinque alijs Gregorij Papæ IX. libris annecti, Sextumq; nuncupari iussit.

10 Ioannes quoque XXII. Anno Christi 1316. Constitutiones prędecessoris sui Clementis V. sub congruis titulis collocatas edidit, & Clementinas appellauit. Quas verò ipse publicauit, & quas sanctiones post illum diuersi Pontificis ediderunt, eas Doctores Iuris, speciali nomine Extrauagantes nuncuparunt.

11 Ex his autem omnibus prænominatis legum Ecclesiasticarum libris, Paulus Lancelottus Perusinus, Iureconsultorum vnicum decus, summam totius Iuris Canonici, Institutionibus, ad imitationem Institutionum Iustiniani Imp. conscriptis, singulari methodo comprehensus, opus suum in quatuor partes, seu libros diuisit. De quibus vide hosce versus.

Personas nos prima docet pars, Resq; secunda.
Tertia dat iudices. Crimina quarta premit.

TITVLVS II.

De Iure Canonico, seu Pontificio.

1 IVS Canonicum est, constitutio Ecclesiastica, quæ fidelium actiones dirigit ad finem æternæ beatitudinis. Et dicitur à Greco verbo Canon, quod Latinè regulam significat. Vnde ius Canonicum ius regulare, non male dixeris; quod ex regulis priscorum Patrum, ad rectam viuendi formam institutis, deductum fuerit.

2 Constat autem ius Canonicum hisce tribus rebus. Diuinæ legis præceptis, Consuetudinibus fidelium, & Constitutionibus Pastorũ Ecclesiæ Catholicę.

3 Præ-

3 Præcepta legis diuinæ, vocantur absolutè *Ius Diuinum* veteri ac Nouo Testamento contentum, quod semper immutabile permanet; & diuiditur in præcepta Moralia, & Mystica. *Moralia dicuntur*, quæ mores informant, secundum rectæ rationis dictamen; quę in homine non possunt extingui nec immutari. *Mystica verò*, seu figurata, & arcana sunt, quæ aliud significant, quam quod litera sonat. Exempli causa. Non arabis in boue & asino. Non feres vestem lana, & lino contextam. Non seres agrum diuerso semine.

4 *Consuetudo est*, ius quoddam moribus institutum, quod pro lege obseruatur, quia rectæ rationi, & iuribus scriptis non contradicit. Alioquin, moribus bonis, aut legi Diuinæ contradicens non iam consuetudo, sed vetustas erroris appellanda est; quæ non ligat, etiamsi iuramento firmata sit. Et vocatur communiter, *Praua consuetudo*, *seu abusus*.

5 *Consuetudo demum est*, lex scripta; siue sæcularis in fauorem Ecclesiæ promulgata; siue Ecclesiastica, præcipiens, aut vetans aliquid fidelibus.

TITVLVS III.

De Ecclesiasticis Constitutionibus:

1 Ecclesiasticæ Constitutiones, aut statuuntur à tota Ecclesia in Concilium aduocata, (& appellantur propriè Canones) aut à capite Ecclesiæ tantùm, Pontifice nimirum Romano, (& tunc appellantur Decreta) aut denique à priuato aliquo, (& tunc vocantur dicta Sanctorum) quæ postea approbantur ab vniuersa Ecclesia.

2 Con-

2 Concilia verò, alia sunt Vniuersalia, alia Prouincialia seu Nationalia, & alia Diœcesana, à singulis Episcópis cum suo Clero celebrata.

3 *Vniuersalia Concilia sunt*, (quæ & Oecumenica consueuerunt appellari) quæ Sancti Patres ex vniuerso Orbe in vnum conuenientes, iuxta fidem Euangelicam, & Apostolicam condiderunt. Vnde Concilia dependent ab Euangelio, & non è contra.

4 Primum autem Concilium est celebratum Hierosolymis, sub Petro Apostolo, & primo Pontifice. Anno Christi nati 70. vt habetur in Actis Apostolicis cap. 15.

5 Atque hinc legitima celebrandorum vniuersaliũ Conciliorum potestas, & auctoritas, ab exemplo Diui Petri, est penes Sedem Apostolicam. Quod si verò Pontifex Romanus, qui est successor Petri, interesse concilio personaliter impediatur, vnum, vel plures speciales ad hoc legatos constituere solet.

6 Inter cætera autem Concilia Generalia, quæ, pace Ecclesiæ per Constantinum Magnum donata, celebrata fuerunt, quatuor sunt, quæ totam principaliter Christianam fidem complectuntur, quasi quatuor Euangelia. Nicænum scilicet, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense: in quibus velut in quadrato lapide, Sanctæ Fidei structura consurgit.

7 *Nicænum*, celebratum Anno Christi Nati 325. à trecentis octodecim patribus, sub Pontifice Syluestro, qui fuit trigesimus primus à S. Petro Pontifex, imperante Constant: Magno, in quo Concilio fuit condemnata blasphemia Arrij, de inæqualitate Sanctiss. Trinitatis.

8 *Constantinopolitanum* celebratum à centum quinquaginta Patribus, Anno Domini 381. sub Damaso Papa, imperantibus Gratiano, & Theodosio Impp. in

quo

quo fuit condemnatus Macedonius, negans Spiritum Sanctum esse Deum.

9 *Ephesinum*, celebratum Anno Domini 424. sub Cœlestino Primo, à Petro 44. Pontifice, imperante Theodosio Augusto. in quo fuit damnatus Nestorius, duas personas in Christo asserens.

10 Chalcedonense, sexcentorum triginta Patrum, actum Anno Domini 442. temporibus Leonis, & Martiani Augg. in quo fuit damnatus, Eutyches, & sequaces, perniciosè circa naturam Christi errantes.

11 *Prouincialia Concilia sunt*, quæ propter reformandos mores, & seruandam Ecclesiasticam disciplinam ' in Generalibus Concilijs descriptam, & stabilitam fidem, per singulas prouincias, conuocante Metropolitano Episcopo prouinciæ suæ, quoquo triennio celebrantur. Quæ neque definiendi, neque generalirer constituendi, vim aliquam habent: sed tantum curandi, vt id seruetur, quod alias in Concilijs Oecumenicis statutum est; & quod generaliter, seu specialiter obseruari à Sede Apostolica præceptum est. Licet interdum, & quæ ab his rectè statuta sunt, etiam Catholica Ecclesia suscipiat.

12 Hæc autem Prouincialia Concilia traxerunt originem, à Concilio, quod celebrauit B. Paulus in Mileto, congregatis maioribus natu prouinciæ Ephesinæ, vt in Act s Apostolicis cap.20. habetur. Primumque post Apostolos Prouinciale Concilium fuit celebratum Carthaginæ. Anno Domini 255. Sedente Papa Cornelio I. Quamuis antea multæ fuerint congregationes Episcoporum Asiaticorum, sed non formaliter, & legitimè à suo Metropolitano conuocatorum.

13 Diœcesana Concilia sunt, quæ Ediscopus in sua Dœcesi, singulis annis conuocat, dum iuter suos Abbates, presbyteros, & clericos congnoscit, omissamq;

disciplinam restaurat. In ijs, si quid ab Episcopo statutum fuerit, nec subditi extra Dioecesim constituti, nec ignorantes (nisi sit ignorantia supina) ligantur.

14 Decreta quoque Pontificum Romanorum, quæ pro Catholica fide, proq; sacris dogmatibus, diuerso tempore scripta sunt, debent ab omnibus pari reuerentia recipi, ac si voce ipsius Petri firmata) quia omnes aliæ Constitutiones Ecclesiasticæ vim suam habent, à potestate Summi Pontificis.)

15 Demum, dicta Sanctorum Patrum sunt, quæ illi sacram paginam interpretando scripta reliquerunt: quæ deinceps sacris Canonibus interserta, parem cum eis obtinent firmitatem; cæterum verò post scita Pontificum auctoritatem tenent. Cum enim in negotijs definiendis, non solùm necessaria sit scientia, verùm etiam potestas; ideo licet diuinarum scripturarum interpretes scientia Pontificibus interdum præcellant, quia tamen statuendi potestate destituuntur, in scripturis quidem exponendis, illis quandoque præponuntur; in causis verò definiendis, secundum post eos locum habere merentur.

TITVLVS IV.

De Iure Personarum Ecclesiasticarum.

QVIA Ius Canonicum versatur circa personas, res, & iudicia, & posteriora duo ad personas referuntur; ideo parum esset hæc duo

duo noſcere, ſi perſonæ ignorentur, quarum cauſa illa ipſa conſtituta ſunt: & per quas ea omnia adminiſtrantur. Quapropter prius de perſonis videamus, quomodo differunt inter ſe, & diſtincta obtinent officia.

2 Chriſtianorum itaque, quidam ſunt Laici, quidam verò Clerici. *Laici ſunt*, qui & populares dicuntur, quibus licet temporalia poſſidere, vxorem ducere, cauſas agere, inter virum iudicare. *Clerici verò ſunt* qui diuinis officijs mancipati ſunt, & quos ab omni ſtrepitu ceſſare conuenit, ne ſæcularibus curis auocentur à diuinis. Appellantur autem iſto nomine, à verbo Græco Cleros, quod latinè ſors, ſiue hæreditas ſonat; quia ipſe Dominus ſors, id eſt, pars eorum eſt.

3 Horum, quidam ſunt in Sacerdotio, vt Epiſcopi & Presbyteri: quidam in ſacris, vt Diaconi, & Subdiaconi: quidam nec in ſacerdotio, neç in ſacris, vt in minoribus ordinibus conſtituti, Conuerſi, Templarij, Hoſpitalarij, Cantores, & quibus miniſteria domus Dei ſunt commiſſa.

4 Rurſus, eorum qui in Sacerdotio conſtituti ſunt, quidam ſunt in altiore gradu, vel ordine poſiti: quidam verò in inferiore. De quibus ſingillatim titulis ſuis.

TITVLVS V.

De Epiſcopis, & eorum auctoritate.

1 IN altiori gradu conſtituti ſunt Epiſcopi, quorum ordo tripartitus eſt. Alij enim ſunt Patriarchæ, ſiue Primates: alij Archiepiſcopi; & alij ſimpliciter Epiſcopi.

2 Patriarchæ conſiderantur, aut reſpectu totius Orbis; & ſic Summus Pontifex vocatur Papa, id eſt, Patrum ſiue Patriarcharum pater: aut reſpectu maioris partis Orbis, & ſic ſunt quatuor Patriarchæ, qui primum poſt Papam locum tenent, & repræſentant quatuor Euangeliſtas; Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus: aut ratione minoris partis, & minimę, & ſic ſunt Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi.

3 Appellantur autem Patriarchæ, quaſi patrum Principes, quibus ob dignitatis excellentiam, & crucem deferre, & Pallio vti, & ab Epiſcopis, atque Archiepiſcopis exiſtentibus in prouincijs deputatis ipſi Patriarchæ, appellationes recipere permittitur.

4 Archiepiſcopi verò, ſunt vnius prouinciæ Epiſcoporum Principes. Primates autem plurium prouinciarum Præſules, in quibus aliquot Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani numerantur.

5 Ad hos igitur inter ſuos Suffraganeos cognoſcere pertinet: à quibus tamen, ſi durius illi habiti, & accepti fuerint, ad Patriarchas, & deinceps ad Sedem Apoſtolicam appellare poterunt. Sed & Archiepiſcopus habet iuriſdictionem in ſubditos Suffraganei per appellationem, in appellantem, & appellatum: illoſque qui ſe ſpontè offerunt liti, ſuper illa re, de qua eſt quæſtio.

6 Simplices demum Epiſcopi ſunt, qui maioribus populis, & frequentioribus ciuitatibus, cum Diœceſi præſunt. Latinè, ſpeculatores dici poſſunt: quod mores, & vitam populorum infra ſe poſitorum ſpeculentur, & perſpiciant. Diœceſes autem, ſeu circumſcriptiones terminorum cuſtodiæ vniuſcuiuſque Epiſcopi, primus Dionyſius diſtinxit.

7 Horum autem Epiſcoporum, non modica in Eccleſia eſt auctoritas: nam præter ligandi ſoluendique po-

potestatem, & visitandi diligentiam, soli sacrum Chrisma conficiunt, soli Dei altaria, & Ecclesias consecrant, & pollutas repurgant. Clericos ordinant suspendunt, & deponunt. Ad hos etiam pertinet excommunicatio, purgationis indictio, dispensatio, atque solennis pœnitentiæ impositio.

8 Quin & ipse Romanus Pontifex eodem Episcoporum Ordine censetur; sed potestatem habet cæteris longè maiorem. Nam ipse alios iudicat omnes, à nemine ipse iudicatur (excepta hæresis causa, in qua Concilij Generalis iudicio subijcitur) & ab eo, quasi à quodam capite dona in Ecclesiam vniuersam, velut in corpus omne diffunduntur. Quemadmodum ergo tẽpore Noe, omnes extra arcam positi diluuij vastitate consumpti sunt: sic extra Petri nauiculam constituti, æternæ damnationis fluctibus obruentur.

9 Cardinalatus verò dignitas & officium, non est ordo separatus, quia illorum alij sunt Episcopi, alij Presbyteri, alij Diaconi aut Subdiaconi; sed est dignitas Ecclesiastica, prout & Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Prioratus, Præpositura, Abbatialis dignitas aliæq; inter Canonicos Prælationes. Habent tamen Cardinales propter suæ dignitatis prærogatiuam, Pontificiam iurisdictionem, in Ecclesijs sibi in Titulum assignatis, a ijsque ipsi titulo subiectis. Episcopalibusque insignibus vti eis fas est. & minores Ordines conferre, solenniterq; benedicere, etsi ipsi in Episcoporum Ordine cooptati non sint.

10 Officium demum Cardinalium est, Summum Pontificem eligere, eius lateri adhærere, & sententiam suam in grauissimis quibusque Ecclesiæ negotijs impertiri. Vnde & fratres à Summo Pontifice, sicut & Episcopi appellari solent. Prout & Episcopus Canonicos suos fratrum nomine appellare tenetur.

TITVLVS VI.

De Electione Episcoporum.

1 DVpliciter ad Prælationem Ecclesiasticam promouentur Clerici: aut per Electionem, quæ est ordinarium remedium: aut per Postulationem, quæ extraordinarium.

2 *Electio est*, alicuius personæ ad dignitatem, vel fraternam societatem canonicè facta vocatio. Quæ, primo debet esse libera: deinde, omnibus præsentibus qui ius eligendi habent: demum maiori parte electorum consentiente. Aliàs, committitur error, & fit verum, quod hisce versibus quidam expressit.

Quattuor, Ecclesias portis intratur ad omnes,
Cæsaris, & Simonis, Sanguinis, atque Dei.
Prima patet Magnis, sed nummis altera, charis
Tertia, sed paucis quarta patere solet.

3 Quod si quis non fuerit citatus ad electionem, & adueniens ratam voluerit habere eam, confirmanda erit electio. Quod si verò noluerit, irritam reddet electionem. Sæpe enim rescriptum est; magis hac in re vnius obesse contemptum, quàm multorum contradictionem.

4 Sed si quis casu aliquo ad electionem accedere fuerit impeditus, votum suum vni, vel pluribus de Capitulo demandare minimè prohibendus erit. Vocati verò ad electionem, & contumaces, priuantur iure eligendi, quia suum ius pro illa vice censentur transfudisse in alios præsentes electioni.

5 Sed hæc quidem in aliorum Episcoporum, non in Romani Pontificis electione obtinent. In huius enim, nec vlla necessaria est citatio, nec alij quis absens votum suum demandare permittitur. Eligi autem debet, à dua-

à duabus partibus Cardinalium præſentium in electione: aliàs niſi maior concordia interceſſerit, nullatenus ad Apoſtolatus officium aſſumendus eſt.

6 Celebratur autem electio tribus modis communiter. Per inſpirationem. Per ſcrutinium. Et per compromiſſum. *Per inſpirationem*, cum nullo electionis ordine ſeruato, diuini Spiritus impulſu ſimul omnes in vnum conſentiunt, & repente eum nominant: vt accidit in electione Sancti Ambroſij, Martini, Syneſij, Nicolai, & aliorum. *Per ſcrutinium*, cum omnes legitimè congregati, tres de medio ſui aſſumunt, qui ſecretè, & ſingulatim vota cunctorum, qui ius eligendi habent, diligenter exquirunt, & demum in ſcripturam redacta publicant. Quo facto, collatione habita, is demum cenſetur electus, in quem vel omnes, vel maior, & ſanior pars Capitulì ſtatim conſenſerit. *Per compromiſſum verò*, cum plures idonei viri eliguntur, in quos omnium vice, eligendi certo modo facultas, & poteſtas transfunditur.

7 Quod ſi eligentium vota, ita ſe diuiſerint, vt hinc quidem electorum pars numeroſior conſiſtat, inde ſanior, auctoritatem, zèlum, & merita electi ponderans; facultas erit illis ad infringendam partis numeroſioris electionem, de auctoritate, & qualitate ipſorum eligentium. Si tamen altera pars non eſt duplo maior numero ipſis: tunc enim contra huiuſmodi electores ad extenuationem meriti, vel auctoritatis ipſorum, paucioribus, vel electo ab eis, opponendi facultas non erit.

8 Similiter, & arbitri compromiſſi in electione fines diligenter cuſtodire debent, ſcituri, ſi quid non ſecundum demandatam formam egerint, nullum habiturum eſſe iuris effectum. Quod ſi verò

rò intra terminos constiterint, quod ab eis gestum fuerit, vsque adeo ratum habendum erit, vt etiam non secuta electione, re tamen non integra, demandata sibi potestas reuocari non possit.

10 Non possunt autem eligere impuberes, & sacris ordinibus non decorati. Sicut nec innodati vinculo maioris excommunicationis, aut suspensi per iudicis sententiam; & quibus à superiore, ne eligant, interdictum est. Similiter hæretici, schismatici, anathematizati, & voluntariè absentes; aut qui per tempus constitutionibus definitum in eligendo negligentes fuerint: quo casu ad proximum superiorem eligendi potestas deuoluitur.

11 Alia sanè causa eorum est, qui scientes indignum eligunt, aut postulant. Nam licet & ij eligendi iure priuentur, id tamen non ad Primatem, aut Archiepiscopum, sed immediatè ad Summum Pontificem deuoluitur.

12 Laicis quoque, etiamsi Principes sint, nullo neque consuetudinis, neque præscriptionis, neque conuentionis iure, ad electionem aspirare permittitur; (nisi ex permissione Papæ) Patroni tamen circa iam factam electionem non indecenter postulatur assensus.

13 Oportet autem eum, qui in Episcopum eligendus sit, cum ars sit artium regimen animarum, ætate maturum esse natalibus illæsum, corpore integrum; fama candidum, literis instructum, religiosum, prudentem, temperatum, castum, hospitalem, mansuetum, atque irreprehensibilem in omnibus. Si enim ad sæculares honores, sine suffragatione meritorum indignum est perueniri; & notari ambitus solent, quos

pro-

probitatis documenta non adiuuant: quam diligens ac prudens habenda est dispensatio diuinorum munerum, & Ecclesiasticarum dignitatum?

14 Igitur is, qui ad Episcopalem dignitatem promouendus est, annos natus esse debet non minus triginta. Nam ea ætate Dominum, & baptizatum esse, & concionatum fuisse legimus. Alioqui si quis minor fuerit, eligi non poterit. In alijs autem inferioribus dignitatibus, sufficit legitimum annum attigisse.

15 Idem iuris est in ijs, qui aut excommunicationis, aut suspensionis vinculo sunt innodati. Sed nec ij eligi possunt, qui in sacris ordinibus non sunt constituti, saltem Subdiaconatu: neque Schismatici eligi debent.

16 Neophyti quoque in Episcopos ordinari prohibentur. Indecens est enim, & valde præposterum, eum fieri magistrum, qui nondum didicit esse discipulus. Appellantur autem Neophyti, qui propositum sacræ religionis nouiter assumpserunt.

17 Qui itaque scienter indignum eligunt, non solum eligendi potestate priuandi sunt; verùm etiam per triennium, vt ab alijs eligi possint, se ipsos inhabiles reddunt.

TITVLVS VII.

De Postulatione.

1 Postulatio est, eius, qui eligi non potest, in Prælatum concors Capituli petitio. Existunt enim interdum viri, quorum optima indoles magno posset esse vsui Ecclesiæ, veluti literarum doctri-

ctrina, magnus rerum vſus, & morum vitæq; integritas. Verùm tamen aliquid in eis deſideratur, quod impedimento eſt, ne Eccleſijs præfici poſſint, veluti ordines, ætas, natales legitimi. Quapropter ne his cauſis Eccleſia viris idoneis careat, ſolet interdum collegium vtilitatis publicæ gratia, ab Antiſtitibus ſibi Prælatos dari petere. Qui Antiſtites huius rei cauſa aditi, egregijs eorum qui poſtulantur moribus, & diſciplinis moti, poſtulationem admittent, ſi eis ita videbitur. Poſt quod (vt euitetur circuitus, & Eccleſiarum diſpendium) alia electione, vel poſtulatione confirmatus non indigebit, ſed omne ius conſequetur, non ſecus ac ſi electus verè confirmatuſque fuiſſet.

2 Ex hoc apparet, eum qui trigeſimum annum nondum compleuit; item in minoribus ordinibus conſtitutum, aut laicum; item natalibus læſum, licet eligi non poſſint, poſtulari tamen poſſe.

3 Sextuplices autem perſonæ, quæ non ob animi vel corporis vitium, ſed ob alterius defectum qualitatis eligi non poſſunt, poſtulari tamen poſſunt. *Primo*, Epiſcopus ad Archiepiſcopatum. *Secundo*, Archiepiſcopus ad alium Archiepiſcopatum, & Primatum. *Tertio*, Epiſcopus propriæ alligatus Eccleſiæ, ad alium altiorem Epiſcopatum. *Quarto*, Laicus, vel Clericus in Minoribus Ordinibus conſtitutus, ad Epiſcopalem dignitatem. *Quinto*, illegitimè natus, irregularitate, vel crimine aliquo irretitus. *Sexto*, nondum in legitima ætate conſtitutus.

4 Non idem iuris eſt in Abbatibus, & cæteris Prælatis, infra Epiſcopalem dignitatem conſtitutis. Iſti enim licet propriæ Eccleſiæ videantur alligati, nihilominus eligi poſſunt: proprium tamen non deſerant Monaſterium, niſi licentia impetrata.

5 Duplex itaque eſt Poſtulatio. *Alia ſolennis*, quando

do aliquo defectu postulatus impeditus, ad regendam Ecclesiam licentia Pontificis Summi admittitur. *Et alia simplex*, quando nullo defectu postulatus impeditus, consensum tantum superioris Antistitis requirit, ne illo incõsulto ad dignitatem Ecclesiasticam promoueri videatur. Sic inuito aut inscio Abbate, eius Monachus ad Episcopatum assumi non potest; ne videlicet Patre ignorante filius Ecclesiæ præficiatur.

6 Postulatio autem facta, & Summo Pontifici, alijue Antistiti, qui admittendi eam ius habeat, oblata, reuocari deinceps non potest. Qua in re manifesta deprehenditur differentia inter Electionem & Postulationem: siquidem Electio publicato scrutinio amplius mutari non potest, vt supra docuimus. Hoc tamen Postulationi cum Electione commune est, quod non minus examinanda est, quam Electio; & eandem formam exigit, quã supra in Electione esse necessariam demonstrauimus.

7 Postulationi affinis est *Nominatio*. Cuius itidem duæ sunt species. Altera Simplex, Et altera solennis. *Simplex est*, cum Canonici, vel alij electores, priusquam ad scrutinium faciendum se accingant, ipsi inter se aliquos ex omnibus nominant eligi dignos. *Solennis autem est*, cum collegium duos vel tres, qui omnium prętantissimi videantur seligit, eorumq; nomina in scriptis solenniter deposita, ad Summum Pontificem, vel alium, qui in hoc potestatem habeat, transmittit supplicans, vt eorum vnum Ecclesiæ dare Præsidem velit. Et talis nominatio à Postulatione in eo discrepat, quod Postulatio de vno tantùm fit, Nominatio verò de pluribus. In hoc autem conuenit, quod si solenniter est facta, ab ea resilire non licet; sicut neque à Postulatione, Superiori iam reddita: nisi Prælatus ipse postulantibus, vel nominantibus, morem gerere velit: quo casu etiam ipso postulato, vel nominato repugnante, retractatio permittetur.

TITVLVS VIII.

De confirmatione Electi.

1 QVI ad aliquam Præfecturam electus est, non tamen idcirco plenum ius dicitur consecutus, nisi electionis confirmationem à suo Antistite impetrarit. Quare, si quis, antequam confirmatus esset administrationi temere se ingesserit, non solùm confirmationis spe, sed etiam omni iure ei per electionem quæsito priuatus erit; adeò, vt neque Oeconomi, neque Procuratoris titulus ei vllo auxilio esse possit.

2 Est igitur Confirmatio, iuris prius habiti corroboratio; per quam initiatum electione spirituale matrimonium à superiore Prælato ratificatur.

3 Electores itaque quamprimum commodè possunt, operam dent, vt electi consensum habeant, quem si infra mensem, sine causa legibus cognita, electus accõmodare distulerit, iure si quod ei fuerat ex tali electione quæsitum, statim carere debet: electoresque ad aliam electionem libere posse conuocare.

4 Electus post consensum electioni præstitum, vel notitiam habitam, debet infra tres menses (si nullum iustũ impedimentum obsistat) confirmationem à superiore Prælato petere. Alioqui trimestri spatio elapso, electionem esse penitus irritandam.

5 Et quia ad eundem pertinet examinatio electi, ad quem & manus impositio spectat; idcirco is, ad quem confirmatio pertinet, diligenter examinare debet, & electionis processum, & personam electi, ne quis non idoneus promoueri possit. Et cum omnia ritè facta comperiet, tunc munus ei confirmationis impendat. Quod si secus factum fuerit, non solum deijciendus erit indignè promotus, verùm etiam indignè promouens puniendus.

Ni-

Nihil eſt enim quod Eccleſiæ Dei magis officiat, quàm ſi indigni ad regimen aſſumuntur animarum.

6 Quod cum in cunctis ſacris ordinibus ſibi locum vendicet; in Epiſcopo tamen multo fortius, qui ad curam aliorum poſitus in ſe ipſo debet oſtendere, quomodo cæteros in domo Dei oporteat verſari. Ideo, vbi maius periculum, ibi plenius conſulendum eſt.

7 Petet igitur is qui confirmatus eſt, ab Apoſtolica Sede literas confirmationis ſuæ tenorem continentes, illiſq; oſtendet ad quos ea res pertinet: alioqui nulli eam abſque dictarum literarum oſtenſione recipere tenebuntur. Quod & in promotione apud dictam Sedem facta, & in conſecrationis, vel benedictionis munere locum ſibi vendicat.

8 Quod ſi fortè eligentium vota in duas ſe diuiſerint partes, is confirmatoris iudicio alteri præferendus erit, qui maioribus iuuatur ſtudijs, & meritis.

9 Et ſi vacante Eccleſia, ſciſſo in duas partes Capitulo, alius quidem electus fuerit, alius verò poſtulatus, & vterque pariter idoneus; tunc ſi poſtulantium numerus ſit eligentium duplo maior, vtique poſtulationem eſſe admittendam: ſin id minus, electionem confirmandam. Sed ſi poſtulantes indignum neſcij poſtulauerunt; nec poſtulatio, nec electio rata habenda erit: ſi ſcientes & prudentes, erit electio confirmanda.

10 Eſt autem differentia inter poſtulationem, & electionem iſta, quia poſtulatio non dicitur confirmari, ſed admitti; & hæc admiſſio habet vim electionis, & confirmationis: Electio autem dicitur confirmari à ſuperiori Antiſtite. Confirmandi verò ius ad eum Prælatum ſpectat, cui ea dignitas immediatè ſubeſt, quæ confirmari petitur. Hinc ad dignitatem inferiorem electum confirmabit Eiſcopus, adhibito interdum Capituli ſui conſilio: Epiſcopum confirmabit Metropolitanus; Metropolitanum Patriarcha: ipſum denique Patriarcham, Summus Pontifex.

11 Quapropter confirmantem obseruare oportet, ne dum nimia in confirmando celeritate vtitur contra doctrinam Apostoli, proprium affectum iuri, & æquitati præponat. Itaque, si coelectus aliquis, vel contradictor apparet, ante confirmationem nominatim vocandus est: alioqui si nemo apparet, in foribus Ecclesiæ, in qua electio facta est, generaliter edicendum erit, vt si qui sint, qui confirmationi futuræ velint opponere, ad contradicendum in assignato peremptorio termino, præsentes esse debeant. Quæ omnia locum habent, siue concorditer electio fuerit celebrata, siue non.

12 Sciant tamen ij, qui contra electionem opponendũ duxerint, se, si probationibus destituti fuerint, ab omni poenitentiæ præsidio exclusos, legitimis poenis esse subijciendos.

13 Quod si contingat electum fuisse aliquando Schismaticum, & ante electionem ad vnitatem Ecclesiæ redijsse, tunc si à Schismaticis nullum susceperit ordinem, & eius electio canonicè celebrata deprehendatur, posse illam dispensatione confirmari. Similiter & in hæresi natum, si antea hæresim suam abiurauerat, dispensatiuè confirmabit Papa.

14 Interdum tamen accidit, vt qui ad confirmationem accipiendam non admittitur, non tamen omnino repellatur: aut si quis ante iustam ætatem sit electus, quẽ aut necessitas, aut certè poscebat vtilitas, is enim, etsi confirmari non possit, poterit tamen Procurator à Sede Apostolica fieri, cum libera tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus administratione. Siquidem illa, quæ ordinis sunt, & quæ ministerium exigunt consecrationis, poterit mandare per alios Episcopos exerceri.

15 Confirmatus autem, & nondum consecratus, quæ iurisdictionis sunt, vt puta corrigendi, excommunicandi, iusiurandum à vasallis exigendi, conferendi beneficia, inuestiendi, confirmandi, & ijs similium, liberam habet tractationem. Ea verò, quæ non iurisdictionis, sed ordinis

 dinis

dinis sunt, veluti, Clericorum ordinationes, benedictiones virginum, depositiones, Ecclesiarum & altarium consecrationes, ante propriam consecrationem peragere prohibetur. Neque enim ratio suadere videtur, vt quis in alios id conferre possit, quo eundem indigere dignoscitur. Quod si consecratus sit, non solùm quæ iurisdictionis, verùm etiam quæ ordinis sunt, exequi poterit.

TITVLVS IX.

De Consecratione Episcopi.

1 ELectus ad Prælationem, vt non solùm iurisdictionis, sed & quæ ordinis sunt exercere possit, plenumq; & integrum ius habeat, debet post confirmationem conseruari: idque post electionem intra tres menses, nisi legitimum subsit impedimentum, ne Ecclesia pastoris destituta solatio & cura, aliquod interim patiatur incommodum. Alioqui, si Metropolitanus, aut ij, ad quos ea res pertinet, negligentes fuerint, Ecclesiasticis condemnationibus subijciendi erunt. Abbatissæ verò, intra annum à suæ confirmationis tempore computandũ, munus benedictionis suscipere debent: alioquin à iure suo, nisi causa iusta subsit, cecidisse intelligantur.

2 In consecratione autem Episcopi, hæc tria seruanda sunt. *Primo*, vt sacerdos sit. *Secundo*, vt consecratio die Dominico fiat. *Tertio verò*, vt ordinationi tres Episcopi intersint. Archiepiscopus enim ab omnibus prouinciæ suæ Episcopis consecratur, in sede Metropolitana. Consecratio autem, inter Epistolæ recitationem, & Euangelij celebrari solet, sicut etiam cæterorum omnium, præter Romanum Pontificem; qui vnus ante hymnum Angelicum consecratur, & mox ipse incipit Missarum solennia, & perficit consecratus.

3 Ordinationi Episcopi debet interesse Metropolitanus, suosque Suffraganeos ad illum actum euocare: qui si omnes concurrant, bene est; si aliqui venire non possunt sui præsentiam per epistolam facere debent.

4 Quod si Metropolitanus, vel infirmitate, vel alia iusta causa ita præpediatur, vt suorum Suffraganeorum aliquem consecrare non valeat, alicui Episcoporum vices suas demandare poterit. Deficientibus autem Episcopis comprouincialibus, si vnum tantùm remanere cõtigerit, bello aut aliquo alio casu reliquis sublatis, aduocabit vicinæ prouinciæ Episcopos, & cum eis comprouinciales sibimet Episcopos ordinabit.

5 Congregatis igitur die Dominico, hora tertia diei Episcopis, consecratio noui Episcopi fit, vnctione capitis & manuum Chrismate, solennibusq; verbis, precibusq; additis, examinatione etiam præmissâ, qualem Carthaginense Concilium Quartum præmonstrauit. Demum, fidelitas Summo Pontifici, secundum formam Gregoriani rescripti, iuramento firmatur. Et sic consecratus, debet Archiepiscopum suum visitare intra duos menses, si in persona suæ consecrationi non aderat. Et si adire ipse non poterit, significabit ei de sua consecratione.

TITVLVS X.

De Authoritate, & Vsu Pallij.

1 Pallium est Metropolitanorum insigne ornamentum, quod de corpore B. Petri sumitur, pastoralis officij plenitudinem designans. Et dicitur sumi de corpore B. Petri, quia super altare B. Petri, vbi corpus eius situm est, benedicitur & consecratur.

2 Forma Pallij est, stolla quædam albi coloris rotunda, quæ brachijs Archiepiscopi superposita clauditur ad

mo-

modum circuli : habetque quatuor cruces nigras, ante pectus primam, retro secundam, & super brachia duas, quæ significant quatuor affectionum mortificationem in Prælato.

3 Potestas conferendi Pallij soli Romano Pontifici cōpetit; qui inprimis plenitudinē dignitatis in quatuor Principes Patriarchas, scilicet, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum elargitur, postea in alios inferiores. Sed & illi quatuor Principes Patriarchæ Sedis Apostolicæ authoritate, in alios Episcopos Metropolitanos in suis Dioecesibus illud conferre possunt, recepto ab illis fidelitatis, & obedientiæ Sedis Apostolicæ Sacramento.

4 Itaque Archiepiscopus non prius plenam eius dignitatis administrationem consecutus dicitur, quam Pallium impetrarit, quia nec prius poterit, Concilium vocare, Basilicas dedicare, & Episcopos consecrare, quam illo insigni plenariæ potestatis decoratus fuerit. Quapropter prospicere debet, vt eius petitionem & receptionem non differat.

5 Eo verò Pallio vtetur Primas ille, in quem fuerit collatum, in qualibet sibi creditæ prouinciæ Ecclesia: sed non extra prouinciam; & non semper, sed certis duntaxat diebus. Romanus autem Pontifex semper dum sacra facit, & vbique Pallio vti potest, nullo dierum vel locorum habito discrimine.

6 Solet tamen Pontifex nonnunquam indulgere, vt Archiepiscopus Suffraganeos suos consecraturus, si ad ditionis suæ Ecclesias accedere non possit, in aliena etiam Ecclesia Pallio vestiatur: dummodo eius Ecclesiæ Epicopus hoc ei permittat.

7 Nomini autem alij quis Pallium suum commodet, personæ enim hærere debet; eaq; defuncta simul sepulchro tradi. Quod si ad aliam sedem, seu ecclesiam fortè translatus fuerit, nouo Pallio exornandus erit, quo vtatur vetere omisso; quod debet remanere apud propriam ec-

Ecclesiam, vel vt alij volunt, debet cum ambobus sepeliri.

8 Volens aliquid palliando obijcere, debet iurare de calumnia, & intra duos menses obiecta probare: alioquin tenetur ad pœnam talionis. Quod si contradictores ista renuerint facere, eorum obiectionibus nequaquam obstantibus ad ipsius traditionem Pallij procedendum erit.

TITVLVS XI.

De vita & honestate Prælatorum.

1 EXplicato ingressu Prælatorum ad dignitatem ecclesiasticam, consequens est, vt etiam tractemus de eorundem progressu, officio, & sanctimonia vitæ; hoc enim ab illis requiritur, vt quemadmodum præcellunt dignitate, ita etiam præcellant & pietate, innocentia, sanctitate. Quia in sua consecratione obligantur ad statum perfectionis, & nuncupantur columnæ ecclesiæ, vt possint antecellere statum Religionum arctissimè viuentium. Hinc Apostolus scribens ad Thessalonicenses præcipit, vt non solùm à malo, sed etiam à mali suspicione se abstineant.

2. Debet igitur Episcopus esse iuxta doctrinam Apostoli, irreprehensibilis, hoc est, sine crimine & scandalo, vt cunctum populum cui præest, conuersatione, & innocentia præcellere possit. Qualis enim erit ædificatio discipuli, si se magistro intelligat esse præstantiorem? Nam Episcopus instruere & admonere omnes debet. Nemo autem rectè monitoris personam suscipit, nisi qui moribus suis, aliorum errata condemnat. Quod non solum de Episcopo, sed etiam de omnibus, qui domui Dei deseruiunt intelligi oportet. Quæ enim in alijs membris Ecclesiæ vacant à culpa, sæpè in Sacerdotibus habentur illicita.

3 Ab improborum quoq; commercijs abstinebit Prælatus: quia cum sancto sanctus eris; malorum verò consortia vt plurimum bonos corrumpunt. Habebit igitur secum honesti testimonij clericos, qui possint irreprehensibiles inueniri. Et siquando illos, siue etiam laicos inter se dissidere contigerit, ad pacem magis, quàm ad iudicium compellat: inque illis corrigendis plus agat beneuolentia, quam seueritas: plus charitas, quam potestas. Neque dominari magis, quam consulere subditis cupiat; ne quod prouisum est ad concordiam, tendat ad dissidiũ.

4 Et quamuis Apostolus dicat, *Instruite in spiritu lenitatis*, intelligendum tamen est, Apostolum hæc non de correctione & iudicijs dixisse, sed de doctrina & prædicatione verbi. In corrigendo enim Prælatus debet miscere seueritatem lenitati. Nam misericordiæ multum demitur si seueritate omnino sit destituta. Ideoq; rectoribus inesse debet iustè consulens misericordia, & piè sæuiens disciplina, vt nec in disciplinæ rigore benignitatem mansuetudinis, nec rursus in mansuetudine districtionem deserant disciplinæ: quoq; seuerius castigare necesse est, non sæuientis plectatur animo, sed medentis. Et hoc est quod Apostolus voluit scribens ad Timotheum. *Argue, obsecra, increpa cum patientia & doctrina*.

5 Præterea cauendum est, ne Prælatus peruersè agentes, conniuendo toleret. Culpam enim facientis habet, qui quod potest negligit emendare: & error, cui non resistitur, approbatur.

6 Imprimis autem orationi & prædicationi insistat. Nã præconis officium suscipit, quisquis ad sacerdotium accedit. Hinc est quod super Pastores primos, in linguarum specie Spiritus Sanctus insedit. Populum itaque Prælatus prædicando doceat: sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicerit, non quæ illi caro, vel humanus sensus suaserit. Eapropter sacris libris iugiter insistere illum oportet. Nec enim sufficit Prælatis bona conuersatio, nisi addatur scientia doctrina. Est ergo proprium munus Episcopo-

F rum

rum prædicatio verbi, iuxta doctrinam Apostoli ad Corinthios dicentis. *Non misit me Dominus baptizare, sed Euangelizare*.

7 Episcopus ergo singulis diebus, vel celebret, vel audiat Missam: obq; sarcinam pastoralem non deserat delectationem contemplationis, & orationis, cui plus fidat, quam suæ industriæ, vel labori.

8 Debet præterea Episcopus hospitalis esse & liberalis in egentes & mendicantes, alienam inopiam suam credens. Quomodo enim alijs prædicabit opera pietatis, si ipse ea non exercet, & domum propriam hospitibus aut peregrinis claudit? Domus itaque Episcopi debet esse commune hospitium omnium, vt inquit D. Hieronymus. Laicus enim vnum aut duos recipiens, impleuit hospitalitatis officium; Episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est.

9 Episcopus non abutatur rebus suis, nec eas inter histriones, venatores, aut aucupes dispenset: pauperes potius in hospitio recipiat, & facilius exemplo suo ad hospitalitatem subditos attrahat. Domus enim Episcopi, & conuersatio illius, est magistra publicæ disciplinæ; & quicquid fecerit, id sibi omnes faciendum putant. Hinc Diuus Gregorius. Validiora sunt exempla quàm verba; & plenius operatione docetur, quàm voce.

10 Sobrius quoque sit Episcopus, non vinolentus; & abstinens à spatiosis domibus, lautis conuiuijs, & epulis conquisitis multo labore, quia teste Iob, *Non inuenitur sapientia in terra suauiter viuentium*: idest, in hominibus vacantibus epulis & delicijs huius mundi: qui lege euangelica proijciendi sunt in tenebras exteriores, *vbi erit fletus & stridor dentium*. Peccat igitur Episcopus si excedit in victu vestitu, domo, & familia.

11 Non sit etiam percussor, & ad vindictam facilis: immo in omni genere rerum agendarum prudentiam secum habeat. Si enim mancum, aut debilem, Sancta contingere nequaquam lex Diuina permittit, quanto magis

doni

doni cœlestis dispensatores esse non conuenit, id quod est deterius, mente debilitatos?

12 Sicut autem Episcopum nullo errore conuenit inuolui, ita nulla debet cupiditate corripi: & propterea lucri cupidus esse prohibetur, & alicui etiam honesto negotio (puta, medicina, chirurgia, aduocatione, tabellionatu, procuratione, aut mercimonio) vt sibi victum & necessaria quærat, operam dare. Nam & Dominus negotiatores de templo verberatos expulit; & Apostolo teste, *Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus*.

13 Pudicus quoque debet esse, & moribus & verbis pudorem præseferens. Eapropter Moguntino Concilio statutum legitur, vt nullus Sacerdos fœminas, de quibus suspicio potest esse, retineat. Sed neque matrem, aut amitam, aut sororem retinebit; quia in illis, instigante diabolo, scelus perpetratum reperitur, aut in pedissequis earum. Itaque domesticarum quoque personarum immoderatam familiaritatem vitabit.

14 Oportet item Episcopum, cæterosq; ecclesiasticis officijs mancipatos, per decentiam habitus extrinseci, morum intrinsecam honestatem indicare. Et ideo, si, præterquam ex causa vrgenti, (puta, terras infidelium, vel hæreticorum transeundo) indumentis, præter ordinis ac officij decorem, præsertim publicè luxurietur, illorum impudentia varijs modis, non minus recentioribus, quã antiquis Pontificum decretis coercetur.

15 In summa, cum pro populo Episcopi suffragatores ad Deum parentur, necesse est, vt omni genere virtutum eius gratiam habere nitantur: quia cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur.



TITVLVS XII.

De Officio, & Potestate Ordinarij.

1 Videamus nuuc, quæ sint Prælatorum partes, & quæ potestas, & Ordinariorum in primis, id est eorum, vt Ostiensis docuit, qui suo iure, vel Pōtificis beneficio iurisdictionem vniuersaliter exercere possunt: cuiusmodi sunt Legati apostolici, Patriarchæ, Primates, Metropolitæ, Episcopi. Item quiuis collegiatæ Ecclesiæ Præfectus, quamuis Episcopo inferior, eiq; subditus. Nam & is iurisdictionem in plebem suam habet, eiusq; excommunicationem in subditos contortam, etiam Episcopus seruare tenetur: nec potest eam auferre, nisi excommunicatus satisfecerit, & ipse Prælatus admonitus de relaxatione ab Episcopo fuerit.

2 Gubernacula verò episcopalia nonnisi maioribus populis, & frequentioribus ciuitatibus præsidere oportet, ne dignitas vilescat absque Clero numerosiore, & Diœcesi, cui dominetur cum imperio spirituali.

3 Horum igitur Ordinariorum, qui episcopali gradu sunt illustrati, officium, & potestas erit, in suis Diœcesibus adulteria, hæreses, & scelera inquirere, vlcisci, & iudicare, præsertim vbi officium Sanctæ Inquisitionis non est separatum. Et cum opus fuerit, manum quoque secularem sibi auxiliarem adsciscent.

4 Item hæc sunt iura Episcoporum, in ecclesijs & sacellis suæ Diœcesis canonicam obedientiam habere, ac institutionem, & destitutionem (cum Capituli tamen consilio) correctionem & reformationem, & censuram ecclesiasticam, & iurisdictionem causarum omnium ad forum ecclesiasticum de iure spectantium, Sacramentorum quorundam collationem, Synodum, & Synodatici, seu Cathedratici nomine (vbi vsus, & consuetudo est) certam portionem, quartam decimationum, & mortuariorum

rum; visitandi etiam ius, & visitationis nomine procurationem moderatam, & charitatis subsidium.

5 Item possunt Episcopi suæ Diœcesis Ecclesias vnire: Ecclesias, altariaq; sacrare, & post pollutionem abluere, & purgare. Chrisma, Oleum Catechumenorum, & Infirmorum conficere, ad Ordines promouere, & literas dimissorias dare. Abbates, & Abbatissas, & Moniales benedicere, & sacrare Episcopos; aliosque sibi subditos Prælatos confirmare. Cum illegitimis benignè agere, vt ad minores ordines, simpliciaque beneficia promoueri possint. Causas matrimoniales cognoscere; hæ enim præcipuè Episcopo cognoscendæ reseruantur. Publicas pœnitentias iniungere, indulgentiarum literas concedere. Multaq; alia munia exercere.

6 Cum autem Episcopus in tota sua Diœcesi iurisdictionem ordinariam habeat, dubium non est, quin quocunque in loco Diœcesis non exempto possit per se, aut per alium, pro tribunali sedere, causas fori ecclesiastici audire; personas ecclesiasticas, si earum merita exposcant, capi iubere, & in carcerem detrudi; cæteraq; ad eius officium spectantia exercere.

7 Sanxit quoque sacrosancta Synodus Tridentina, vt nemo secularis Clericus, cuiusuis dignitatis, vel Clericus regularis cuiusuis Ordinis, & Societatis, extra monasterium degens, (cum autem de Regularibus seu Religiosis iura loquuntur, intellige etiam Societatis Iesu Clericos includi per Bullam Vrbani VIII. anno Christi 1634. publicatam; nisi per expressum sint in casu aliquo exempti) etiam sui Ordinis priuilegij prætextu censeatur tutus, quominus, si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc à Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat.

8 Archiepiscopus verò, & si in omnes prouinciæ suæ Suffraganeos habeat iurisdictionem, in suorum tamen Suffraganeorum subditos potestatem non habet; quibusdam exceptis articulis. Sic & Pattiarcha non potest

de

de causis eorum cognoscere, qui Archiepiscopi sui, vel Episcopi sub ditione sunt: nisi appellatione ad eum legitimè interposita: aut consuetudinis alicuius, vel priuilegij iure.

9 Si contingat varias linguis, & ritibus nationes, eiusdem tamen Christianæ religionis, & doctrinæ cultores, eandem ciuitatem, vel Diœcesim incolere, Pontifices eorum locorum, viros idoneos conquirere debent, qui pro linguarum, & rituum varietate eis diuina officia celebrent, & sacramenta Ecclesiastica propinent, instruentes eos verbo pariter, & exemplo.

10 Episcopis qui se pontificijs quibusdam muneribus obeundis non esse idoneos sentiunt, puta, verbo Dei ad populum ferendo, Ecclesijs inuisendis, reatibusq; subditorum audiendis, & pœnis condignis ob crimina inurendis: vel qui aliqua iusta causa perpetuo impediti sunt, ægritudinis fortè, vel senij, vel alia: idoneos viros de Capituli sui, vel maioris partis consilio, & assensu, authoritate apostolica sibi adsciscent, qui has partes eorum vice strenuè obire possint, qui homines Coadiutores, vel Cooperatores appellantur, & de prouentibus Prælatorum, quibus cooperantur, sumptus moderatos capiunt. Cuiusmodi virorum copia, vt ne vnquam desit, pro vsibus Ecclesiæ, multi his artibus, & disciplinis optimis prædititi in Ecclesijs instituendi sunt.

11 Coadiutores verò Episcopis, alijsq; Prælatis, non alias cum futura successione dari solent, nisi causa prius à Summo Pontifice cognita. Hinc generaliter sciendum est, neminem esse in officio, quod prætendit à Sede apostolica sibi collatum, facile accipiendum, qui apostolicos codicillos non ostendat: nisi, & qui eos receperint, & ipsi recepti pœnas canonicas experiri velint.



T I-

TITVLVS XIII.

De Officio Archidiaconi.

1 QVoniam verò grauis, & lata est pastoralis officij cura, rectè constitutum est, vt aliqui in Ecclesia sint, qui vnà cum Episcopo onus ferant, & sui Prælati valeant subleuare solicitudinem. Talis est Archidiaconus, qui maior post Episcopum, & eius à iure Vicarius constitutus est. Cuius vigilantia, & solertia, vsq; adeo in domo Domini excubare debet, vt *oculus Episcopi* non immerito meruerit appellari.

2 Archidiaconus itaque Cleri vniuersi curam habet, tàm in vrbe, quam in parochijs: præest Archipresbytero, Primicerio, Custodi, Sacristæ, & vt iniuncti sui muneris solicitudinem diligenter exequantur, dispiciet. Imperat Subdiaconis, & Leuitis: parochiarumq; sollicitudo & ordinatio ad ipsum pertinet. Iurgia singulorum cognoscit, & quæ corrigenda aut emendanda viderit, corrigere, & emendare tenetur: instaurandisq; Ecclesijs pręest.

3 Quod si qua fuerint ita ardua, quæ per eum commodè non possunt terminari, ad Episcopum suum deferet. Ipse Leuitas de eorum officio instruit, & iubet eos sacras vestes induere; omneq; officium ecclesiasticum ipse disponit. Lectiones, aut responsoria in matrice Ecclesia præscribit, vel audit, ita vt nemo Euangelium sacrãue Epistolam, aut responsoria, aut aliam quamlibet lectionem in Ecclesia legere, aut canere possit, nisi prius ab Archidiacono exauditus. Acolythis quoque ipse officia diuidit, præcipiendo quis eorum candelabra, quis thuribulum gestare, & quod quisque minorum in Ecclesia munus obire debeat.

4 Qui ad sacros Ordines promouendi sunt, eius examini subjci debent. Eius quoque officij est, examinatio eorum qui sunt Ecclesijs præficiendi, quos etiam ipse coram Episcopo sistere debet. Idem Prælatos in sede locat-

nam missio in corporalem beneficiorum, & officiorum possessionem, eius officij est. Non tamen aut animarum curam citra Episcopi mandatum committere potest, aut in aliquos sententiam excommunicationis promulgare; aut aliquem extero Episcopo sistere debet aut commendare ordinibus suscipiendis, aut in monasteria iurisdictionem habere; nisi consuetudine præscripserit.

5 Dicitur itaque Archidiaconus, quasi princeps ministerij, & administrationis iurisdictionis: & ideo non potest ad nutum Episcopi remoueri, quia in dignitate positus est primaria post ipsum, ante Præpositum, & Vicarium in spiritualibus.

6 Debet quoque Archidiaconus quolibet tertio anno, si Episcopus non poterit, vniuersam Diœcesim circumire visitando, & cuncta, quæ ordinatione, vel emendatione indigere viderit, secundum canonicas sanctiones corriget. Et si Episcopi authoritas accesserit, excommunicationis etiam sententiam feret.

TITVLVS XIV.

De Officio Archipresbyteri.

1 ARchidiaconus olim inferior ordine habebatur Archipresbytero, quia tantum Diaconus erat in dignitate tamen, & administratione propter curam fori contentiosi maior habebatur, cum Archipresbyter solum exerceret curam fori pœnitentialis. Nunc postquam dignitas archidiaconalis deuenit iam ad Presbyteros, nemo est qui dubitet Archidiaconum præcellere Archipresbytero. Cæterum quia & hic Prælati sui curam circa spiritualia subleuat, non absimilis esse Archidiacono dicitur, præsertim cum tiara, quoq; episcopali, ex permissione Sedis Apostolicæ, vtitur.

2 Sciendum autem est, quod Archipresbyter in alijs

pro-

prouincijs, præsertim Septentrionalibus, in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs, vocatur Præpositus, qui in diuinis gerit vices Episcopi, sed quia non est in iurisdictionalibus, nec potest procedere contra Canonicum, vel alium delinquentem, quemadmodum Archidiaconus (nisi habeat talem iurisdictionem ex priuilegio, vel consuetudine, aut præscriptione) ideo inferior Archidiacono dicitur esse, tamen cæteris Præsbyteris aut Canonicis eminet, ac præest.

3 Duplex autem est species Archipresbyterorum, alij vrbani sunt, & alij rurales, seu exteri. *Vrbani sunt*, qui Præsulis sui absentia, circa diuina in Cathedrali vicem sustinent, aut præsentis curam minuunt, vt officium, inchoando, celebrando, benedicendo in matutinis, quando legi debent lectiones, & cunctis prouidendo, quæ sacerdotum ministerio perfici debent. *Exteri sunt*, qui circa singulas plebes in oppidis aut villis constituti, nō solum vulgi sollicitudinē gerunt, verum etiam presbyterorū, qui per minores titulos gubernant plebem, vitam iugi circumspectione custodire debent, (& vulgo dicuntur in partibus Septentrionalibos, *Decani Rurales*) qui licet suis præsint plebibus, vt Episcopus matrici præest Ecclesiæ, nihil tamen contra sui Pręsulis ordinare decretum audire debēt.

4 In ciuitate vbi habetur Archipresbyter Collegiatam gubernans Ecclesiam, cura animarum dicitur pertinere ad omnes Canonicos, quibus ille potest præcipere vt administrent sacramenta, etiam sub pœna excommunicationis, cum ipse non valeat omnibus ministrare. Vnde si quis ex eius negligentia sine confessione moriatur, reus erit animæ illius.

5 Idem cæteris sacerdotibus pœnitentiam iniunget: horas dicendis officijs partietur: sacrisq; diebus aut ipse missam solenem dicet, aut alij hoc munus delegabit. Et quæ corrigenda viderit, Episcopo renunciabit.

6 Admonendi sunt autem ij, qui Præposituræ alicuius administrationem canonicè volunt obtinere, vt non so-

lium nomen, verùm etiam ordinem habere studeant. Vnde nisi, qui Archidiaconatum tenent, Diaconi; aut qui Archipresbyteratum, presbyteri infra annum fiant, amittent honorem, etiamsi iusta causa prohibente presbyteri, aut diaconi esse non potuerunt.

TITVLVS XV.

De Primicerio, & Custode.

1 PRimicerius, qui & alio vocabulo à quibusdam appellatur Cantor, seu Præcentor, Archidiacono subest; quemadmodum etiam Archipresbyterum ei subesse diximus; curamq; hanc præcipuam gerit, vt Diaconis docendi, reliquisq; gradibus, & ordinibus Ecclesiasticis incumbat, & iuxta consuetudinem Diaconis præscribat lectiones, quæ ad nocturna officia Clericorum pertinent.

2 Eiusdem officium est præfigere, qua hora signum Campanæ officijs celebrandis dari debeat, & ipsorum officiorum munia per Clericos diuidere.

3 Item ordinem, & modum canendi in Choro præfigere pro solemnitate, & tempore. Et si qua re Basilicis sarciendis opus esse viderit, Sacerdotem monere. Ipse Epistolas Episcopi pro diebus ieiuniorum Sacerdotibus, Parochis, per Ostiarios reddi curabit. Clericos, quorum errores cognouerit, idem coercebit: quos verò ipse coercere non valebit, eorum commissa Episcopo reteget.

4 Basilicarum ipse ponet custodes; & tabulam, quam matriculam vocant, ipse disponet. Eo autem absente, hunc curabit qui illi lege, vel eruditione proximus fuerit.

5 Custos verò Ecclesiæ is dicitur (qui & thesaurarius vocatur) cui ea, quæ Ecclesiæ competunt, custodienda traduntur; munimenta, & priuilegia, libri, regestra, census; vasa & vestes sacræ, omniaq; ornamenta quæ in Sa-

crario asseruantur. Hic Sacristam seu Vicecustodem cõstituit, atque Ostiarios Basilicarum; thus incendendum, & luminaria per eos præparat; curam Chrismatis suscipit conficiendi, & Baptisterij instruendi. Subest autem Archidiacono, vt & alij.

6 Vicecustos seu Sacrista hæc propria munera habet, vt horarum Canonicarum signa det tintinnabulorum pulsatione Archidiacono iubente. Pallia, vel linthea altaris, omniaq; Ecclesiæ vtensilia, nitide ac decenter perpetua custodia seruare debet: parietes & pauimentum purgare sæpesepius ostiarijs iubebit. Panis & vini ad Missæ sacrificium copiam suppeditabit. Eleemosynas, & prouentus diuersos Archidiacono consentiente presbyteris diuidet; & in omnibus se vigilem præstabit, ne qua negligentia aut soccordia in Ecclesia Dei notari possit.

TITVLVS XVI.

De Officio Vicarij.



1 DVAE sunt species Vicariorum. *Alij à iure constituti*, qui proprio nomine deseruiunt Ecclesiæ, vt Archidiaconus, Archipresbyter, & alij de quibus supra egimus latiùs. *Et alii constituti ab homine*, vt sunt Vicarij Generales Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, in Spiritualibus. Et Vicarij foranei, vulgò Officiales, qui in diuersis prouincijs magnæ alicuius Diœcesis (quales sunt in partibus Septentrionalibus, & præcipue in Polonia) vices Episcopi sui in spiritualibus gerunt. Itemq; Parochorum, & Canonicorum vicarij, qui sacramenta administrant populo, & in choro loco Canonicorum (vt est vsus in Polonia) officium diuinum decantant. Quibus addas, & tertiam speciem vicariorum, qui à Sede Apostolica ad certam prouinciam regendam deputantur.

2 Cum enim frequenter eueniat Episcopos, aliosue inferiores Prælatos necessarijs causis impeditos, non posse officijs suis tàm in diuinis celebrandis, ministerijs, quàm in iure dicendo superesse, idcirco permittunt leges aliorum opera vti, & sibi legere viros idoneos, quibus tutò possint vices suas mandare, quos propterea vicarios vocant. Qui *vel sunt Perpetui*, appositi beneficijs vnitis alijs Ecclesijs, vel Collegijs Religiosorũ. *Vel temporales*, qui solummodò ad tempus, & voluntatem, aut obitum constituentis fiunt. Prout & officium vicariatus Episcopi durat solummodò viuente Episcopo. Reuocatur autẽ translatione ipsius ad aliũ Episcopatũ: vel cessat obitu illius.

3 Licet per generalem officij commissionem vicario factam, causarum cognitio transferatur, potestas tamen Episcopalis, inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus; seu aliquos à suis beneficijs, vel administrationibus amouendi; vel beneficia conferendi (nisi specialiter concessa sit) non transfertur.

4 Cum autem Episcopi, & sui Officialis Generalis idẽ sit auditorium, & subsellium, tunc à Vicario Generali non ad Episcopum, sed ad Archiepiscopum erit appellandum. Ab Officialibus verò foraneis, ad ipsum cui immediate subiacent Episcopum datur appellatio.

5 Habens curam animarum in diuersis Ecclesijs, non potest Vicarius esse: neque commendarius alicuius Parochi. Similiter & Laicus Vicarius aut Commendarius esse nequit: quia indecorum esset hominem laicum viros Ecclesiasticos iudicare, aut gubernare. Prout & Honoriana constitutione cauetur, vt Episcopus eum, qui perpetuam vicariam obtinet, per subtractionem prouentuum, vel ipsius vicariæ ablationem compellat, vt se in presbiterum promoueri faciat.

TITVLVS XVII.



De Coadiutore.

1 INter illos qui adiuuant Episcopum in sua cura pastorali, connumeratur etiam Coadiutor. Accidit enim persæpe vt Episcopus senio, vel corporis valetudine impeditus, aut sanè mentis consilio destitutus super suum gregem excubias ducere non possit, eapropter vir prouidus, & honestus illi in Coadiutorem adiungendus est, per quem tàm Episcopo, quàm populo vtiliter consulatur. Cuius datio, cum de causis maioribus esse constet, ad Sedem Apostolicam, nulla obstante consuetudine, referenda est.

2 Duplex autem est Coadiutor, *Perpetuus scilicet*, cum futura successione, vt post cessum, vel decessum Coadiuti conferatur beneficium Coadiutori. Et tales dari prohibentur, quia successionem, & quasi hæreditatem petunt, non gloriam Dei. *Et Temporalis*, quia nulla spe futuræ successionis ad labores pro Episcopo obeundos datur legitimè Et talis cum consensu Episcopi, habet liberam potestatem in spiritualibus, & temporalibus.

3 Non solùm Episcopis datur Coadiutor, sed etiam, si res exigat, inferioribus Prælatis; si vel morbo aliquem contigerit impediri, vt ecclesiasticis ministerijs, vel nullo pacto, vel nonnisi cum scandalo interesse possit. Ita tamen res temperanda erit, vt vtrique, coadiuto scilicet, & Coadiutori, iuxta facultates Ecclesiæ, vitæ necessaria ministrentur.

4 Olim quibus cum Episcopis communis erat ministeriorum dispensatio, Corepiscopi, & quasi socij laborum vocabantur: quorum nunc vsus, & in Romana Sede, & in alijs Orbis Ecclesijs sublatus est.

TITVLVS XVIII.

De Translatione Episcopi.

1 HActenus de ſpiritualibus coniugij fœdere egimus, quod inter Epiſcopum, & eccleſiam cõtrahitur, initiaturq; electione, vel poſtulatione; ratificatur confirmatione, & conſummatur conſecratione. Similiter vidimus de moribus Prælatorum, deq; vicarijs, & Coadiutoribus Epiſcoporum: nunc neceſſe eſt vt tractemus quibus modis Epiſcopus ab eccleſia remouetur, & ſic quomodo tale coniugium præter mortem diſſoluitur. Contigit autem id tribus modis, translatione, Renunciatione, & Depoſitione ſeu Degradatione; de quibus ſingulis videamus.

2 Antiquitus non licebat Prælatis eccleſiæ tranſire ad alias eccleſias, tum propter obligationem perſonaliter ſeruiendi eccleſiæ, quàm in ſuam curam quis ſuſceperat; tum ob vinculum matrimonij ſpiritualis per ingreſsũ cõtractũ. Nunc Translationes (quæ, & mutationes nuncupari poſsũt) inſtitutę ſunt vtilitatis, & neceſſitatis gratia.

3 *Vtilitatis*, cum Epiſcopus ab ea ciuitate, cui præpoſitus eſt, in aliam transfertur, in qua magis proficere poſſe veriſimiliter exiſtimatur. Sic olim Princeps Apoſtolorum de Antiochena ciuitate ſe Romam tranſtulit, vt ſcilicet ibidem copioſius proficere poſſet.

4 *Neceſſitatis*, cum vrbe capta, ab hoſte eccleſia deuaſtatur. Sed hoc caſu, ſi ciuitatem, de qua effugerit Epiſcopus, ab hoſtibus liberari, & ad priorem ſtatum contigerit reuocari, ad eam expulſus redire cogitur.

Et itaque Translatio, de ſede in ſedem facta commutatio. Vel aliter. Eſt ab vna eccleſia ad aliam eccleſiam, regulariter facta tranſitio. Id eſt, cum ſcitu Sedis Apoſtolicæ. Ad ſolum enim Romanũ Põtificem Epiſcopos transferre pertinet. Quod obtinet non ſolùm ſi Epiſcopus eſt cõſecratus, verùm etiam ſi tantùm Canonicę fuit electus, & con-

& confirmatus. Cuti, vt supra diximus, post electionem, & confirmationem inter personas eligentium, & electi coniugium sit spirituale contractum.

6 Quicunque autem auaritia ducti, aut ambitione impulsi, ecclesiæ suæ mediocritate despecta, ad maiorem sese plebem propria auctoritate transtulerint, etiamsi à populo fuerint attracti, à Cathedra debent repelli aliena, & carere propria; vt nec illis præsideant, quos per superbiam spreuerunt; nec illis, quos ob auaritiam, vel ambitum concupiuerunt.

7 Non absimilis iuris ratio obtinet in præsbyteris, & cæteris infra Episcopalem dignitatem constitutis. Nam si vel qualibet causa propria quis auctoritate cum altero suum beneficium permutare voluit: vterque proprij beneficij iacturam faciet. Beneficiorum enim, & præbendarum permutationes generaliter fieri prohibentur; præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel spirituaibus annexa, semper labem Simoniæ continet. Licet possit Episcopus de vno loco ad alium aliquos transferre, vt qui vno loco minus sint vtiles, alibi se valeant vtilius exercere.

8 Debet autem permutatio esse libera, & sine fraude, vel alio pacto illicito facta. Si enim esset fraudulenta, vel metu aut dolo facta, esset nulla. Et idem est de renunciatione, ac resignatione sentiendum. Idcirco si permutatio beneficiorum completa fuerit ex vna parte, & per alterum stat quo minus impleatur, restituitur pars ad suum beneficium, cum iura deceptis, non decipientibus subuenire debeant.

9 Permutatio fiat cum iusta causa, pro vtilitate, seu necessitate ecclesiæ principaliter, non personarum permutantium. Quod si aliqua beneficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata, alijs quã ipsis permutare volentibus conferantur, nullius firmitatis erit collatio.

10 Quinimo, si in Diœcesi aliqua, quidam forte auctoritate Apostolica beneficia proximè vacatura expectant:

ctant: illi tamen, qui secundum formam iuris sua beneficia in eadem Diœcesi ad Ordinarij collationem spectãtia, liberè aç sine fraude in manibus Episcopi resignauerint, non nisi ex causa permutationis resignaturi. ab huiusmodi expectantibus circa faciendam permutationem minimè impedientur,

---

TITVLVS XIX.

De Renunciatione.

1. R*Enunciatio est*, rei vel iuris proprij spontanea facta refutatio. Alienis siquidem rebus, quæ in sua facultate, & potestate non sunt, nemo renunciare potest. Ita, si coactus renunciasset, renunciatio esset nulla.

2 Causæ verò propter quas Episcopus potest à Summo Pontifice cedendi licentiam postulare, sunt sex. Conscientia criminis. Debilitas corporis. Defectus scientiæ. Malitia plebis. Graue scandalum, & Irregulariras personæ; quas omnes causas Innocentius III. epistola sua ad Arelatensem Episcopum, dilucidè complexus est. Alias Prælatus, qui Summo Pontifici immediatè subest, pro crimine quantumuis graui, non potest ab alio, quàm ab ipso Summo Pontifice, Præfecturæ quam gerit, vacationem impetrare. Comprehenduntur autem supradictæ sex causæ his versibus.

Debilis, ignorans, male conscius, Irregularis
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere potest.

3 Crimen conscientiæ est illud, propter quod ipsius officij executio post peractam pœnitentiam impeditur, vt si homicida sit, vel Simoniacus, vel intrusus, adulter, aut concubinarius, vel aliquod aliud peccatum committat quod ipso iure irrogat infamiam, & cum post monitionem non resipiscens sustinet excommunicationem per

per annum vel vltra. In alijs verò criminibus de quibus potest pœnitere remanendo in officij administratione, non tenetur quis petere cessionem.

4 Non absimilis ratio in debilitate corporis obtinet: nam non quælibet, sed solùm illa legitimam renunciandi præstat causam, per quam quis ad exequendum officium pastorale redditur impotens. Siue illa debilitas proueniat ex morbo accidentali, siue ex senectute. Non tamen omnibus debilibus permittitur officium, vel dignitatem suam arbitrio suo deponere; nam & senes, & valetudinarij si Ecclesiæ sunt vtiles, & necessarij, vacationem ab officio non impetrabunt.

5 Magnus quoque defectus scientię tribuit legitimam causam renunciandi: quia cum illa circa spiritualium administrationem sit potissimum necessaria, circa curam temporalium opportuna; Præsul, qui in vtrisque commissam sibi debet Ecclesiam regere, salubriter ei renunciat, si quomodo ipsam regere debeat ignoret. Quamquam autem desideranda sit eminens scientia in pastore, in eo tamen mediocris tolerari potest, quia imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis. Tenetur autem Episcopus addiscere cum potest, quia alios docere tenetur; ideoq; aliorum doctrina indigere non debet. Alias si non habet cōpetentē literaturā, remoueri potest,

6 Similiter malitia plebis iustam tribuit renunciandi causam, præsertim quando plebs tam duræ ceruicis existit, vt apud ipsum amplius proficere non possit. Hoc fecisse leguntur etiam Apostoli ipsi, qui Iudæis incredulis & durę ceruicis dixerunt. *Ecce conuertimur ad gentes, quia verbi Dei vos indignos fecistis*, vt legitur in Actis cap. 13. Vnde si quis aperto mortis in discrimine versatur, dum Episcopatus sui administrationem strenuè gerere studet, ac in Ecclesia sua morari conatur; poterit missionem impetrare. Quamdiù autem est aliqua spes profectus, non potest Prælatus renunciare, quia iuxta D. Gregorij doctrinam, æquanimiter portandi sunt mali.

7 Item pro graui scandalo vitando, cum aliter sedari non potest; licet Episcopo petere cessionem, ne plus temporalem honorem, quàm æternam videatur affectare salutem. Alioqui vtiliùs scandalum nasci permittitur, quã vt veritas relinquatur. Quia veritas bonę vitæ, vel iustitiæ nunquam deserenda est; veritas verò disciplinæ nonnunquam; puta, quando multitudo peccantium est in causa, non tamen volunt defendere malum, quod faciunt, vt sunt commessationes, ebrietates, fornicationes, & alia peccata. Si verò volunt defendere malum, quod faciunt, & illud excusare quasi ex auctoritate, tunc multitudini parcendum non est, propter scandalum.

8 *Est autem scandalum*, secundum Diuum Hieronymũ Græcum verbum, quod offensionem, siue ruinam significat. Et definitur ab eo sic. Est dictum vel factum minus rectè, præbens occasionem ruinæ. Et quia peccatum cõtra charitatem est, qua Prælatus tenetur complecti subditos; & propter id debet renunciare Episcopatum, non exacerbare subditos temeritate sua.

9 Item ob Irregularitatem potest renunciari, puta, si sit bigamus, & non manifestauit impedimentum tempore suæ promotionis. Similiter, si de legitimo matrimonio non sit natus. Vnde imponi sibi debet pœnitentia, cum dispensatur. Tamen si culpa talis, & causa, id est, ipsa Irregularitas occulta est, dispensatur cum ipso propter vtilitatem Ecclesiæ, si suum laudabiliter impleuit officiũ.

10 Cæterùm, ob alias causas renunciationem affectantes audiendi non sunt, dum fortè aliqui laboris angustias declinantes, ad otium, aduersus gloriosi Pontificis Martini exemplum, aspirare contendant, qui dixit ad Deum. *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.*

11 Quando autem aliquis Episcopus, humilitatis, & pœnitentiæ causa, Apostolica concessione, ab episcopali sede, ad monachalem descendit subiectionem, ille iam rursus, vetante Constantinopolitano Concilio, non potest ad episcopalem dignitatem reuerti, quia ob huiusmo-

iusmodi ingressum dicitur mortuus mundo.

12 Sed si quis persecutionis rabie sæuiente; vel præpeditus aduersa valetudine corporis, non potuit administrare Episcopatum, & propterea Sedis apostolicæ auctoritate factus fuit Monachus: persecutionis, vel ęgritudinis impedimento cessante, potest reuerti ad episcopalē dignitatem. Cum status Episcopalis sit altioris ordinis, quam sit status Religiosorum. Hinc & Monachus qui nunquam fuit Episcopus, benè potest esse Episcopus, quia ad altiorem, & perfectiorem gradum promouetur. Qui verò conuictus est de crimine, & ob id detrusus est in monasterium, ille non poterit amplius redire ad Episcopatum.

13 Cæterùm, qui humilitatis causa, transiuit ad Monachatum de licentia Papæ, is licet per se non possit redire ad Episcopatum, poterit tamen de mandato Papæ. Sicut & ille, qui propter doctrinæ defectum locum regiminis deserens, auctoritate apostolica, ad otium se contulerat monachale, si per exercitium lectionis scientiæ reperit margaritam, proculdubio denuo vocatus ad Cathedram pastoralem redire poterit.

14 Rursus, si quis cupiditate parentum, simoniacē fuerit Episcopatum adeptus ignoranter, & hoc comperto de licentia superioris illum dimittens, obseruantiam elegerit regularem: Si fiat postea per pœnitentiam aptus ad officium pastorale, licet ad primum reuerti non possit; alium tamen Episcopatum benè consequi potest.

15 Renunciatio autem ad eum fieri debet, ad quem spectat & confirmatio. Vnde Abbas, qui Romanæ immediatè subditus est Ecclesiæ, nisi licentia à Romano Põtifice legitimè impetrata, sui regiminis oneri renunciare minime poterit. Quod si Episcopo subiectus sit, cum eiusdem permissione locum suum licito iure poterit relinquere. Et hoc generale est in præbendis, & cæteris minoribus beneficijs, vt apud eum fieri debeat renunciatio, ad quem pertinere dignoscitur confirmatio. Ex quo ap-

parere potest, quod resignatio facta laico, nullam iuris obtinet firmitatem.

16 Papa etiam potest libere renunciare Papatui, in manibus eligentium, si se insufficientem ad regimen vniuersalis Ecclesiæ reperit. Licet pauci reperiantur, qui hoc fecerunt.

17 Potest autem quis, non solum per semetipsum resignare, verum etiam per procuratorem. Nec intererit vnus constituatur, an plures in solidum, vel coniunctim. Et licet postea pœnitentia ductus procuratorem reuocare voluerit, si procurator iam renunciationem fecit, cessio per eum facta iam tenebit. Nisi forte dolo malo factum fuerit, quod ad procuratorem reuocatio ante cessionem peruenire non potuerit.

18 Qui verò impetrauit cedendi licentiam, & postea pœnitentia ductus renunciare non vult, talis Conciliorũ statutis ad cedendum compellitur, ne authoritas superioris sit in contemptu, & illusione.

TITVLVS XX.

De Depositione seu Degradatione.

1 VLtimus modus quo Episcopus ab Ecclesia remouetur, est Depositio seu Degradatio, quæ instituta est ad similitudinem exauctorationis militaris. Quando enim aliquis crimen contra dignitatem armatæ militiæ committit, tunc illi & ordo militaris, & insignia militaria ob delictum detrahuntur. Sic cum Episcopus de gradu deijcitur, coniugium inter illum, & Ecclesiam dissoluitur; priuaturq; & dignitate episcopali, & ordinibus sacerdotalibus.

2 *Degradatio itaque est*, omnibus gradibus, & ordinibus spoliatio. Quæ licet videatur idem esse cum Depositione, hanc tamen secundum proprietatem verbi differentiam

tiam habet: quod degradatio propriè dicitur respectu Ordinum, depositio verò respectu honorum & dignitatum. Item, depositio proprie est verbalis, quæ non eximit Clericum à potestate iudicis ecclesiastici, vt eum iudex sæcularis puniat cum solemnitate: degradatio autem est actualis, quæ eximit Clericum à manibus iudicis ecclesiastici, & tradit curiæ sæculari.

3 Ideo duplex est Degradatio. Verbalis & Actualis: *Verbalis degradatio est*, cum ab eo qui auctoritatem habet, assistēte certo Episcoporum numero, (puta duodecim) depositionis fertur sententia. *Actualis verò, siue, solemnis est*, cum non solum fertur sententia, verùm etiam ab eo, qui degradandus est, vestes, & singula insignia sui Ordinis gradatim auferuntur. Cuius ordo ac series, latissimè Bonifacij VIII. responso, ex Concilio Carthaginensi secundo desumpta, ad Arelatensem Episcopū describitur.

4 Et hæc Degradatio, licet auferat omnia priuilegia clericalia, tamen non aufert characterem Ordinis, nec votum continentiæ. Ideo degradatus non poterit contrahere matrimonium si erat in sacris; & multo minus depositus ab ordine.

5 Quod si degradandus est in minoribus tantùm constitutus, ex forma Sacri Concilij Tridentini, proprij Episcopi sententia, absque vllorum Episcoporum interuentu, satis erit. Similiter in degradatione Sacerdotis, ob causam hæresis, solus Episcopus conuocatis Abbatibus, & alijs Prælatis, virisq; suæ diœcesis pietate, ac bonis artibus instructis, degradare poterit.

6 Clericus igitur ob graue flagitium degradatus, cum ab ecclesiastico foro fuerit projectus, sæculari curiæ traditur puniendus. Vnde celebranda erit talis degradatio sæculari præsente potestate: & cum perfecta fuerit, pronunciandum vt sæcularis iudex degradatum, tanquam clericali priuilegio exutum, in forum suum recipiat puniendum. Pro quo tamen Ecclesia debet intercedere, vt citra mortis periculum in eum sententia moderetur. Et si

impe-

impetrauerit, & degradatus pœnæ ſuperſtes fuerit, ab administratione ſui Ordinis debet abſtinere. Officium autem dicere non ſolum non vetatur, verum etiam grauiter peccat non dicendo.

7 Degradatio eiuſmodi non ſolet fieri, niſi in tribus criminibus. Falſi commiſſi in literis Apoſtolicis, Hæreſis, & parricidij Epiſcopi, vel Presbyteri. Aſſaſſini verò, & in alijs atrociſſimis criminibus deprehenſi, poſſunt puniri etiam vltimo ſupplicio à curia ſæculari, ſine degradatione, tanquam incorrigibiles.

8 Quod ſi cingulo militiæ cœleſtis exauctoratus, auſu temerario ſibi dudum commiſſum audebit in poſterum attrectare miniſterium (tamen celebrando conficeret corpus Dominicum) etiam ab Eccleſia ex canone Apoſtolorum erit abſcindendus.

TITVLVS XXI.

De officio, & poteſtate Capituli Sede vacante.

1 Coniugio ſpirituali inter Epiſcopum, & Eccleſiã diſſoluto, morte vel translatione illius, aut renunciatione, depoſitioneue; eius munerum partem ſubit Capitulum; omniſq; iuriſdictio & poteſtas ordinaria, quæ Epiſcopo competebat, tam in ſpiritualium, quam temporalium adminiſtratione, interim ad ipſum ſpectat.

2 Quocirca Sede vacante Capitulum electiones confirmat, vel infirmat; & oblatos ſibi ab Eccleſiarum Patronis, tàm Laicis, quàm Clericis in Eccleſijs inſtituit. Iudices dat. Condit ſtatuta. In omnibus illis caſibus diſpenſat, quibus etiam Epiſcopus. Et poteſt vicinos Epiſcopos conuocare, qui Chriſma, & Catechumenorum,

Infir-

infirmorumq; oleum conficiant, vt de more quotannis fieri consueuit solenni Coenæ Dominicæ die Missa celebrata. Quiq; candidatos ad Ordines promoueant, Ecclesiasque Cœmeteria, altaria, calices cõsecrent & reconcilient. Confirmationis Sacramentum, cum sancto Chrysmate conferant: Abbatibus, Abbatissisque, campanis, & mappis benedicant; cæteraq; omnia quæ Episcopalis Ordinis sunt, exerceant.

3 Quin & Metropolitanæ Ecclesiæ Capitulo, dum ea Sedes vacat, potestas est, Suffraganeis eius prouinciæ mãdare, vt aliquem Suffraganeũ confirmatum consecrent.

4 Concedit etiam Capitulum Sede vacante, literas dimissorias. Et ius visitandæ Diœcesis suæ habent.

5 Item Capitulum pensioni transactionis causa beneficio imponendæ author non minus fieri potest, quam idem ipse Episcopus posset.

6 Præterea, potest beneficium eius qui in curia decesserit, Summi Pontificis largitioni seruatum, post mensem conferre, si illud Summus Pontifex non contulerit, quẽadmodum & Episcopus posset. Sed & menses, quos Episcopus ad conferendum habet, Capitulum eosdem pariter Episcopo defuncto, aut aliter ecclesia vacante, præcipuos habet: adeò, vt non possit quis Literarum pontificiarum vi beneficium expectans, his mensibus vacans beneficium assequi.

7 Potest etiam Capitulum Sede vacante, vicarium Episcopalis iurisdictionis creare, (vulgo administratorem vocant) & creatum arbitrio suo reuocare. Quem infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentẽ confirmare omninò tenentur: sin secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio huiusmodi deuoluatur. Et si ecclesia ipsa metropolitana pro tunc vacans fuerit, vel exempta, cuius Capitulum in creando vicario negligens fuerit, liceat tunc temporis antiquiori Episcopo, ex Suffraganeis in Metropolitana, propinquiori autem Episcopo, in exempta, Oeconomum & Vicarium idoneos conpu-

stituere; à quibus deinde Episcopus ad vacantem ecclesiam promotus, rationem exigat officiorum, iurisdictionis, & administrationis. Et si deliquerint, poterit eos punire. Similiter eidem Episcopo promoto tenetur Capitulum de scripturis ad ecclesiam pertinentibus rationem reddere, si quæ ad Capitulum peruenerint.

8 Similiter fructuum percipiendorum munus, eidem Capitulo incumbit, Oeconomum vnum, vel plures assignando, qui rerum ecclesiasticarum, & prouentuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri.

9 Item, si ad Episcopum, & Capitulum communiter pertineat collatio præbendarum, defuncto Episcopo, vel à beneficiorum collatione suspenso, vel aliter vacuam Sedem suam relinquente, poterit Capitulum vacantes conferre præbendas, etiamsi Episcopus collationi tanquam Prælatus, non vt simplex dumtaxat Canonicus interesse potuisset. Et versa vice, idem poterit Episcopus, si contigerit Capitulum à collatione suspendi, vel singulariter ipsius Capituli vnumquemque excommunicationis vinculo innodari.

10 Cum verò ad solum Episcopum, præbendarum spectat collatio, cum consilio Capituli sui, vel assensu; defuncto Episcopo, vel suspenso (nisi Episcopus in petenda suspensionis relaxatione sit in mora) Capitulum proculdubiò eas non confert: quodammodo enim alienare dicitur & donare, qui beneficium confert; at ius alienandi Capitulo competere nemo dixerit. Adde, & quod, cum beneficiorum conferendorum potestas in fructu iurisdictionis Episcopalis sit, fructus successori seruandos, nemo dubitat.

11 Sede autem vacante nihil nouari contra eam potest; & ideo prius vnita illi ecclesia dissociari non debet: & iudicium contra ecclesiam Sede vacante legitimo defensore carentem institutum non tenet.

TITVLVS XXII.

De officio, & potestate Legati.

1 CVM multa sæpe accidant, quæ ita ardua sunt, vt per locorum Ordinarios absolui non possint, sed supremi Pontificis potestatem authoritatemq; desiderent; ipse autem Romanus Pontifex omnibus vbique præsto esse non possit, suam authoritatem impertiturus; necessarium fuit, vt aliquis in prouincias latissima cum potestate mitteretur, qui Romani Pontificis gerens vicem ea administraret, quæ alioqui Sedis Apostolicæ potestate eguissent, eò factum est, vt Legati à Sede Apostolica in prouincias mittantur: quos, si qui nõ admiserint, aut impedierint, ipso facto in sententiam excommunicationis incidunt, eorumq; terræ ecclesiastico subijciũtur interdicto, nulla cõsuetudine cõtraria attẽta.

2 Atque hi *Legati triplicis generis sunt*. Nam aut Cardinalium è Collegio sunt, qui & propterea de latere Summi Pontificis Legati dicuntur; quod ab eius latere, cui hærere eos decet, cum in prouincias mittuntut abscedunt, nec frequenter curiam exeunt, nisi cum tali officio, & potestate legationis.

3 Aut sunt Cardinalibus inferiores, quibus ipsorummet ratione, & meritis id munus concessum est, qui *Legati Constituti* dicuntur.

4 Aut qui hoc legationis officium alij dignitatis suæ annexum habent, vnde & *Legat Nati* appellantur, quòd vnà cum dignitate, (puta Archiepiscopatus) quam habent, id officium nascatur, vt eius speciei esse dicuntur, Archiepiscopus Eboracensis & Cantuariensis, in Anglia: Remensis in Francia: Pisanus in Italia: Gnesnensis in Polonia. Omnes enim hi, & si qui similes in prouincijs sui Archiepiscopatus, præter Archiepiscopalis dignitatis potestatem, hanc quoque Legati authoritatem obtinent.

5 Atque omnes Legati, cuiuscumque ex supradictis

tribus ſpeciebus ſint, ordinariam proculdubiò iuriſdictionem habent: quare nec cum Pontificis Romani vita, à quo Legati ſunt, eorum iuriſdictio expirabit. Et Legati quidem Cardinales ferè Proconſulibus comparari poſſunt: qui verò Legati Cardinalibus ſunt inferiores, cæteris Præſidibus antiquorum Romanorum comparantur quibus certæ ſunt decretæ prouinciæ regendæ.

6 Horum autem Legatorum omnium officium eſt, cauſas audire eorum, qui in prouincijs ſuis ad ſe accedunt, & de querelis ad ſe delatis cognoſcere, & Concilium prouinciæ vocare.

7 Beneficia autem vacantia iure legationis conferre Legato Cardinali tanlùm à iure permiſſa eſt poteſtas: alijs autem Legatis non: niſi nominatim à Summo Pontifice eis concedatur. Sed ſi beneficium, de quo conferendo agitur, in alicuius Laici patronatu ſit, hoc neque Legatus à latere conferre poteſt. Quamuis tunc poſſit, cum ſub patronatu Clerici eſt, ratione Eccleſiæ, quam Clericus ipſe habet.

8 Poſſunt etiam Legati cuiuſcumque generis ſint, facere ſtatuta in prouincia ſibi commiſſa, poſt depoſitum quoque officium vim nihilominus habitura. Et nemo dubitat poſſe etiam eos delegare, quorum tamen delegatorum iuriſdictio vnà cum Legati officio, niſi citatione præmiſſa, perpetuata ſit, extinguetur.

9 Indubitati quoque iuris eſt, poſſe Legatum à latere ſuæ prouinciæ beneficia, ſuæ collationi reſeruare: quæ tamẽ reſeruationes ſuæ legationis authoritate factę, poſt legationis officium obitum, nullius erunt momenti; & proceſſus ſuper eis agitati, nihil virium tunc habebunt. Cuiuſmodi ſunt (exempli gratia) decreta ſuper hiſce reſeruationibus interpoſita, nec non denunciationes, & inhibitiones per eum, vel per executores ab eo datos factæ, dummodò ad ipſorum beneficiorum collationem nondum ventum ſit. Et hæ quidem reſeruationes ſtrictè procedunt; quare nec in eadem eccleſia collegiata, vel

cathe-

cathedrali, nec beneficiorum, quæ ad eiuſdem pertinent iuriſdictionem, duas eodem tempore reſeruationes Legatus, vel habere, vel facere poteſt.

10 Item poteſt Legatus Cardinalis quoſcumq; etiam propter manuum in Clericos iniectionem excommunicatos abſoluere, tàm in prouincia illi decreta, quàm extrà; tàm ſubditos, quàm extraneos, & aliunde profectos, dum ipſe Legatus extra vrbem Romanam agit. Nec minus hoc ei licebit, quamuis iniuria, propter quam excommunicationem incurrit, grauis fuiſſet, vt celeberrimis interpretum ſententijs receptum eſt. Grauemq; iniuriam æſtimant, *vel ex perſona*, cui illata eſt, vt ſi in Epiſcopum, vel Abbatem ſit manus iniecta: *vel ex re ipſa*, vt ſi membri mutilatio, vel maxima ſanguinis effuſio facta fuerit; *vel ex loco*, vt ſi loco publico inflicta ſit, in eccleſia, in tribunali. Sed hæc tamen poſtremo loco narrata iniuriæ enormitas, alijs ſuperioribus non videtur cōparanda.

11 Sed ea poteſtas excommunicatos abſoluendi, non ita laxata eſt alijs Legatis, qui à Pontificis Maximi latere non ſunt profecti. Nam illi quidem, quibus non dignitatis quam habent connexitate, ſed ſua ipſorum contemplatione Legatos eſſe datum eſt, prouinciæ ſuæ homines ſibi ſubditos, dum in ea morantur, abſoluendi ius habēt, & ſi crimen alibi contraxiſſent; ſed & non ſubditos, ſi in ſua prouincia excommunicationis in pœnam inciderint, non minus abſoluent. Eos verò, qui neque in ſua prouincia deliquerunt, nec in ea morantur, nec aliqua ratione ſibi ſubiecti ſunt, dubium non eſt, quin abſoluere non poſſint. Imò etiam neque proprios ſubditos abſoluunt, dum extra prouinciam agunt.

12 Legati verò, qui legationis officium dignitati ſuæ, Epiſcopatus fortè, vel Archiepiſcopatus annexum habēt, ideoq; *Legati Nati* appellantur, nullo caſu huiuſmodi excommunicatos expiandi authoritatem habent, quamuis ſibi ſuppoſiti eſſent, iuriſdictioniſq; ſuæ oras incolerent, & ibi delictum excommunicatione dignum patraſſent.

Nam cum horum legatio perpetua ſit, ſicut & dignitas cui inhæret, ſi eis excommunicatos huiuſmodi abſoluendi ius poteſtasq; eſſet, leue eſſet medius fidius priuilegium Clericis eorum locorum à iure communi conceſſum, quando tam prompta & facilis eſſet perpetuò delinquentis indulgentia, dempto ei Romani itineris labore.

13 Illud tamen certum eſt, Legatum, qui plurium locorum iuriſdictionem habet, poſſe in omnibus locis officium ſuum exercere, & loci vnius negotia, moram alibi trahentem explicare.

14 Legati Cardinales illis quoque ius dicere poſſunt, qui Ordinariorum iuriſdictioni proprijs priuilegijs ſubtracti ſunt, quos *exemptos* vocant. Et cum legati Cardinales in ſibi decreta prouincia exiſtunt, minoris Legati officium ibi interea ceſſat, quamuis dignitati cohęrens.

15 Sed neque cauſæ alij ſpecialiter à Summo Pontifice delegatę ſe ingerere poteſt, niſi vt ſententiã iuſtè latam confirmet, ac executioni demandet. Neque ex generali legationis poteſtate, quamuis à latere Summi Pontificis ſit, Epiſcopos transferre, vel eccleſiam cathedralem alteri item Cathedrali ſubijcere. Nec duos Epiſcopatus vnire, vnumue in duos partiri poteſt. Nec Cathedrales, vel regulares, aut alias collegiatas eccleſias, aut vllas cathedralium Eccleſiarum dignitates, quæ primæ poſt Epiſcopatum in ipſis eccleſijs ſint, & ex electione conferri ſoleant, vel conferre, vel reſeruare poteſt.

16 Nec poteſt Legatus alicui, vel generaliter, vel nominatim concedere, vt ille poſſit beneficia intra ſuæ legationis fines ſita, in ſuis manibus canonicè reſignata, cui voluerit conferre. Nec valet collatio beneficij per eum facta illi, qui aliud beneficium habebat, de quo nullam mentionem fecit. Quod in quibuslibet alijs habentibus conferendi poteſtatem contra eſt.

17 Item, cum Legatus cauſæ ſuſceptam excommunicationem ad Sedem Apoſtolicam detulerit, amplius ipſe de eadem examinationem ſumere prohibetur.

TITVLVS XXIII.

De officio, & potestate Iudicis delegati.

1 SOlent nonnunquam Summi Pontifices, eorumue delegati, aut alij ordinarij, cum causas ad se spectantes, vel delatas, ipsi vel cognoscere, vel dirimere nolunt, aut non possunt, alteri vices suas mandare, qui ad iudicium vocet, (quod tamen citationes mandandi ius, non alij delegato quàm Summi Pontificis permissum est) causam cognoscat, decidat, exequatur: aut vnum, vel plura ex his faciat. Potest enim iure nostro à Summo Pontifice delegatus, etiam causæ media alteri subdelegare, quamuis sibi sententiam reseruet. Etsi diuersum Cæsareis Constitutionibus caueatur, quæ neminem ab Imperatore delegatum permittunt causæ media, nisi cum sententiæ etiam ferendæ potestate alij demandare.

2 Delegare autem possunt, vt diximus, Ordinarij, & Delegati Summi Pontificis: sed non omnibus tamen facta huiusmodi mandata valebunt, nam prætérquã quod peritum eum esse oportet, cui delegatur, ætatisq; legitimæ, id est maiorem viginti annis, cui ab inferiore Principis facta sit delegatio, (nam à Principe etiam minor viginti annis iudex dari potest) exigitur præterea, vt aliqua in dignitate sit, vel personatu constitutus, aut saltem ecclesiæ alicuius cathedralis Canonicus, qui à summo Pontifice, vel eius Legatis delegatur.

3 Principalis etiam Officialis Episcopi, & Religiosus conuentualem obtinens Prioratũ, quamuis ad eum Prioratum non consueuerit per electionẽ assumi, à Sede Apostolica, vel eius Legato, delegari possunt. Sed Officialis foraneus, aut Religiosus monasterij sui Prior claustralis, delegari non possunt. Episcopus verò etiam simplici Clerico delegare potest. Et delegatio facta dignitati, etiam ad successorem eius, cui primum facta fuerit, tran-

transsibit. Vni tamen personæ facta delegatio, ad alias personas prorogari non potest.

4 Sciendum est, quod quamuis actor Iudicem habere recusans in rei conuenti ciuitate, vel Dioecesi, vbi actor & reus diuersarum prouinciarum sunt, non tamen v tra vnius diei iter eum trahere extra ipsius Dioecesim debet. Quamuis olim vsq; ad duorũ dierũ iter trahere eũ posset.

5 Sin actor, & reus, eiusdem fuerint ciuitatis, vel Dioecesis, non erit dandus extra ipsam Dioecesim delegatus, nisi infrascriptis casibus; quibus tamen casibus pariter vltra vnius diei iter degenti personæ delegatio facienda non erit. Hi casus sunt, vbi Episcopus vel eius Capitulum, aut vniuersitas ciuitatis, villæ, aut castri, ab aliquo suæ Dioecesis conuenitur, vel eum conuenit. Item vbi actor eam ciuitatem, vel Dioecesim ingredi non audet, vel aduersarij potentiam meritò perhorrescit: dum tamen eum metum saltem proprio iuramento probet.

6 Synodus quoque Tridentina sub Pio IV. constituit, vt in singulis Concilijs prouincialibus, aut Dioecesanis, aliquot personæ eligantur, quæ qualitates habeant supradictas iuxta narratam modo Constitutionem, quæ Bonifacij VIII. fuit, vt præter locorum Ordinarios, his etiam posthac causæ ecclesiasticæ, & spirituales, & ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Et si aliquam interim ex designatis mori contigerit, substituat loci Ordinarius, cum consilio Capituli alium in locum eius, vsque ad futuram prouincialem, aut dioecesanam Synodum; ita, vt habeat quæque Dioecesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac vt supra qualificatas, quibus huiusmodi causę à quolibet Legato, vel Nuntio, atque etiam à Sede Apostolica committantur. Alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Pontificem transmittant, delegationes quæcunq; aliorum iudicum, alijs quam his factæ, subreptitiæ censeantur.

7 Non tantum vnus, sed & plures ad eandem causam

dari

dari iudices possunt : at in pluribus iudicibus dandis diuersæ formæ in vsu esse consueuerunt. Nam aut simpliciter causa omnibus simul committitur; quo casu, si vnus, vel aliqui ex ipsis siue alijs sententiam ferant, nullius momenti erit sic prolata sententia. Et vno ex hac forma Delegatis rebus humanis exempto, vel infamia aliqua notato, vel propter suspicionem remoto, omnium officium expirabit, cum nemo eorum in solidum iudex sit, sed loco vnius omnes censeantur, simulque omnes iudicare iussi sint. Non prohibetur tamen is, qui ex eis fuerit impeditus, alteri subdelegare, quem subdelegatum si collega non admiserit, processus irritus fiet.

8 Aut delegatio pluribus fit cum clausula illa, vt si omnes interesse nequiuerint, duo nihilominus procedãt: quod cum fit, necesse est omnes simul procedere, si nullũ subsit impedimentum, quo aliquis eorum auocetur. Sed si vnus, vel aliqui eorum sint impediti, vel nolint interesse, oportet in primis horum impedimentum alijs qui explicitisunt, & qui procedere volunt, notum esse, vel de eorum voluntate constare, vt illi procedere possint. Neque enim valerent acta per eos hoc non obseruato. Pontificis quidem rescriptum eum casum exprimens quo nõ possit delegatus interesse, eum quoque ad casum extenditur, quo nolit. Quamuis olim alter casus alterum non comprehenderet; & non solum de impotentia facti, sed etiam de impotentia iuris intelligitur. Vt si aliquem eorum seruum, vel infamem, alioue impedimento legitimo detentum esse constiterit : impotentia autem facti dicitur, vt si constiterit eum casu mortis occumbere, aut ineuitabilis necessitatis articulo impediri, quominus valeat interesse.

9 Quin etiam, si is qui impeditus est, alteri quamuis extraneo, id est, ei qui ex collegis non sit, vices suas subdelegauerit, non poterunt alij hunc à suo collega datum substitutum recusare; nisi is qui subdelegauit, perpetuo vel ineluctabili impedimento impeditus sit. Vel nisi de-

lega-

legatio hoc modo facta esset, vt alijs impeditis, is qui nūc subdelegauit, ipse potissimum procederet; sicq; solus ipse qui subdelegauit, non etiam alij collegæ, sine alijs procedere dignus habitus sit. Quo casu is, qui alijs prælatus est, subdelegare quidem potest, sed ab alijs subdelegatum collegis ipse admittere cogendus non est. Vel nisi in delegationis rescripto, appellationis spes omnis sublata sit.

10 Aut denique hoc modo (quæ frequentissimè quidem forma in vsu est) plures delegantur, vt omnes, aut duo, vel vnus procedat: sicq; omittitur illa conditio. *Si omnes non possunt, &c.* Sed facultas simpliciter conceditur cuiuis ex Delegatis procedendi. Quorum, si quis alios præuenerit incipiens de negotio cognoscere, alijs dempta erit potestas interea de eodem se impediendi: nisi is qui prę uenit, aliqua iusta causa postmodum impeditus fuerit, causam finire: vel, nisi dolose procedere detrectaret. His enim casibus, alijs fieret locus, nec tenerentur à collega subdelegatum admittere. Sed si is, qui alios præuenit, iurisdictionem suam ita stabilierit, vt Delegātis morte expirare non possit, puta, quia partes iam ad iudicium vocasset, hoc alijs quoque collegis vtile erit: nam etsi hunc mori contingat, poterunt nihilominus alij etiam mandatore mortuo hoc muneris suscipere, quasi à collega sibi traditum, & perpetuatum; quamuis ipsi, dum mandator in humanis esset, nihil omnino in hoc iudicio egissent.

11 Delegatus iudex hoc diligenter obseruare debet, ne fines mandati egrediatur: si nulla in mandato alia forma præscripta sit, iuris formam seruabit.

12 Si delegatus à Summo Pontifice in alium hoc munus transferre velit, isq; munere iniuncto fungi detrectet, poterit eum ad suscipiendum compellere: nisi ipse malitiosè exonerare se studeat. Verum in eo compellendo gradus, & dignitatis rationem habebit: alio enim modo aget cum viro sublimi in loco posito, quàm cum cæteris, qui etsi dignitatem habeant, non tamen magnopere

alios

alios excellunt. Nam (exempli gratia) si Episcopo delegare quis velit, non debebit eum confestim his modis cogere, quibus alium inferiorem posset, sed modestia cum eo vtetur, Supremi Ordinis rationem habens. Quare ei primo ecclesiæ ingressum interdicet, vel Sacerdotalis officij executionem. Post etiam ab officio suspendet. Et demum, si pertinaci animo perseuerauerit, excommunicationem quoque irrogabit. Quòd si iam ab initio admodum contumacem se ostenderit, iam tum licebit contra eum ecclesiastica censura vti, quamuis ipse delegatus, qui subdelegare vult, Episcopus non sit.

13 Hinc apparet quanta sit iudicis delegati potestas, in causa ei mandata per Summum Pontificem, cum etiam etiam illis imperandi ius habeat, qui extra causam ipso essent superiores; & cum Episcopos, aliosq. sibi minime subiectos, & quorum causa minimè sibi mandata sit, possit vel Interdicti, vel Suspensionis, aliaue censura compellere. Eiusq; potestas etiam contra extraneos officium suum impedire enitentes exerceri potest: quod & ipsius subdelegato permissum est. Atque eo ipso, quo alicui causa committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam pertinere noscuntur, plena eidem tribuitur potestas, quãuis delegationis literæ nequaquam hoc contineant, vt partes compellere, & seueritate ecclesiastica contumaces coercere possit. Atque etiam vbi nulla à iure pœna statuta est, arbitrio suo pro delicti, & causæ qualitate pœnam statuere in eos, qui in causis delegatis iudicio suo parere contempserint.

14 Potest Delegatus mandatum suum, quo totam causam alij delegauerat, arbitrio suo reuocare, dum res adhuc integra sit: id est, si ille iurisdictione vsus hactenus non sit: & illo rebus humanis exempto causam resumere poterit, cum iurisdictio, ex quo ipsa vsus non est, non censeatur in eum efficaciter transiuisse.

15 Si Delegatus (quoties eum abesse contigerit) alicui vices suas commiserit, poterit Subdelegatus eo rebus hu-

manis exempto (cum & tunc censeatur abesse) commissum sibi negocium libere diffinire, modò illo viuente iurisdictione vti cœperit; quod non minus licebit, si vices sub ea forma commiserit, donec duxerit reuocandas.

16 Delegatorum à Summo Pontifice potestas in sententia exequenda, vsque ad annum post latam sententiā viget. Possunt etiam, si eis videatur, id onus sententiæ executioni mittendæ, in Ordinarium transferre. Cum verò iudicis delegati sententia executionem fuerit sortita, eius finietur iurisdictio.

17 Sed & alijs modis iurisdictio delegata finitur, veluti, si lapsa sit dies, ad quam causa ex mandati forma terminari debuerat: nisi à partibus prorogata sit. Item si re integra moriatur is, contra quem fuerant litteræ impetratæ: vel is, qui ipsas litteras impetrauerat: vel iudex, cui fuerat delegatio facta: vel is qui delegauit. Item per contrarium rescriptum posterius, de priore expressum mentionem faciens: alijsq; modis, qui ex voluminibus & interpretibus Decretalium Epistolarum peti possunt.

18 Hoc demum neminem præterire volumus, non facile alicui fidem esse adhibendam, etsi asserat se Delegatum esse, nisi hoc ipse probet. Quapropter, si quis tanquam à Sede Apostolica Delegatus mihi iniungat, vt palam fieri curem aliquem, puta Titium esse excommunicatum, potero ego hoc mandati munus effugere, nisi ille de mandato Apostolico fidem faciat.

TITVLVS XXIV.

De Officio Conseruatorum.

1 IVxta Delegatorum tractatum non erit ab re, etiā de Conseruatoribus aliqua dicere, quibus à Summo Pontifice mandatur, vt aliquos à manifestis iniurijs defendant: & hi quidem ad ea, quæ iudicij indaginem

ginem desiderant,suam potestatem non extendunt, nisi hanc potestatem à Summo Pontifice nominatim acceperint, vt frequenter hodie in huiusmodi conseruatorijs literis fieri videmus. Nec tamen hi Conseruatores Delegatorum è numero censendi sunt; quamuis Delegatis comparētur in multis,in multis tamen inter se differunt.

2 Conseruator enim dari non potest, nisi qui dignitatem aut personatum habeat in ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, puta, Episcopus, Abbas, Archipresbyter, & similes. Sed nec defuerunt, qui etiam Officialem Episcopi Conseruatorem fieri posse crediderint, quamuis declarationem Summi Pontificis, vt res certior fiat exoptarent (quia non vbique ex Canonicis cathedralibus fieri solent Officiales generales Episcoporum.) Nec sufficit Cathedralis ecclesiæ quem simplicem Canonicum esse, vt Conseruator fieri possit: & tamen ecclesiæ Cathedralis Canonicus delegari ad causas potest.

3 Item non potest quis Conseruator sui Conseruatoris fieri, vel eius,cuius ipse iurisdictioni ordinariæ subiectus est,nisi fortè Regis aut Reginæ: & tamen mandatum ad causas,de quo præcedenti titulo tractauimus, etiam subdito eius de cuius causa agitur,fieri potest.

4 His adde,quod non permittitur Conseruatori extra ciuitatem, aut Diœcesim, in qua fuerit deputatus, contra aliquem procedere; aut aliquem extra locum itinere vnius diei remotiorem protrahere. Quod tamen Delegato partium consensum habenti non denegatur.

5 Item Conseruator vices suas,citationibus,& sententiarum denuntiationibus duntaxat exceptis (has enim etiam per alios valet exercere) nulli committere potest, nisi hoc ei competat ex beneficio literarum. Quo tamen casu nonnisi intra ciuitatem, vel Diœcesim in qua deputatns fuerit, hoc ei facere licet. At supra docuimus, Delegatum à Summo Pontifice totam causam, vel partem alij demandare posse. Constat porrò Conseruatorem ad futura, non autem Delegatum dari.

6 Sed nec ea leuis inter hæc est differentia. Quod, si Conseruatores alijs, quàm manifestis iniurijs, & violentijs scienter se immiscere non dubitarint: seu ad alia, quę iudicialem indaginem exigunt, suam potestatem extendere, eo ipso per annum vnum ab officio sunt suspensi. Ac pars, quæ hoc fieri procurauerit, sententiam excommunicationis incurrit, à qua absolui non potest, nisi ei, quem sic indebitè fatigauerit, prius de expensis integrè satisfecerit. Quæ tamen poena Delegato potestatis suæ metas excedenti, imposita non reperitur; quod ea ratione factum est, vt Conseruatores limites sibi traditæ potestatis (quos frequenter excedunt) metu poenæ diligenter obseruent. Sed cum hodie, vt diximus, consuescant ferè semper Conseruatores Pontificijs rescriptis dari, etiam cum potestate se immiscendi his, quæ iudicij indaginem respiciunt, non frequenter supradictæ poenæ fiet locus.

7 Sed neque Conseruatorum negotium Sancta Synodus Tridentina sine debita animaduersione reliquit, dum constituit, vt Conseruatoriæ literæ cum quibuscumque clausulis, aut decretis, quorumcunque iudicum deputatione, quocumque prætextu aut colore concessę, nemini omnino, cuiuscumque dignitatis, & conditionis sit, etiamsi Capitulum fuerit, suffragentur ad hoc, vt coram suo Episcopo, siue alio superiore ordinario in criminalibus, & mixtis causis accusari, & conueniri, ac contra eum inquiri, & procedi non possit: aut quominus, si qua iura ei ex cessione competierint, super illis libere valeat apud iudicem Ordinarium conueniri. In ciuilibus etiam causis, si ipse actor extiterit, aliquem ei apud suos Conseruatores iudices in iudicium trahere minimè liceat.

8 Quod si in his causis, in quibus ipse reus fuerit, contigerit, vt electus ab eo Conseruator ab actore suspectus esse dicatur: aut, si qua inter ipsos iudices, Conseruatorem, & Ordinarium controuersia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos super suspicione,

ne, aut iurisdictionis competentia fuerit iudicarum: familiaribus verò eius, qui huiusmodi literis conseruatorijs tueri se solent, nihil illæ pròsint, præterquam duobus dũtaxat, si tamẽ illi proprijs eius sumptibus vixerint.

9 Nemo etiam similium literarum beneficio vltra quinquennium gaudere possit: ac statuit, vt non liceat Conseruatoribus iudicibus vllum habere tribunal erectum. Vniuersitates autem generales, & Collegia Doctorum, seu Scholarium, & Regularia loca, nec non Hospitalia actu hospitalitatem exercentia, ac vniuersitatum, collegiorum, locorum, & hospitalium huiusmodi personæ, in prædicto canone minimè comprehensæ, sed exemptæ omnino sint, & esse intelligantur.

10 Officium autem quorumcunque Conseruatorum, ipso iure quo ad non cœpta negotia per obitum concedentis expirat.

11 Sed iam descendamus, ad Sacerdotes in inferiore gradu constitutos, & alios consequenter, qui licet Sacerdotes non sint, in sacris tamen constituti reperiuntur, vel humiliora in domo Dei ministeria peragunt.

LIBER SECVNDVS

De Personis Ecclesiasticis in inferiori gradu constitutis; eorumq; officijs.

TITVLVS I.

De Sacerdotibus, seu Presbyteris.



Actenus locuti sumus de Sacerdotibus altioris gradus, puta Episcopis, & Summo Pontifice, eorumq; delegatis: nunc descendamus ad Sacerdotes in inferiore gradu constitutos, subsequenter postea dicturi de ijs, qui licet

Sa-

Sacerdotes non ſint, in ſacris tamen conſtituti reperiuntur: ac demum de his, qui circa humiliora in domo Dei neceſſarium miniſterium exhibent, qui in minoribus Ordinibus dicuntur conſtituti.

2 Sacerdotum in duas claſses diuiſio, ſumpſit originem tam à Teſtamento Veteri, quàm Nouo. *In Veteri*, Moyſes ex præcepto Domini, Aaron in Summum Pontificem, filios verò eius inunxit in minores Sacerdotes. *In Nouo*, Chriſtus Dominus duodecim Apoſtolos tanquam maiores Sacerdotes, ſeptuaginta duos, quaſi minores inſtituit. Petrum verò quaſi Summum Sacerdotem elegit, dum ei facultatem confirmandi fratres tradidit, & præ omnibus claues Regni cœlorum tribuit.

3 Appellatione verò Sacerdotum, veniunt etiam Epiſcopi: ſed dignitate, gradu, & officio, in tantum differunt, vt degradatus ab Ordine epiſcopali, non cenſeatur degradatus ab ordine ſacerdotali. Cum enim multi olim in ſingulis eccleſijs presbyteri conſtituti eſſent, in remedium Schiſmatis factum eſt, vt vnus eligeretur, qui cæteris eſſet præponendus, & Epiſcopus appellaretur, perſonam Apoſtoli repræſentans. Hinc tantus presbyterorum erga Epiſcopos creuit honor, vt illis tanquam filij cœperint obedire. Nec iam pro ſacerdotibus habentur, qui nullius Epiſcopi diſciplina, & prouidẽtia gubernãtur.

4 *Eſt itaq; Sacerdos*, vir authoritate diuina (nempè ex Chriſti inſtitutione) firmiter deputatus cultui veri Dei, ad ſacrificia offerenda, & miniſtranda fidelibus Sacramenta. Qui enim ab Epiſcopis non ſunt conſecrati ex diuina inſtitutione, & ordinatione, illi non ſunt veri miniſtri, nec ſacerdotes, ſed latrones, & fures, vt eos vocat ipſe Saluator.

5 *Dicitur autem Sacerdos*, à ſacris, quia dedicatus eſt ad ſacrificia facienda, & offerenda pro populo. Atque ſic intelligitur Sacerdos, quaſi ſacra dans, & ſacra docens: quia tenetur Sacramenta fidelibus miniſtrare, & docere in rebus neceſſarijs ad ſalutem. Vel vocatur ſacerdos,

quaſi

quasi sacer dux, qui ducere debet per viam mandatorum Dei, & præire exemplo, vt sic perueniat cum grege sibi commisso ad montem collium æternorũ, & portũ salutis.

6 Presbyteri verò nomen, quanquam à senio, & senectute sit sumptum, magis tamen sapientiæ indicat maturitatem, quàm corporis canitiem. Presbyter enim Græcè, senior Latinè interpretatur. Vel presbyter, quasi præbens iter: quia talis esse debet moribus, & vita, vt sit eidem populo exemplum bonorum operum, in doctrina, integritate, & grauitate. Et vt iram Dei placare possit orationibus suis, & placabilem reddere populo suo, vt Moyses, atque alij Sancti fecerunt.

7 Episcopi igitur ac Presbyteri non penitus est absimilis circa sacra ministeriorum dispensatio. Illorum enim quæ gerere potest Episcopus, quædam presbyter suo iure, quædam illius permissione exequitur; quædam verò nullo pacto potest attingere. *Proprio iure presbyter*, Dominici corporis, ac sanguinis consecrationem, etiam Episcopo præsente celebrat, infantes baptizat, sanctificato oleo inungit, benedicit, & de occultis peccatis pœnitentes, vel in extremis agentes, ad gratiam reconciliationis admittendi potestatem habet. *Episcopo verò permittente*, aut vltima cogente necessitate, & baptizatos sacro linire chrismate, & virgines Deo dicare presbyteris conceditur.

8 Verùm ecclesias erigere, consecrare, reconciliare, sacrum chrisma conficere, clericos ordinare, excommunicare, pœnitentes publice reconciliare, vt supra docuimus, solis Episcopis reseruatur. Vnde dicere Episcopum non differre à Presbytero, inter hæretica dogmata numerat S. August. in lib. de Hæresibus.

TITVLVS II.

De ijs, qui sunt in sacris constituti.

1 IN sacris constituti sunt, Diaconi, & Subdiaconi, qui assistere, & ministrare tenentur, celebrantibus mai ori-

ioribus, puta, Episcopo aut Sacerdoti. Hinc Diaconus Græcè, minister dicitur Latine, quia est Sacerdotis celebrantis immediatus minister. Subdiaconus verò, vice minister, quia ministrat sacerdoti medio Diacono.

2 Diaconi officium est, Eiscopum prædicantem ab insidijs custodire: Sacerdotibus celebrantibus adsistere: & Euangelium ad populum decantare. Sed nec baptizare, præsente Episcopo, aut presbytero potest, nec Dominici corporis Eucharistiam populo erogare; nisi eum ad id extrema necessitas compellat, Episcopo aut presbytero longius fortasse constituto.

3 Subdiaconi officium est, necessaria ad consecrationem præparare in vasis sacris: Epistolam in missa decantare, & oblationes populi suscipere, supraq; altare ponere.

4 Nemo autem ad subdiaconatum ordinari potest, ante vigesimum tertium annum: sicut nec ad presbyteratum, ante vigesimum quintum. Vt autem mundi sint, qui sacra tractant, ideo æqualiter omnes tenentur in his tribus ordinibus maioribus constituti ad castitatem, Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus.

5 Cumq; à multis, an in Episcopum Subdiaconus eligi valeret hæsitaretur; nouissimè post Vrbanum II Innocentij III. processit constitutio, quæ, vt is quoque tanquam in sacris constitutus, in Episcopum libere eligi valeat, declarauit, ac statuit.

TITVLVS III.

De his, qui sunt in minoribus Ordinibus constituti.

1 SVNT in Ecclesia Dei præter sacros Ordines maiores, alij etiam minores Ordines, qui sine sacramentali vnctione, sola Episcopi benedictione, cum quadam vasorum, vel indumentorum distributione præ-

præstantur, vt sunt *Acolytus*, *Exorcista*, *Lector*, *Ostiarius*.
Prima verò tonsura, quæ confertur ante ordines, est corona Clericalis, qua deputatur homo ad cultum, & seruitium Dei, & non censetur inter Ordines, sed est dispositio quædam, & præparatio initiati ad Ordines. Nihilominus tamen prima tonsura initiatus adscribitur militiæ Dei, & consequenter fit de foro Ecclesiastico, si incedit in habitu, & tonsura, & alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruit: vel in seminario Clericorum, aut aliqua Schola, quasi in via ad suscipiendos Maiores Ordines versatur.

2 Ostiarius est idem quod, & Ianitor, qui ianuis templi præficitur. Ad eum pertinent claues Ecclesiæ, vt claudat, & aperiat templum Dei, & omnia quæ sunt intus extraq; custodiat, fideles recipiat, excommunicatos, hæreticos, & infideles prouido iudicio repellat. Idē pulsare debet campanas ad conuocādos fideles ad Ecclesiā.

3 Lectoratus est spiritualis potestas, qua Lector potest ex officio suo lectiones scripturæ sacræ in Ecclesiam pronunciare; & ea quæ Prophetæ vaticinati sunt, populis prædicare.

4 Exorcistatus est spiritualis potestas, qua Exorcista potest manus super energumenos, & cathechumenos imponere, arctando dæmones per adiurationem, ne dominentur in corporibus obsessorum.

5 Acolytatus est potestas, per quam hoc Ordine insignitus potest ex officio portare vrceolos cum vino, & aqua ad sacrificium Missæ. Ad eum quoque luminum præparatio spectat: qui & cereum, à quo nomen quoque ducit, deferre debet, quando legendū est Euangeliū.

6 Est & Psalmista; id est, Cantor, qui absque scientia Episcopi, presbytero solum iubente, officium suscipit cantandi, qui & ipse, licet apud antiquos dubitatum fuerit, inter minores Ordines, sicut & Primæ Tonsuræ Clericus, cœptus est adnumerari. Prout & Conuersi in Monasterijs, Templarij, Hospitalarij: quos si quis pulsauerit

rit, excommunicationi obnoxius erit non minus, quam si Clerico eam iniuriam intulisset.

7 Horum autem & sacrorum valde dispar est conditio; siquidem illis ita est continentia imperata, vt nunquam ad matrimonium aspirare valeant; his autem, si ad superiores Ordines prouehi noluerint, matrimonium cõtrahere minimè interdicitur. Sed eo casu non solum ad sacros Ordines, & Ecclesiasticas dignitates, & administrationes admittendi non sunt; sed etiam beneficijs quęcumque forte habuerint, priuandi erunt. Nam nec ea sine prauo exemplo, & graui scandalo possunt tenere: & tales communiter bona Ecclesiastica dilapidare solent.

TITVLVS IV.

De ijs rebus, quæ tam Maiorum quàm Minorum Ordinum sunt communia.

1 VIdimus hactenus de omnibus, tam maioribus quàm minoribus Ordinibus, sequitur nunc videre, quid inter se commune habeant, vt seruetur ordo in Ecclesia, & pax inter Clerum, charitate inuicem, & obseruantia deuinctum, euitenturq; scandala inter fideles, & eos qui nobiscum non sunt.

2 Meminerint igitur Prælati se in inferiores suos politicam potius retinere potestatem, quam despoticum dominium, quos iussit Apostolus imperare cum omni mansuetudine, vt non solum præsint, verum etiam prosint. Quapropter honorent, & diligant Clericos, non tanquam subditis dominentur. Minores verò monendi sunt, vt maioribus qui eos ordine præcedunt, & officio, reuerentiam, & obedientiam exhibeant; nec per temeritatem alter alterius partes sibi vendicet.

3 Ordinatores verò debent instruere ordinandos in diui-

diuinitateq; ideo ſub grauis vltionis cōminatione Con-
ciliorum præcipitur Epiſcopis, vt promouendos in Sa-
cerdotes per ſe ipſos, vel per alios idoneos viros (puta Ar-
chidiaconum, cuius hoc munus eſt) ſuper diuinis offi-
cijs, Eccleſiaſticiſq; Sacramentis diligenter examinent, inſtruant, & informent. Præcedatque ordinationem diligens ſcrutinium in præſentia peritorum ſacerdotum, de recta conuerſatione ordinandorum, vt nonniſi teſtimonio clarorum virorum, præſertim Eccleſiaſticorũ probati admittantur ad Ordines. Inquirant diligenter genus ordinandorum, patriam, ætatem, locum vbi ordinati ſunt: tum ſi litteras callent, ſi inſtructi in lege Dei ſunt, & ante omnia ſi fidem Catholicam firmiter tenent, & Confirmationis Sacramentum ſuſceperunt. Alioquin Epiſcopus promouens indignum peccat mortaliter.

4 Idem & in beneficiorum collationibus obſeruandũ erit: à ſuo prius Archidiacono examinari debent, quam Eccleſiaſticis beneficijs præficiantur, & per ipſum poſtmodum Epiſcopo præſentandi ſunt. Quia ſi cœcus cœcum ducet, ambo in foueam delabentur.

5 Ipſi verò, quibus talis cura examinandi committitur, cauere debent, ne aut cuiuſquam gratia, aut cuiuſcunque muneris cupiditate illecti à vero deuient, vt indignum, & minus idoneum, aut non examinatum ad ſacros gradus ſuſcipiendos Epiſcopo præſentent. Quod ſi aliter fecerint, & qui indignè acceſſerit, ab altari remouebitur, & qui donum S. Spiritus vendere conati ſunt, coram Deo iam, condemnati, Eccleſiaſtica dignitate carebunt.

6 Certa præterea tempora ſtatuta ſunt, extra quæ nefas ſit Ordinibus quempiam aggregari. Examinati ergo & probati debent Sabbato præſentari Epiſcopo, vt eos in quatuor temporibus promoueat: niſi adſit licentia Summi Pontificis, extra ſtatuta tempora ordinandi. Tunc ſecundum diuerſitatem Ordinum, temporis quoque ſeruabit diuerſitatem Epiſcopus: quia nec vna, nec duabus continuato ieiunio duo ſacri Ordines conferri de-

bent. Minores tamen Ordines, omnes simul, & quibuslibet festis diebus conferri possunt.



7 Per saltum verò si promotus fuerit quis solemniter, Ordine prætermisso repetito, ex misericordia dispensantis, ministrare permittendus est: sed prius iniuncta, pœnitentia peracta.

8 Quod si furtiuè quis ad sacros Ordines irrepserit, contra prohibitionem Prælati, non potest ad Sacerdotalem Ordinem promoueri, nisi Regulari habitu suscepto pœnitentiam egerit, & laudabilem aliquandiu duxerit vitam; quo casu secum misericorditer dispensari poterit. Alioqui nulla præcedente inhibitione, condigna satisfactione imposita, pro suo arbitrio cum illo poterit Episcopus dispensare.

9 Quod si is, qui nullum adhuc penitus attigit Ordinem, diuinum aliquod officium exercuerit, & ab Ecclesia erit abijciendus, & nunquam ordinandus. Et Diaconus, qui missarum celebrationem vsurpare, nondum sibi manu ab Episcopo imposita præsumpsetit, ad Sacerdotis officium non poterit promoueri. Et à Diaconatu biennio, vel triennio Episcopi arbitrio suspendetur.

10 Si verò quis non baptizatus Ordines susciperet, debet baptizari, & iterum ordinari. Cum enim baptismus omnium Sacramentorum ianua sit, & fundamentum, superædificari non potuit, vbi fundamentũ defuit.

11 Illud quoque omittendum non est, quod inter minores, & sacros Ordines illa est differentia, quia Maiores ab Episcopis, minores verò etiam ab alijs minoribus Prælatis quandoque conferuntur, vt latius titulo sequenti patebit.

TI-

TITVLVS V.

De his, qui poteſtatem habent ordinandi, & litteras dimiſſorias ſeu Commendatitias dandi.

1 ORdines ſupradictos aſſignandi poteſtas penes Epiſcopos eſt, qui ſtatuto Sacroſanctæ Trid. Synodi Minores Ordines nonniſi his conferre debent, qui linguam Latinam intelligant, & in rebus neceſſarijs ad ſtatum Clericalem ſpectantibus ſint benè edocti. Qui ad Maiores Ordines poſtea promouendi, bonum à Parocho, & à Magiſtro Scholæ in qua educantur teſtimonium habere debent. Parochuſq; nominibus eorum publicè in eccleſia propoſitis, de ipſorum natalibus, ætate, moribus & vita, à fide dignis diligenter inquirat; & literas teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes, ad Epiſcopum, aut Examinatores ordinandorum tranſmittat.

2 Addit inſuper eadem Synodus Oecumenica, vt Subdiaconi, & Diaconi, ſi per annum ſaltem in ſuo officio non ſint verſati, ad altiorem gradum (niſi aliud Epiſcopo videatur) aſcendere non permittantur. At, qui ad Presbyteratus Ordinem aſſumendi ſunt, non modo oportet eos in Diaconatu ad minus per annum integrum miniſtraſſe, ſed etiam aptos eſſe decet ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium ad ſalutem, & ad Sacramenta miniſtranda.

3 Cauere quoque ſibi debent Epiſcopi, ne in alienam meſſem falcem immittant, alienos ſubditos ad Ordines promouere ſibi arrogantes, licentia ab eorum Epiſcopis non habita. Nam ſi hoc admiſerint, totum annum ad Ordines quempiam cooptandi poteſtate priuati erunt. Sicut enim alienum parochianũ Epiſcopus iudicare, & excommunicare non poteſt, ita & ordinare non valet.

4 Qua-

4 Quapropter alterius ciuitatem adire Episcopus non præsumat, nisi ab eo vocatus, cuius iuris ea ciuitas esse cognoscitur, vt quicquam ibi disponat, ordinet, vel iudicet. Ideo Sacrosancta Synodus Tridentina constituit, vt nulli Episcopo liceat cuiusuis priuilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij eius loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas tantùm. Et si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium; & sic ordinati, ab executione Ordinum sint ipso iure suspensi.

5 Item nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, etiamsi in loco nullius Diœcesis, etiam exempto, aut aliquo Monasterio cuiusuis ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cuiusuis priuilegij sibi de promouendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum etiam prætextu familiaritatis, continuæ commensalitatis suæ, absque sui proprij Prælati expresso consensu aut literis dimissorijs, ad aliquos sacros aut minores Ordines, vel primam tonsuram promouere seu ordinare valeat. Et vt contrafaciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter quoque promotus ab executione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso iure sint suspensi.

6 Episcopi, qui conferendi Ordines ius habent, per semetipsos eos conferant. Quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quàm probatos iam, & examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant.

7 Si quis ab alio, quàm à proprio Episcopo promoueri petat, nullatenus id ei; etiam cuiusuis generalis aut specialis rescripti, vel priuilegij prætextu, etiam statutis temporibus permittatur: nisi probitas ac mores Ordinarij sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.

8 Sed neque familiarem suum, sibi non subditum Episco-

ſcopus ordinare poteſt, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus; & niſi beneficium quacumque fraude ceſſante ſtatim re ipſa illi conferat, conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtante. Epiſcopo autem quis tribus modis ſubeſſe poteſt, videlicet, origine, beneficio, & domicilio.

9 Cæterum alij Prælati Epiſcopis inferiores, tam Religioſi, quam Sæculares, puta, Abbates, Archipresbyteri, Archidiaconi, non poſſunt Clericis, ſubditiſue ſuis poteſtatem facere, alienos Epiſcopos adeundi, vt ab eis ad Ordines promoueantur: niſi hoc priuilegium ſpecialiter à Summo Pntifice eis conceſſum ſit.

10 Nec Officiales Epiſcopi, litteras commendatitias dandi ius habent, niſi mandato ſpeciali à ſuo Pontifice hoc iuris conſecuti ſint: vel niſi Epiſcopus in oris agat longinquis. Tunc enim cum Epiſcopus longè abeſt, Vicarius ipſius in ſpiritualibus Generalis litteras commendatitias dare poteſt.

11 At ſi Sedes Epiſcopalis vacet, Capitulum, vel is, ad quem Spiritualium deuoluta fuerit adminiſtratio, huiuſcemodi litteras concedent: idq; habentibus tantum beneficia curata. Si ſecus fiat, Capitulum contraueniens Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto: & ſic ordinati ſi in minoribus Ordinibus conſtituti fuerint, nullo priuilegio Clericali, præſertim in criminalibus gaudeant: in maioribus verò ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati ſint ipſo iure ſuſpenſi.

12 Item ſanxit Concil. Trid. vt facultates de promouendo à quocunque, non ſuffragentur niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam à proprijs Epiſcopis ordinari non poſſint, in literis exprimendam. Et tunc non ordinentur niſi ab Epiſcopo in ſua Diœceſi reſidente, aut pro eo pōtificalia exercente, & diligenti præuio examine.

13 Sciendum verò eſt, quòd Epiſcopus ille, qui Epiſcopatui renunciauit, poteſt rogatus Ordines conferre, ſi tantùm loco renunciauit. Sed ſi dignitati quoque, non

po-

potest maiores conferre, sed tantùm minores. Ab eo verò qui renunciat loco, & Ordini Episcopali, sacri Ordines non sunt recipiendi. Si verò quis scienter receperit, quia indignum se fecit, officij non habebit executionem: si autem non scienter, proprius Episcopus poterit cum illo dispensare. Nisi crassa, & supina fuerit ignorantia; quo casu vni Romano Pontifici ius dispensandi erit.

14 Abbas sacerdos si ius habeat deferendi mitram, potest conferre Ordines minores suis subditis Regularibus tantùm. Subdito autem suo in temporalibus, non potest: nisi cum licentia, & dimissorialibus literis proprij Episcopi. Et idem esset quo ad alios Regulares ei nô subditos, respectu suorum Prælatorum, quorum similiter dimissorias habere deberent: præhabita semper facultate, & consensu Episcopi illius loci, in cuius Diœcesi Abbas alienum subditum in prædictis casibus ordinare vellet.

15 Præfecti verò locorum non exemptorum, eorumq; socij, ab Episcopis promoueri possunt, quorum in Diœcesi sedent, quamdiu ibi morantur; quamuis inde oriundi non sint.

16 Græci quoque à Latinis, & versa vice, vbi eorum ritus differunt, ad Ordines prouehi non possunt, ne rituum fiant commixtiones. Sed Episcopus, qui varios linguis, & ritibus populos regit, viros idoneos præficiat, qui iuxta eorum ritus, eis Sacramenta ecclesiastica propinent, & diuina officia celebrent.

17 At si quis Transalpinus ab Italo Episcopo Ordinũ consotiationem postulet, non debet eum Episcopus promouere, nisi vel à Summo Pontifice specialem licentiam habuerit: vel Episcopi cui ille subest, litteras patentes legerit, quæ causam ad hoc idoneam testentur, quare, ipse noluerit, aut non potuerit ad Ordines petitos admittere.

18 Hæretici demum, excommunicati, & depositi, vera Sacramenta, verosq; Ordines conferunt, si intentionem habeant, & si traditam ab ecclesia formam, ritusq; præscri-

ſcriptos conferendo ſeruarint: quamuis Ordinati eos, qui ſibi manus impoſuerunt, ab Eccleſia præciſos eſſe non ignorarent. Quos tamen ſic collatos Ordines executio nequaquam ſequetur; nec cum ſcientibus erit diſpenſandum. Et multò minus, ſi illi, qui Ordines contulerunt, extremam manus impoſitionem, dum ſcilicèt in Epiſcopalem Ordinem cooptantur, extra Eccleſiam Catholicam acceperint. Quemadmodum nec infraſcriptis quoque caſibus executionem accipient, nec diſpenſatione digni erunt, etiamſi extremam manus impoſitionem eorum collator in Eccleſia acceperit, vt cum iterata vnctione maculati ſunt, vel ſimoniacè à Simoniaco ordinati, vel rurſum baptizati: vel cum in Fidei noſtræ perniciem, ad eamque euertendam, & in contemptum Eccleſiæ hæreticis adhæſerunt, & ab eis ordinari voluerunt. Magna tamen eſt in ſupradictis omnibus, Summi Pontificis poteſtas.

19 Non omittendum eſt; eum qui à Summo Pontifice ad aliquem Ordinem euectus ſit, non poſſe ad ſublimiores Ordines ab alio pariter, quàm à Summo Pontifice promoueri, licentia ipſius Summi Pontificis non impetrata. Non ideò tamen Ordinarij ſubtrahitur poteſtas.

TITVLVS VI.

De his, qui ad Ordines promoueri non poſſunt.

1 QVoniam præcaueri debet, quod vel infirmari, vel vituperari poteſt, ideò ſciendum eſt, non quemlibet hominem aptum eſſe ad ſuſcipiendos Ordines, idquè quatuor ob cauſas. Aut enim quis promoueri impeditur ratione ſubiectionis, aut ratione delicti patrati, aut ſuſpicione futuri lapſus, aut ob corporis læſionem.

2 *Ratione subiectionis* promoueri non possunt serui; nisi à Dominis libertatem consecuti fuerint. Liber enim esse debet, qui diuinæ aggregandus est militiæ. Quapropter non solùm serui, sed nec qui retento obsequio manumissi sunt, cùm adhuc seruitutem quandam seruire videantur, sunt ad Clericatus Ordinem promouendi. Quod si contra factum fuerit, tàm Ordinantis, tàm eius, qui sacro præcinctus est cingulo, canonicis pœnis coertenda est audacia. Si tamen seruus sciente Domino fuerit ordinatus, ex hoc liber erit, & ingenuus.

3 Si verò nesciente Domino seruus ordinetur ad minores, tunc redigitur in pristinam seruitutem. Si Subdiaconus, vel Diaconus sit ordinatus, vel etiam Sacerdos, & id euenerit sciente Episcopo, vel Præsentatoribus: tunc Episcopus, vel Præsentatores tenentur Domino restituere pretium serui: vel ipsemet Ordinatus tenetur substituere alium seruum loco sui, vel dare pretium suæ redemptionis, quando nec Episcopus, nec Præsentatores id scierint.

4 Qui matre ingenua editus est, etsi patrem habeat seruum, cum seruus ipse non sit, ab Ordinibus non arcetur.

5 Quod si quis Ecclesiæ seruili conditione obnoxius, ab eadem manumittatur, vt insignitus Ordine Clericali, in ea perpetuò seruiat, in diuinis liber factus, & ordinatus, ad aliam Ecclesiam transferri non poterit. Sed si absolutè missus fuerit liber, ad aliam transeundi non erit licentia deneganda.

6 Monachi non ordinantur, nisi licentia sui Abbatis. Qui si licentiam Monacho concesserit, vt possit consentire prouisioni de se factæ, quia ambitionis vitio viam parat, talis licentia nullius firmitatis existet. Poterit autem Monachus cum licentia sui Abbatis ordinari, non solùm ab illo Prælato, in cuius Diœcesi constitutum est Monasterium; verùm etiam eius Diœcesis, in qua natus est.

7 Pari

7 Pari ratione constitutum est, ne quis alienæ Diœcesis virum pręter proprij Superioris licentiam ordinare audeat. Si tamen quis beneficium obtineat prius ab alio Episcopo; tunc enim cum ratione beneficij incipiat esse subditus conferentis; poterit ab eodem ordinari securè.

8 *Patrati delicti ratione* quis ordinari prohibetur, vt cum homicidium, aut aliud capitale crimen, facto, vel præcepto, aut consilio perpetrauerit, & per surreptionem promotus, deijciendus erit, dicente Domino. *Si quis per industriam, aut per insidias hominem occiderit ab Altari meo euelles eum*. Quod de eo homicida inteligendũ est, qui voluntate committit homicidium. Cæterum si qui necessitate maxima arctati, effugere nullo pacto valentes, homicidium in defensione *vitæ suæ* admiserint, nullam ex hoc irregularitatem incurrunt.

9 Fortuitum homicidium commissum, dum dabatur opera rei illicitæ, impedit à suscipiendis Ordinibus. Bello autem contra infideles sese immiscens, volensque Christiani nominis hostem interficere, si homicidium commisit, nec ad sacros Ordines promouendus est, nec promotus ad altiores ascendere potest, sed in suo inferiore ex dispensatione sustinendus erit. Sed & licitæ rei operam dans, si ex negligentia homicidium commisit, irregularitatem incurrit. Vndè qui puerum intuitu disciplinæ percussit, vt ex percussione in infirmitatem inciderit, & postea expirauerit, ab omni ministerio Altaris excludendus erit.

10 Diuersum statuitur de eo, qui mero casu homicidium commisit, nimirum, pulsante aliquo campanas, vt populus conueniret ad Diuina, tintinabulum cadit, & puerum occidit: cum ipse culpæ penitus expers fuerit, nullam incurrisse noscitur irregularitatem. Similiter infantes minores septennio, furiosi, dormientes, si hominem mutilent, vel occidant, nullam ex hoc irregularitatem contrahunt.

11 Medicus laicus, qui adhibuit ægrotantibus debitam diligentiam, licèt ad manus suas aliqui mortui sunt, non propterea efficitur irregularis.

12 Clerici de iniurijs sibi illatis apud Iudicem conquerentes, protestantes autem quod ad vindictam, seù sanguinis pœnam non intendunt, nullam incurrunt irregularitatem, si Iudex iustitia exigente mortem delinquentibus inferat. Alioquin, si conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eos, & ipsorum bona passim inuadendi.

13 Publicè Pœnitentes non possunt promoueri etiã ad minores Ordines. Et Episcopus ordinans scienter pœnitentem publicum, per annum à celebratione suspensus est. Publica autem pœnitentia non imponitur, nisi pro enormi crimine, quod totam Ciuitatem commouet; & semel tantùm in Ecclesia conceditur. Placuit tamen Toletano Concilio, si necessitas, aut vsus exegerit, inter Ostiarios, vel Lectores, huiusmodi pœnitentes posse collocari. Quos etiam vel facti euidentia, vel Iudicis sententia, vel propria ipsorum confessio palam facit graui cuipiam crimini esse obnoxios, veluti adulterio, periurio, falso testimonio; tales nullo modo promoueri possunt. Sicut & illi, qui in facinorosos homines gladij ius exercent, vel exercentibus consulunt, & iudicijs criminalibus assident.

14 Qui negotijs & officijs sæcularibus seruiunt, quales sunt Procuratores, Actores, Tutores pupillorum, Artifices, Negotiatores; si post deposita onera, & reddita ratiocinia, eorum vita deprehensa fuerit inculpata, omnibus possunt Ordinibus honestari. Similiter obligatum ex causa mutui ab ordinando non repelli.

15 Sed qui negotiando vsuras exercuit, is non potest ordinari, & ordinatus est deponendus. Mens enim auida, nec abstinere nouit vetitis, nec gaudere concessis.

16 Simoniaci, seditosi, & in[illegible] m pertinace

vlto

vltores ordinari non possunt. Sed fur occultus post restitutionem, & pœnitentiam, si idoneus fuerit, nec super furto manifesta respersus sit infamia; ad sacros Ordines promoueri potest.

17 Si quis in ægritudine constitutus baptizatus fuerit, quia fides eius non ex voluntate, sed ex necessitate videtur esse, ac proptcrea, vel de fide eius, vel continentia fit suspicio, ordinari non debet: nisi fortè postea ipsius studium, & fides emicuerit, & hominum raritas id exegerit. Pueri verò ab hæreticis etiam baptizati promouentur. Scienter autem rebaptizatis, ad Ordines promoueri permittendum non erit.

18 Filij Presbyterorum ex fornicatione suscepti, nō possunt ordinari; nisi fiant Monachi, vel in Congregatione Canonica regulariter viuentes: nullo tamen modo ad præfecturas admittantur. Sed benè possunt ordinari, nati ex legitimo matrimonio ante Ordines susceptoa. Græcorum verò Sacerdotum filij legitimi sunt, etiam post Ordines sacros suscepti ex vxore ante ducta, & possunt ad Ordines promoueri.

19 Item repellendi sunt, bigamus, poligamus, & qui vxorem viduam, quam per adulterium primò cognouerat, vel eiectam à marito, vel merietricem, vel ancillam duxerit, Qui verò honestam viduam ante minimè cognitam; is impediri non debet à Sacerdotio, sicut & monogamus.

20 Fornicatus cum pluribus concubinis, non incurrit irregularitatem bigamiæ: sed cum eo, tanquam simpliciter fornicatus sit, quo ad executionem sacerdotalis officij, per Episcopum dispensari poterit.

21 *Corpore vitiatus notabiliter* ordinari non potest: modica verò læsio non impedit ordinandum, si potest sine scandalo celebrare. Qui verò caret aliquo membro corporis ad vsum Ordinum necessario, vel defectū aliquem corporis deformem habet, aut oculo priuatus est, irregularis erit. Cęterum, si sacerdotali in Ordine consti-

constituto, tale quid acciderit; vel ex verbo, vel ab hoste; irregularis non erit.

22 Idem iuris est de eo, cui vel vi, vel in cunabulis, vel de Medicorum consilio, metu imminentis periculi, virilia fuerint amputata. Quod si volentes, & carnali vitio repugnare fortè cupientes, seipsos absciderint, quia sic homicidæ sunt, ad Clerum peruenire non possunt. Corpore enim vitiati, non casu, sed propria voluntate sunt intelligendi: & sicut in illis veniam casus impetrat, ita vindictam in ijs voluntas postulat.

23 Is quoquè, qui in furorem aliquando versus insaniuit, aut quolibet modo vexationis incursibus effertur, aut quod propè furorem accedit, in scæna luserit; vel afflictione diabolica vexatus fuerit, ordinari non poterit. Clerici etiam qui in adolescentia à Dæmonibus cognoscuntur obsessi, ad superiorem gradum ascendere non possunt.

TITVLVS VII.

De Votis, & Castitate Clericorum.

1 V*Otum est*, alicuius boni operis cum deliberatione Deo facta promissio, vt B. Thomas de Aquino censuit. Vel, vt alij. Est propositi supererogantis promissio Deo facta propter bonum finem, ex deliberatione firmata.

2 Quapropter sciendum est, non idcircò adstringi aliquem Voto, quòd tantùm animo conceperit, se aliquam operam Deo acceptam operaturum, nisi etiam id firmo, certoquè animo stabilierit: quare etsi quis cùm animo agitaret de Religionis habitu suscipiendo, verba huius sententiæ edidisset. *Non diù hic commorabor*; voti reus non propterea est censendus; tunc enim duntaxat initiatum est votum; nondum autem confirmatum.

matum. At si deliberatio matura præcessisset, dehinc in ea fixus perstitisset, tunc vtique etiam confirmatum dici posset. Cum verò præterea etiam verba profert, quibus fixam animi sui deliberationem aperit, consummatum iam votum dicetur.

3 Intelligendum tamen, nisi vlterius sit processum, hoc votum simplex adhuc erit, non solenne. Nam quamdiù ad aliquam solennitatem ventum non sit, qua voti executio initium accipiat, simplex appellatur. Sed cum executioni ipsius per solennitates aliquas ei rei necessarias initium datur, tunc iam solenne effectum dici potest. Veluti, si quis vouerit, se Religionem probatam ingressurum, susceperitque sacram vestem, quæ professorum propria est, & orans ante Altare Deo vouerit; vel si expresè in manibus Prælati Religionem, & Regulam professus sit: vel sacros Ordines acceperit, qui eis se deuouerat: his & similibus modis solenne effectum dicetur. Ante verò, quam ad huius generis solemnitates ventum sit, quamuis expressa pollicitatio clarè pronunciata sit, simplex appellatur.

4 Quod tamen Votũ simplex non minus Deo obligat, quam solenne, etsi in alijs quibusdam differant; veluti in eo, quod Votum solenne non solùm matrimonium contrahi impedit, sed etiam contractum dirimit; quam vim simplex Votum non habet: contrahendum enim duntaxat impedire solet.

5 Et hinc adeò castitas in Clericis commendatur, vt non solùm secundum supradicta, abstinere à libidine etiam in laicis damnata Pontificijs Legibus iubeantur, sed ipsi etiam matrimonio alioqui sancto, & à Deo instituto, aliqui eorum aspirare prohibeatur.

6 Quare Episcopus, Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, etsi irregularitatem etiam contraxerint, ad matrimonium tamen accedere prohibentur. At si matrimonium de facto contraxerint, nulla habita irregularitatis ratione separabuntur. Hinc & Alexander III. olim

olim Cenomanensem Episcopum rescripto suo commendauit, quod compulisset Subdiaconum eam abiutare, quam sibi in coniugium copulauerat. Iussitquè eum Subdiaconū prohiberi in Subdiaconatu ministrare & ad maiores Ordines promoueri: sed in minoribus tãtùm Ordinibus eum ministrare concessit. Et Religionem ingredi volentem, & laudabilem sui ipsius conuersationem præstantem, ad Maiores quoque Ordines promoueri permisit.

7 Potest tamen Episcopus Sacerdoti, qui post nuptias, vel contubernia verius contracta, eaque dimissa diu se continuerit, & pœnia acta bonum sui ipsius specimen præbuerit, officium ademptum, & executionem restituere. Vel Diacono eadem præstanti, Diaconatus officium reddere, & ad Presbyteratus etiam Ordinem eum admittere.

8 Qui verò est intra minores Ordines Clericus, nuptiarum incapax non est: verùm beneficio quod habet spoliatur. Recipit tamen expensas, quas in rem illius Ecclesiæ irrogarat. Nec prodest Clerico, quod beneficium ei sit collatum post nuptias ab eo contractas, vt retinere illud possit: nam etsi ipse idem, qui ea beneficia post initum matrimonium sciens, contulit Episcopus, auferre illa non possit, Prælatus tamen, cui ille Episcopus subest, illa adimere, etiam appellatione remota poterit.

9 Item, hi Clericì vxorati amittunt priuilegium, quo rerum suarum immunitate potiebantur: saluum tamen eis remanet priuilegium, nè sub Iudice laico conueniri possint; neuè citra excommunicationis pœnam manus iniuriosas quis in eos inferat: dummodò Clericorum in habitu incedant, vestibus Clericalibus vtentes, & tonsuram gestantes. Et vxor quam habet hic Clericus, prima, vnaque, & nupta fuerit, & virgo, quemadmodum Bonifacius VIII. constituit, & Sacrosancta Synodus Tridentina disposuit; & ille ipse

ali-

alicuius Ecclesiæ seruitio, vel ministerio ab Episcopo deputatus fuerit.

10 Sed, sicut Clericus à matrimonio repellitur, secundum proximè supra à nobis dicta, ita è conuerso, dum quis iugo vxorio adhuc premitur, neque ad beneficia, neque ad Ecclesiasticas administrationes, sed nec ad Ecclesiasticos Ordines accessum habet; nisi fortè castitatem vouerit, cum vxoris consensum haberet. Vel nisi, cum adolescens vxor esset, Religionem ingressa fuisset, & eam vnam eandemque virginem habuisset vxorem. Atque ex his vnusquisque iudicio assequi potest, quanto maiore ratione Clerici coniugati à dignitatibus Ecclesiasticis summoueantur: vel qui dignitatibus Ecclesiasticis aucti sunt, à matrimonijs repellantur.

TITVLVS VIII.

De vita, & honestate Clericorum.

1 DIximus libro superiore, de vita, & honestate Prælatorum, qui lux mundi, & sol terræ sunt à Saluatore nostro appellati; tenenturque sanctitate sua, & Clero inferiori, & fidelibus omnibus prælucere: Nunc dicendum est de probitate, & sanctimonia vniuersi Cleri, in inferiore gradu constituti, quibus congruit, vt quemadmodum in sortem Domini sunt vocati, & à populo officijs, & ordinibus diuisi, ita summa ope nitantur, & studeant vitæ innocentia, bonitate, & integritate morum cæteris præstare, quo & documento eis sint disciplinæ Christianæ, & ipsi lucernas suas ardentes palam manibus præferentes, olei copiam nunquam non habeant.

2 Curare igitur debent, vt grauitatem in actibus, sermonibus, vestibus, moribus, & omni denique vita

præseferant. Quod vt facilius præstent, Innocentius III. sanxit, ne Clerici officia, & commercia secularia exerceant: minus ioculatoribus, & histrionibus operam ne impendant: tabernas, commessationes, atque ebrietatem fugiant: aleis, & taxillis ne ludant, neuè ludentibus intersint: cauponationem aut propinationes non exerceant; nec publica telonia, aut contributiones Reipubl. redimant, aut ipsi extorqueant. Mercaturam minimè exerceant; choreas & saltationes non faciant; laruati non incedant: luxuriam atque lasciuiam quam maximè vitent; nec in domibus suis suspectas fœminas foueant, imò nec consanguineas iuuenes, etiam proximo affinitatis gradu, aut sorores germanas. Coronam & tonsuram in capite ferant: seque in officijs Ecclesiasticis tantùm, alijsque honestis, & vtilibus studijs, maximè verò in lectione sacræ Scripturæ exerceant. Quod sanctius etiam postea firmatum est per Leonem X. in Concilio Laterannsi.

3 Clemens quoque Quintus, in Concilio Viennensi, pœnas sanxit aduersus eos Clericos, qui decori sui metas non seruantes, vestibus nimium mollibus, vel superbiæ, aut leuitatis aliquod indicium præbentibus, aut cęteris corporis ornatibus vsi fuerint. Sed vtantur vestibus secundum formam Innocentij exactissimè præfinitam: neque effusa prolixitate nimium luxuriantibus, neque angusta supra modum breuitate sordescentibus. Quod si verò aliqui prohibitas vestes gestauerint, beneficia habentibus simplicia, fructus semestres adimit: quibus verò cura animarum incumbit, anni vnius fructuum iactura suorum beneficiorum mulctari iussit.

4 Quam Clementis Constitutionem Tridentina Synodus innouando, atq; ampliando, constituit, vt omnes Ecclesiasticæ personæ, quantumcunque exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacunque Ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum

moniti

moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum Ordini, & dignitati conuenientem, & iuxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, reditibus, & prouentibus ipsorum beneficiorum: Nec non, si semel correpti denuò in hoc deliquerint, etiam per priuationem beneficiorum, & officiorum huiusmodi coerceri possint, & debeant.

5 Item, prohibentur Clerici causa lucri negotiari, piscationes, aucupia, & venationes exercere: & Monachi suo nomine conductas possessiones tenere. Praeterea Clerici sacrati prohibentur procuratores, spenditores, & causarum actores, aut ministri in iudicio saeculari, laicorum esse. Quemadmodum etiam prohibentur gubernationes Oppidorum, procurationes Villarum, Praediorum, aut quaslibet iurisdictiones seculares, hominum secularium vice, & nomine suscipere, & exercere: Nisi ab Ecclesiastico ministerio velint esse alieni: ac Religiosi Clerici seuerius etiam puniri velint.

6 Cuiusuis autem Ordinis Clericus, quamuis nondum sacer effectus, sanguinis iudicium ad mortem, vel membri mutilationem inferendam exercens, honore priuatur & loco. Et non modo sanguinis sententiam dictare, aut proferre, aut sanguinis vindictam exercere debet, sed neque vbi exerceatur interesse; aut litteras dictare, aut scribere in sanguineam vltionem mittendas, nec viris sanguinum vllis tanquam eorum Dux praefici potest.

7 Item sacer Clericus à chirurgicae artis exercitio repellitur, qua adustio, vel incisio aliqua irroganda sit; alijsque artibus, quibus similia officia inesse necessarium sit.

8 Arma quoque portantes Clerici, & vsurarij excommunicantur. Et Clericus percussor, qui se non corrigit, deponendus est. Episcopus autem, cuius mandato mulier seuerè nimium flagris, seu fustibus ob de-

lictum cæsa fuerit, duobus mensibus à Missarum administratione, Gregorij Magni rescripto suspensus fuit.

9 Venationes item & aucupia, prout supra diximus, non modo cum sclopetis, sagittis, bipennibus, lanceis, alijsque armis prohibitis, & canibus venaticis, sed etiam cum accipitribus, falconibus, huiusmodique auibus ad prædam natis, à Clericis omnibus aliena esse debent.

10 Religiosis verò Clericis adeò negocia humana sunt interdicta, vt Alexander III. olim edixerit, vt nulli Religioso post factam professionem, ad Physicam, vel Leges sæculares legendas exire liceat; pœna etiam excommunicationis, præter alias poenas, transgressoribus addita.

11 Quam Alexandri Constitutionem, Honorius III. postea sic declarauit, siuè extendit, vt eius violator ipso iure ex Canone latæ sententiæ excommunicationi censeatur obnoxius: atque vt Archidiaconos, Decanos, Plebanos, Præpositos, Cantores, & alios Clericos personatus habentes, & presbyteros complectatur. Ne humanarũ rerum, litterarumue illecebris capti, Theologiæ, atque Sacrorum Canonum studia omittant, quibus eos omni cura vacare conuenit; cum infectas Philosophiæ, & Poësis radices, & aliunde ortas pestes, per diuinorum scientiam sanare, & purgare debeant.

12 Demum Sacrosancta Tridentina Synodus constituit, vt quæ aliàs à Summis Pontificibus, & à Sacris Concilijs, de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda; ac simul de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, nec non secularibus negocijs fugiendis; copiosè, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum ijsdem poenis, vel maioribus, arbitrio Ordinarij imponendis obseruentur. Nec appellatio excusationem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si qua verò ex his in desuetudinem abijsse compererint, ea quam-

quamprimum in vsum reuocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque.

13 Iam verò ex supradictis nemo non iudicare potest, quam deforme existimetur in Clerico incontinentiæ, & fornicationis vitium, cùm supradicta, quorum multo minora sunt flagitia, tam acerbam vindictam expectent. Quare Clericus fornicator potest ab officio suspendi, si ita Iudici videbitur. Quod si verò Clericus suspensus contempta suspensione diuina celebrare ausus fuerit, & in vetere flagitio perseuerare, non beneficijs Ecclesiasticis tantùm exuetur, sed etiam perpetuò deponetur. Quæ pœna etiam Prælatos manet, qui huiusmodi subditorum Clericorum vitia æquo animo tulerint, nec in eos animaduerterint.

14 Et Clericus concubinam palam habens, ipso iure ab officio est suspensus, nec partem ab Ecclesia suscipere potest: & concubinam dimittere recusans, interdicto, suspensione, ac demum excommunicatione punietur. Olim verò simplex fornicatio iusta causa Clerico deponendo existimabatur.

15 Hinc prohibentur Clerici mulieres domi habere, quæ incontinentiæ suspitionem præbere possint, vt amitæ, sorores, cognatæ, & affines, earumque pedissequæ. Sed egentibus illis in domo longè à sua conuersatione posita necessaria subministrent. Et Clericus sine manifesta, & probabili causa, ad sanctimonialium cœnobia frequenter accedens, per Episcopum arceri debet: seque non corrigens Ecclesiastico officio priuari.

16 Episcopi quoque, si ab huiusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo Prouinciali admoniti se non emendauerint, ipso facto sint suspensi. Et si perseuerent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadẽ Synodo deferantur, qui proqualitate culpæ, etiam per priuationem, si opus fuerit, in eos animaduertet.

TITV-

TITVLVS IX.

De Regularibus, & Monachis.

1 QVoniam in Ecclesia Dei præter Leuitas, & Sacerdotes, sunt etiam alij, qui non minus in laicatu, quàm in clericatu constituti Domino deseruiunt, vt sunt Regulares, & Monachi; restat vt de his quoque pauca subijciamus. Quorum, cum eadem ferè iura sint, quicquid de Monachis dicitur, idem intelligendum est, & de cæteris Regularibus. Nam similium eadem est disciplina, vt inquiunt Philosophi, atque Iureconsulti.

2 Et quidem Regulares dicuntur omnes illi, qui Regulam aliquam ab Ecclesia approbatam, & tria substantialia vota, paupertatem videlicet, castitatem, & obedientiam profitentur. Et in hoc Monachi cum Regularibus conueniunt; istoque respectu aliquando Monachorum appellatione omnes Regulares continentur. Quo ad cętera verò, laxiorem quandam, quàm Monachi Regulam habent, certumque modum viuendi, ac vestiendi, secundum maiorem, & minorem perfectionem.

3 *Sunt autem quatuor Regulæ ab Ecclesia approbatæ.* S. Basilij, S. Benedicti, S. Augustini, & S. Francisci, sub quibus militant omnes ferè Monachi, & Religiosi; exceptis Charthusianis, Iesuitis, & Minimis; qui pro Regula suis Constitutionibus reguntur.

4 Sed Monachi propriè à Latinis solitarij possunt dici, quod antiquitus remoti à populo, in montibus, aut syluis solitariam ducerent vitam, dicebanturque Eremitæ, seu Anachoretæ. Ducit itaque etymologiam Monachus, à Græco verbo monos, quod Latinè sonat vnus, vel solus. Et differunt à Conuersis, & Oblatis per hoc ipsum, quod ad Ordines promouentur. Nam *Conuersi sunt*, qui offerunt se, & sua, mutando habitum,

bitum, & profitendo; laici tamen ſunt, quia non promouentur ad Ordines. *Oblati verò ſunt*, qui ſe, & ſua offerunt Monaſterio, habitu non mutato, & abſque profeſſione Regulæ viuunt, licèt eam voluntariè obſeruent.

5 *Fiunt autem Monachi ex triplici capite præcipuè*. Aut ex paterna deuotione, aut ex propria profeſſione, aut ex voti emiſſione. Nemo tamen debet cogi ad intrandum Religionem, neque à patre, neque ab alijs; licet benè poteſt induci ſuauiter perſuadendo: ſed non violenter, aut ſimoniacè, aut mendacijs aliquibus.

6 *Ex paterna deuotione Monachus quis efficitur*, cum pater filios impuberes Monaſterio offert. Quo caſu ſi impuberes ſacram tonſuram, vel velamina ſuſceperint, ſextodecimo ætatis anno, moneri debent, & inquiri, vtrum in ipſo habitu permanere cupiant. Si permanſuros ſe profeſſi fuerint; vel profeſſionem à ſe prius factam ratam habuerint, vlterius pœnitendi locum non habebunt. Si verò ad ſæcularem habitum reuerti maluerint, redeundi licentia concedenda erit: quia ſatis inutile eſt, vt coacta ſeruitia Domino præſtentur. Qua etiam ratione conſtitutum eſt, ne quis inuitus ordinari debeat.

7 Quod ſi impubes præter parentum voluntatem tonſuram accepit monachalem: parentes id factum irritare valent. Sed ſi intra annum ad proprium Epiſcopum, vel alium competentem Iudicem non reclamauerint, reuocare amplius non poterunt. Si verò in grandiori ætate adolcſcentes ſeruire Deo elegerint, non eſt poteſtas parentibus prohibendi.

8 *Propria profeſſione Monachus efficitur quis*, aut expreſsè, aut tacitè. *Expreſsè*, vt ſi quis poſt annum probationis habitum ſuſcipiens monachalem, Regulis Monaſterij obſtringi ſe velle profitetur. Si tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum, is conuerti deſiderat, habitum recipit, & profeſſionem emittit, Abbate per ſe, vel per alium profeſſionem recipiente, re-

gulari

gulari obſeruantia obligatur, & verè Monachus eſt cenſendus.

9 Quemadmodum autem diſcretus Abbas, ex cauſa ante probationis tempus profeſſionem recipere poteſt; ita ex cauſa interdum poſt annum poteſt eam differre. Vnde ſi quis incognitus Monaſterium ingredi voluerit, ante triennium monachalis habitus concedẽdus non eſt: ne ſi fortè poſt annum ſtatim præſtetur, poſtea ſeruus, aut maritatus, aliàſue inhabilis ad Monaſterium deprehendatur. Quod ſi ſeruus per triennium in Monaſterio commoratus, poſtea Monachus effectus fuerit, ex hoc liber etiam efficietur.

10 Quinimò, ſi prius ignorante Domino ad ſacra miniſteria ordinatus Monachus fieri elegerit, iugum ſeruitutis euadet: aliàs intra vnius anni ſpatium Domino, & ſeruilem formam probare, & ſeruitium ſuum abſque vllo impedimento recipere licebit.

11 Prædicatores tamen, & Minores, alijque Mendicantium Ordines omnes, ante annum probationis elapſum, neminem ad profeſsionem admittere debent. Quod ſi forte contra fecerint; & is qui ſic receptus fuerit, eorundem Ordini minimè alligabitur; & receptores à receptione ad profeſsionem quorumlibet ſuſpenſi, tam excommunicationi, quàm alijs pœnis grauioribus ſubijciendi erunt.

12 *Tacitè verò profitetur quis*, cum vltra tempus probationis in Monaſterio permanet, & habitum defert, qui profitentibus tantùm datur. Hinc Doctores dicunt, quod ſi quis expleto anno probationis, per triduum habitum monachalem intra Monaſterium portauerit, iam ipſo facto profeſsionem feciſſe præſumitur.

13 Vtrum autem quis expreſsè profeſſus fuerit, an tacitè, interdum multum intereſt. Expreſſa enim profeſsio, etiam ſæculari habitu non mutato, illi Religioni præciſè obligat, quam quis profeſſus fuerit. Tacitè verò facta infra probationis annum, per habitus qui proſi-

profitentibus tantùm datur susceptionem, non illi specialiter, cuius est susceptus habitus, sed generali Religioni recipientem obligat: dum tamen legitimæ sit ætatis, ac sciens, & prudens triduo in eius habitus delatione perseuerauerit.

14 Qui vitam regularem vouit, Monasterium ingredi debet, non obstante quod fuerit Prælaturam consecutus, quia votum à principio est voluntatis, sed ipsum obseruare est necessitatis. Debet igitur Prælaturam dimittere, & Monasterium ingredi; licèt postea canonicè electus Episcopatum recipere possit.

15 Et quia in proposito ingrediendi Religionem, votum est simplex; solenne verò est, quando quis per professionem tacitam, vel expressam, comprobauit illud quod vouerat Deo; idcircò faciens votum de certa Religione intranda, si aliam laxiorem ingrediatur, & in eadem profiteatur, per solenne votum professionis, derogat voto priori simplici, quod animo tantùm conceperat, & iã debet remanere in ea Religione in qua professus est. Sed nihilominus pro voto nõ completo pœnitentiam impositam peragere debet.

16 Is igitur, qui in legitima ætate constitutus, habitum semel induit spontè, religiosum propositũ vltrò susceptum, deserere non poterit; sed proprio Superiori obediens in castitate in proprio deget Monasterio.

17 Sed nec aliquid proprium possidere debet: & si quid habet, totum in continenti resignabit. Nam abdicatio proprietatis, adeò est annexa Regulæ monachali, vt contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Et si proprietas apud quenquam inuenta fuerit in morte, is est Christiana sepultura priuandus, & sepultus exhumandus; provt etiam B. Gregorius se fecisse narrat. Quod si quispiam Monachus proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, monitione regulari præmissa de Monasterio expellendus est, quemadmodũ Innocentius III. olim constituit. Gregorius verò IX.

posteriori Constitutione, intra arcti Monasterij septa ergastulo includi religiosum iubet.

18 Potest tamen Monachus ad aliam strictiorem Religionem transire, cui suus Superior nullo obstante priuilegio, debet sine difficultate omni licētiam indulgere, ne videatur propositum impedire. Transire autem de vna Religione in aliam debet, aut zelo perfectioris Religionis à debita perfectione, & tūc requiritur Superioris iudicium: aut propter infirmitatem, seu debilitatem, & tunc necessaria est dispensatio. Sed quia modo data sunt multa priuilegia Religiosis, ideò non est facile sine licentia Papæ, de vna Religione transire in aliam, ne incidat in excommunicationem Bullę Martini V. & Sixti IV.

19 Monachus verò electus in Papam, potest inuito Superiore acceptare Papatum, cum talis electio credi debeat inspirata diuinitus.

20 Mendicantibus verò approbatis, qui prætextu arctioris ducēdæ vitæ ad Monasterium confugiunt, Martinus IV. omninò vetuit ad aliam Religionem transire, excepto Ordine Carthusiensiū, sine speciali Sedis Apostolicæ concessione, tàm recipientibus, quàm receptis ipso facto excommunicationis pœnam incursuris.

21 Fugitiuos verò debent Abbates sollicitè perquirere, vt ad Monasterium, & frugem melioris vitæ reuertantur, opportunis remedijs prouidere: Nec Ordinarios, qui eorum suppleant negligentiam, expectare. Qui verò habitu, & nomine fingunt se Monachos esse, & nō sunt; corrigi debent, vt veri Monachi sint, vel veri Clerici.

22 Singuli quoque Monachi per villas, & oppida non debent discurrere: nec per quascunque Parochiales Ecclesias disponi. Quod in Regularibus, cum Regulæ inseruiant laxiori, specialiter cautum non inuenitur, ideòque illis cum minori difficultate Parochialibus Ecclesiis præesse permittitur.

23 Bene-

23 Beneficium autem illius, qui Religionem ingreditur, non est intra probationis annum alicui conferẽdum, nisi, vel ipsiusmet accesserit assensus; vel manifestis indicijs colligatur, decreuisse eum vitam absolutè mutare: vel professionem expressam ediderit: vel demũ professorum habitum sciens susceperit. Sed interim alius ei beneficio minister dabitur, assignata ei congrua de illius prouentibus portione.

24 At regularia beneficia in titulum Regularibus professis prouideri consueta, cum per obitum, vel resignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Religiosis tantùm illius Ordinis, vel his qui habitum omninò suscipere, & professionem emittere teneantur, & non alijs conferri debent, vt sacrosancta Synodo Tridentina statutum est.

25 Sanxit etiam eadem Synodus sub Pio IV. vt nulla renuntiatio, aut obligatio ante professionem facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque causæ piæ valeat; nisi cum licentia Episcopi, seu eius Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionẽ: ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi professione secuta. Aliter verò facta, quamuis cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.

26 Hoc etiam prouidendum est, ne quis in diuersis Monasterijs locum Monachi habere præsumat. Nec vt vnus Abbas pluribus Monasterijs præsideat. Item ne cui Monacho, de Monasterio in Monasterium migrare permittatur; sed Monasterium suum deserens, ad illud competenti coerctione redire compellendus est.

27 Sed quia Regulares de vno ad alium Ordinem translati, facilè à suo Superiore licentiam standi extra Monasterium obtinere solebant; ex quo vagãdi, & apostatãdi occasio tribuebatur: propterea eadem Synodus Tridentina decreuit, vt nemo cuiusque Ordinis Prælatus, vel Superior, vigore cuiuscunque facultatis, aliquẽ

ad habitum, & professionem admittere possit, nisi in Ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuò maneat. At taliter trãslatus, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, ad beneficia sæcularia etiam curata incapax omninò existat.

28 Mendicantes verò, qui non ad Mendicantium Ordines, etiam authoritate Apostolica transierunt, iuxta Clementis V. Constitutionem, (à Prioratus administrationibus, officijs, vicariatibus, & alijs præminentijs, quoquo nomine vocentur, repelli debent. Nec locum aut vocem in Capitulo eis concedi oportet, etiamsi hoc eis à Collegis liberè permitteretur.

29 Vt autem inuiolabiliter monastica disciplina custodiatur, de congregatione Monachorum Abbas eligẽdus est (Clericus ergò secularis non eligetur in Abbatẽ) quem ordo vitæ, & meritum magis popóscerit ordinari. Qui cautus sit in regimine, humilis, & discretus: & cui Monachi cum omni obedientia, & deuotione subiaceãt.

30 Et propterea, sicut in Magistrum assumi non potest, qui nusquam discipulus fuit; ita & in Superiorẽ præficiendus non est, qui subesse non nouit, regularemque Prælaturam non assumat, qui primo professus non fuit. Quanquam ad Episcopalem dignitatem talis in sæcularibus, vel regularibus Ecclesijs eligi minimè prohibeatur.

31 Quod si in aliqua Congregatione non reperiatur idoneus, qui possit in Abbatem eligi, tunc sumẽdus erit de alio Monasterio: & qui in alio Monasterio Abbas cõstitutus, iam amplius non habebit vocem in primo Monasterio, etiamsi ex consensu Capituli hoc sibi reseruauerit.

32 Visitatores quoque in Capitulo creandi sunt, secundum formam Generalis Concilij, qui visitationis officium exequantur; & omnia quæ Viennensi Concilio constituta sunt, fideliter obseruari faciant, & de statu Monasteriorum, & obseruantijs regularibus diligenter inqui-

inquirant; & tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus corrigant, & reforment, quæ viderint corrigenda, & omnia ſecundum Honorianæ conſtitutionis formam proſequantur.

33 Nouiſsime ſciendum eſt, nemini licere nouam Religionem inſtituere, ſed quicumque ad Religionem ſeſe conuertere voluerit, vnam ex olim inſtitutis, & ab Eccleſia receptis aſſumat. Et conſequenter, qui voluerint religioſam domum fundare, ex Religionibus veteribus Regulam, & Inſtitutionem accipere debent; ne temere recedatur ab eo, quod diu bonum iudicatum fuit. Qui autem cogitata ſua, & inuentiones Sanctorum Patrum Conſtitutionibus anteponunt, illi errorum Magiſtri ſunt, quia veritatis diſcipuli eſſe noluerunt.

TITVLVS X.

De Sanctimonialibus.

1 PRouidit etiam Sacroſancta Synodus Tridentina, ſub Pio IV. libertati profeſsionis virginum Deo dicandarum, ne habitum ſuſcipiant ante annum duodecimum expletum, neuè ſeductæ, aut coactæ profeſsionem emittant. Propterea ſine ſcitu, & examine Epiſcopi profeſsionem facere non debent. Quod ſi Præfecta certiorem Epiſcopum non fecerit ante menſem de eius profeſsione, quamdiù Epiſcopo videbitur ab officio ſuſpenſa ſit.

2 Eadem ſacroſancta Synodus anathemati ſubijcit omnes, & ſingulas perſonas, cuiuſcunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tàm Clericos, quàm Laicos, ſeculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungẽtes, ſi quomodocunque cogerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, pręter-

terquam in casibus à iure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis, vel ad emittendum professionem: quique consilium, auxilium, vel fauorem dederint. Quique scientes eam non spontè ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui, vel præsentiam, vel authoritatē interposuerint.

3 Simili quoque anathemati subijcit eos, qui sanctarum virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquomodo sine iusta causa impedierint. Decreuitque vt omnia & singula, quæ ante professionem, vel in ipsa professione fieri oportet, seruentur non solùm in Monasterijs subiectis Episcopo, sed & in alijs quibuscumque. Ab his tamen excepit mulieres, quæ Pœnitentes, aut Conuertitæ appellantur; in eis enim constitutiones ipsarum seruari vult.

4 Hoc quoque circa Sanctimoniales eadem Synodo statutum fuit, vt earū Monasteria Sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subiecta, etiam sub nomine Capitulorum Sancti Petri, vel Sancti Ioannis, vel aliàs quomodocunque nūcupentur, ab Episcopis tanquam Apostolicę Sedis delegatis gubernentur, nō obstantibus quibuscumque. Quæ verò à Deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab alijs Regularibus reguntur, sub eorum cura, & custodia relinquantur.

5 Item sanxit, vt Sanctimoniales earum Constitutionibus admoneantur, quò saltem semel singulis mensibus confessionem peccatorum faciant; & sacrosanctā Eucharistiam suscipiant. Atque vt præter ordinarium Confessorem, alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs Superioribus, bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.

6 Id quoque in mulieribus Religiosis præcipuum statutum est, vt hæ cuiuscunque Religionis, vel Ordinis

nis ſint; tacitè, vel expreſsè profeſsæ, intra clauſtra ſui Monaſterij perpetuò permaneant, nec quacumque ratione, vel cauſa egredi poſsint: niſi tanto morbo laborent, vt manifeſtum ſit, non poſſe eas cum alijs, citra periculum, vel ſcandalum commorari. Nec cuiquam, etſi alioqui honeſtæ perſonæ, acceſſus, vel ingreſſus ad eas pateat, niſi rationabilis cauſa ſubſit, ac Prælati venia intercedat.

7 Prohibentur prætereaper ſeipſas litigare; ſed litem exercere volentes, procuratores conſtituere debẽt: quemadmodum etiam in proſequendo electionis negotio apud Sedem Apoſtolicam: ſiue illud electarum nomine agatur, ſiue eligentium: aut earum, quæ ab electione appellant, vel contra eam opponunt, non debent ad ipſam Sedem ipſæ accedere, ſed procuratores mittere.

8 Præcepit quoque ſacroſancta Synodus Epiſcopis, vt in omnibus Monaſterijs ſibi ſubiectis ordinaria; in alijs verò Sedis Apoſtolicæ authoritate, clauſuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui; & vbi inuiolata eſt, conſeruari maximè procurent. Decernens etiam, vt nemini Sanctimonialium liceat pòſt profeſſionem exire à Monaſterio, etiam ad breue tempus quocumque prætextu: niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda, indultis quibuſcumque, & priuilegijs non obſtantibus.

9 Ingredi autem intra ſepta Monaſterij nemini liceat, cuiuſcunque generis, aut cõditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi, vel Superioris licẽtia in ſcriptis obtenta, ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda. Dare autem tantùm Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſarijs: neque alijs vllo modo poſſit, etiam vigore cuiuſcunque facultatis, vel indulti hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi.

10 De electione autem Abbatiſſæ animaduertendũ

eſt,

est, quod debet esse triginta annorum, quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit; & sit virgo. Quia vidua Abbatissa esse nequit, quantumcunque castè vixerit in Monasterio. Similiter nec illegitimè nata, patiensque defectum in natalibus.

11 Et quia Monasteria Sanctimonialium extra mœnia Vrbis, vel Oppidi constituta, malorum hominum prædæ, & alijs facinoribus, sine vlla sæpè custodia sunt exposita; præceptum est eadem Synodo Episcopis, & alijs Superioribus, vt curent, si ita videbitur expedire, vt Sanctimoniales ex eis ad noua, vel antiqua Monasteria intra Vrbes, vel Oppida frequentia reducantur. Inuocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachij sæcularis; impedientesque, vel non obedientes per censuras Ecclesiasticas parere compellant.

LIBER TERTIVS.

De rebus Ecclesiasticis Spiritualibus, & earum administratione.

TITVLVS I.

De Rerum diuisione.

1 VPERIORIBVS libris, de iure personarũ Ecclesiasticarum, altioris nimirum, & inferioris ordinis, exposuimus; modo videndum est de rebus Ecclesiasticis, illarumque tractatione, tàm respectu animæ, quàm respectu corporis, quia ex his duabus rebus, homo terrenus compositus est.

2 Res itaque Ecclesiasticæ, aut Spirituales sunt, aut

aut Temporales. *Spirituales sunt*, quæ spiritui deseruiunt, atque animæ causa institutæ sunt, vt Sacramenta Ecclesiæ, Altaria, & his similia. *Temporales sunt*; quæ corporis gratia pro Ecclesiasticis ministerijs, sacrorumque ministrorum vsu sunt comparatæ, vt sunt prædia, villæ, domus, ciuitates, & fructus decimales.

3 Rursus Spiritualium rerum, quædam sunt incorporales: quædam verò corporales. *Incorporales sunt*; quæ neque tangi, neque vllo sensu corporeo percipi possunt: quales sunt virtutes, & dona Dei, aut quæ in iure consistunt. *Corporales sunt*; quæ & cerni, & tangi, & humanis sensibus percipi possunt. Harum autem quædam sunt Sacramenta, quædam res sacræ, quædam sanctæ, quædam verò religiosæ.

4 Et quia spiritualia incorporalia à Theologis tractantur, nos spiritualia corporalia, vel quæ pèr corporalia recipiuntur, hic diligenti trutina examinabimus. Primumque de Sacramentis, deque rebus sacris, sanctis, atque religiosis tractabimus; postea de rebus temporalibus, atque illarum administratione agemus.

TITVLVS II.

De Sacramentis in genere.

1 SAcramentum est, inuisibilis gratiæ visibile signũ, ad nostram iustificationem institutum. Vel. *Sacramentum est*, corporeum quoddam elemẽtum, extrinsecus cum sensu inflictum, inuisibilia, & incorporalia propter similitudinem referens, & propter institutionem significans. Ideòque dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod cernitur, speciem habet corpoream; quod percipitur, fructum habet spiritualem. Vnde à secretis virtutibus,

vel à sacris Sacramenta dicuntur, quia sub tegmento corporalium rerum, diuina virtus secretius salutem eorundem Sacramentorum operatur.

2 Sunt autem hæc septem infrascripta Ecclesiæ Sacramenta, secundum septem diuersitates hominum in Ecclesia instituta. Primum est Sacramentum intrantiũ in Ecclesiam. *Baptismus*. Secundum pugnantium cum hostibus salutis animarum, *Confirmatio*. Tertium vires resumentium in pugna, *Eucharistia*. Quartum, resurgentium à labe, *Pœnitentia*. Quintum est executiuum, *Extrema vnctio*. Sextum ministrantium circa salutem, *Ordo*. Septimum nouos milites introducentium in Ecclesiam, *Matrimonium*.

3 Cautum autem est sacrosanctæ Synodi Tridentinæ Canonibus, vt si quis dixerit esse plura, vel pauciora, quam septem enumerata Sacramenta: aut etiam aliquod horum septem, non esse verè, & propriè Sacramẽtum, seu non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit.

4 Similiter, qui dixerit ea ipsa legis Sacramenta, à Sacramentis antiquę legis non differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi: Ac etiam, si quis dixerit hęc septem Sacramenta, ita esse inter se paria, vt nulla ratione aliud sit alio dignius. Vel Sacramenta nouæ legis propter solam fidem nutriendam instituta esse. Vel non continere gratiam quam significant: aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantùm externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & notæ quædã Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit.

5 Horum verò Sacramentorum hæc summa diuisio est, quod aut sunt necessaria, aut voluntaria. *Necessaria sunt*, quæ sine interitu salutis æternæ prætermitti, & contemni non possunt, vt sunt Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema vnctio: quę omnia

ad particularem cuiusque profectum sunt principaliter instituta. *Voluntaria sunt*, quæ sine dispendio salutis, pro cuiusque arbitrio recipi possunt, & refutari, qualia sunt Ordo sacer, & Matrimonium: & hæc ad totius Ecclesiæ profectum, & subsidium principaliter pertinent.

6 Rursus necessariorum Sacramentorum, quædam ad ingressum Ecclesiæ sunt comparata, vt Baptismus: quædam ad progressum in Ecclesia, vt Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia: & quædam ad egressum ab Ecclesia, vt Extrema vnctio.

7 Item Sacramentorum quædam characterem, seu signum quoddam spirituale, & indelebile in anima imprimunt, & iterari non possunt, vt Baptismus, Confirmatio, & Ordo: quædam verò nullum characterem imprimunt, iterariq; minimè prohibentur, vt Eucharistia, Vnctio, Pœnitentia, & Matrimonium.

8 Constant autem Sacramenta, elemento, & verbo. Elementum hic accipimus, quidquid sub visibili natura, inuisibilem gratiam designat, & cõtinet. Verba sunt, quæ formæ visibilis efficaciam exprimunt. Ergo accedente verbo ad elementum, Sacramentum fiet.

9 Et dicuntur Ecclesiæ Sacramenta, propterea (quãuis illa ipse Christus instituit, non Ecclesia) quia per ea Ecclesia sanctificatur, cœlestique Sponso matrimonij fœdere coniungitur: tum quia illa ministrat, & illorũ dispensationem sibi creditam habet.

10 Ergo qui baptizat, qui absoluit, & in singulis Sacramentis diuinitus operatur Dominus est: ministri verò Ecclesiæ in conficiendis sacris mysterijs, vel dispẽsandis, præter nudum ministerium nihil sibi vendicare valent, cum non propriam, sed eius qui Sacramenta instituit personam referant, nec vlla ex ipsis sanctificandi virtus emanet. Vnde quanquam eos inculpatos esse deceat, si tamen mali sint, vel à Catholica communione seiuncti, nihilominus & conficere Sacramenta & dispensare poterunt. Veluti enim per lapideos canales ad

areolas aqua transfunditur,& Solis radij per loca fœtidissima transeuntes nulla contactus maculatione contaminantur: sic multo magis Sacramenta nulla ministri fœditate commaculantur. Ergo etiam malus minister, & hæreticus potest ministrare Sacramenta.

11 Hoc tamen sic intelligi oportet,si tales ministri intentionem Ecclesiæ concordem habeant. Cęterum, si aliud agere intendat,puta sacris illudere mysterijs,vel aliud quod Ecclesiæ non consentiat,nihil agitur. Sine fide enim spiritualis potestas exerceri quidem potest, sine Ecclesiæ intentione non potest.

12 Si quis ergo dixerit,Sacramenta nouæ legis non esse ad salutem necessaria,sed superflua,& sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines à Deo gratiam iustificationis adipisci, licèt omnia singulis necessaria non sint, anathema sit.

13 Similiter si quis assereret Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem. Vel in ministris, dum Sacramenta conficiunt,& conferunt,non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia. Vel ministrum in peccato mortali existentem,modo omnia essentialia,quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinēt, seruauerit,non conficere,aut conferre Sacramentum. Vel receptos,& approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solenni Sacramentorū administratione adhiberi consuetos,aut contēni,aut sine peccato à ministris pro libito admitti; aut in nouos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorē mutari posse: Qui inquam hæc,vel eorum aliqua dixerit,eadem Sacrosancta Synodo Tridentina anathema decernitur.

14 His circa Sacramenta generaliter cognitis,exordiamur nunc de singulis etiam specialiter dicere: & quia Baptismus fundamentum est, & ianua cęterorum, merito ab eo principium sumamus, disquirentes, quid sit Baptismus, vnde dicatur, quotuplex sit,

quæ-

TITVLVS III.

De Baptismo, & eius effectu.

1 Baptismus est Sacramentum regenerationis, per quam in verbo vitæ homo renascitur ex aqua, & Spiritu Sancto, & fit Filius Dei adoptiuus, secundum illud Ioannis. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Vel. Baptismus est, exterior hominum ablutio, cum certa forma verborum, originarium peccatum delens. cuius figura in veteri Testamento erat Circumcisio, in Fidei, iustitiæque signaculum instituta. Sed longè maiorem vtilitatem adfert nobis Baptismus: quia licèt Circumcisio culpã ingenitam populo Dei remittebat, Cœlum attamen circumcisis occlusum tenebat. Modo verò post Baptismum regeneratus ianuam cœlestem sibi reseratam inuenit. Quinetiam, & propria voluntate labem contractam in adultis præter originariam delet. Dicere attamen, peccata, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione, & fide suscepti Baptismi, vel dimitti, vel diminuí, & fieri venialia, anathema esset, ex Tridentinæ Synodi constitutione.

2 Dicitur Baptismus à nomine Græco, quod Latine significat immersionem in aquam, seu ablutionem; tàm exteriorem corporis, quàm interiorem animæ, quæ fit per Spiritum Sanctum. Nam aqua, & verba nil prodessent baptizato, nisi Spiritus Sanctus baptizaret interius. Vnde & duplex paternitas, & filiatio reperitur in Baptismo: vna exterior, in qua baptizans, est pater: alia interior, in qua Spiritus Sanctus est pater. Et ideò omnes Christiani dicuntur filij Dei, & inter se sunt fratres spirituales; quia habent eundem patrem spiritualẽ in ista

secun-

secunda natiuitate. Per ipsam verò immersionem in aquam, repræsentatur sepultura Christi, cui secundum Apostolum consepelimur per Baptismum. Hinc à Patribus vocatur principium primum mandatorum, quia est ianua, qua ingreditur in societatem Christianæ vitæ, & omnium Sacramentorum. Sæpè aliàs vocatur Sacramentum Fidei, ac illuminationis: quia in ipso baptizati profitentur Fidem, & per illam illuminantur. Vocatur etiam purgatio, sepultura, plātatio, ac Crux Christi; quia per ipsum expurgatur baptizatus à peccato, illiq; moritur, & complantatur Christo, eiusque Cruci.

3 Triplex est autem Baptismus. Fluminis, Flaminis, & Sanguinis. *Fluminis Baptismus*, verè, & propriè Sacramentum est, de quo Ecclesia dicit. *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum.* Flaminis verò, & Sanguinis dicuntur Baptismi in ordine ad Baptismum fluminis, quatenus eius vicem supplere possunt, & producere eius spiritualem effectum, nempè remissionem peccatorum, cum infusione gratiæ iustificantis. At non supplent vicem, & obligationem suscipiendi verum Baptismum fluminis, data commoditate illum suscipiendi. Et sic qui scit necessarium esse Baptismum ad salutem, tenetur habere voluntatem re ipsa suscipiendi Baptismũ, & adimplere præceptum Christi. Qui verò hoc nescit, satis est habere voluntatem seruandi totam legem diuinam, & quærendi remedia, quæ à Deo ordinata sunt ad consequendam salutem, & peccata delenda. Quia virtualiter habet propositum suscipiendi Baptismum, prout colligitur ex Actibus Apostolorum, ex facto Cornelij Centurionis.

4 Baptismus itaque Fluminis fit aqua naturali, nẽpè per ipsam immersionem, adhibita certa forma verborum, per quam interior animæ ablutio à sordibus originalis peccati Spiritus Sanctus operatione efficitur. Flaminis verò Baptismus fit per Spiritum Sanctum, cum quis habet intentionem suscipiendi Baptismum, sed cō-

modi-

moditatem non habet se baptizandi. Et proinde requiritur, quod si hic talis habeat peccatum mortale, vt faciat veram peccatorum suorum contritionem, quia sola attritio non sufficit. Sanguinis verò Baptismus fit, cum quis non habens occasionem baptizandi Baptismo fluminis, qui verè characterem animę imprimit, subit lætus pro Christi nomine Martyrij Sacramentum.

5 Item Baptismus Fluminis diuiditur in Solennem, & simplicem. *Solennis*, multas cœremonias exigit præter verbum Dei, & aquam; nam & Cachechismos, & Exorcismos, & Exsufflationes, & Vnctiones, & salis, saliuæque lenitiones, & multas preces, multasque alias solennitates desiderat. *Simplex autem* in casu necessario in vsu esse solet, cum quis vitæ in discrimine est, qui baptizandus est; propterea que sine solennitatibus prædictis absoluitur. Sed solùm immersione trina in fonte contentus est, cum prolatione solemnium verborum. *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

6 Materia Baptismi est aqua naturalis. Non rosacea, aut decocta cum herbis; non lixiuium, aut iusculum aliquod. Forma verò, verba à Christo Domino instituta. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, et Spiritus Sancti*. Non in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab vtroque. Non in nomine sanctiss. Trinitatis, aut Iesu Christi; quia & Baptismus non valeret, & Sacerdos sic baptizans depositionem promereretur.

7 Baptizandi autem cura ad solos Sacerdotes pertinet; eiusque ministerium, nec ipsis Diaconibus explere permittitur absque Episcopo, vel Presbytero; Nisi his absentibus vltima languoris baptizandi cogat necessitas. Quo casu, & laicis fidelibus, atque ipsis mulieribus baptizare permittitur. Quod si Diaconus, vel Laicus baptizasset non instante necessitate? Baptismus quidem valet, sed vsurpatores alieni muneris puniendi erunt. Presbyter verò, cuius negligentia cõmissum est, vt quis sine baptsmate ex humanis excesserit, deponendus erit,

siue

ſiue in prouincia propria ſit,ſiue in aliena;ſiue vbi cumque inuentus fuerit in hoc deliquiſſe.

8 Sed & ſi qui ab hæreticis, ſiue ſchiſmaticis, vel etiã à paganis, aut aliàs à facinoroſis baptizati fuerint, non ſunt denuò rebatizandi, ſi hoc fecerunt cum intentione faciendi id quod facit Eccleſia; & debita materia, atque forma adhibita fuit. Cum non dignitate miniſtri, ſed virtute vebi Diuini, & Spiritus ſancti; Baptiſmus conſtet. Sed ſi de aliquo tamen ambigatur, an ſit baptizatus nec ne? poterit ei Baptiſmus huiuſmodi verbis conferri. *Si baptizatus es, te non rebaptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, etc.* Et certè, quoties non inueniuntut certiſſimi teſtes, qui infantes baptizatos ſine dubitatione teſtentur, neque ipſi ſũt per ætatem idonei de traditis ſibi Sacramentis reſpondere, abſque vllo ſcrupulo baptizandi ſunt, ne iſta trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione priuari.

9 Nemo autem ſeipſum baptizare poteſt, etiam in mortis articulo conſtitutus, quamuis, ſi ſtatim deceſſerit, non propter fidei Sacramentum, ſed Sacramenti fidem, ſaluus fiet.

10 Sacroſancta itaq; synodus Tridentina, anathemati ſubiecit omnes, qui dixerint, paruulos, eò quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter fideles computandos non eſſe, ac propterea, cum ad annos diſcretionis peruenerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare omitti eorum baptiſma, quã eos non actu proprio credentes baptizari in ſola Fide Eccleſiæ. Vel qui dixerint, neminem eſſe baptizandum, niſi ea ætate, qua Chriſtus baptizatus eſt; vel in ipſo mortis articulo, vel huiuſmodi paruulos baptizatos, cum adoleuerint interrogandos eſſe, an ratũ habere velint, quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt: & vbi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogẽdos, niſi vt ab Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum per-

perceptione arceantur, donec resipiscant.

11 Paruuli igitur alio profitente baptizandi sunt, quia ahuc loqui vel credere nesciunt: sicut etiam ægri, muti, & surdi, quorum vice alius profitetur, vt pro eis respondeat, dum baptizantur. Dormiens quoque, & amens, si ante somnum, & amentiam habuerunt propositum baptizandi, in necessitatis articulo baptizari possunt. Sed & si quis non spontè, dum tamen non omnino coactus, Baptismatis susciperet Sacramentũ, Christianitatis suscipit characterem, & ad Fidei Christianæ obseruantiam cogendus est. Ille verò qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem Sacramenti suscipit.

12 Is quoque, cuius mater, vel prægnans, vel in ipsa hora qua parturit, mortis vrgente periculo, Baptismatis gratiam receperit, baptizari poterit, nec propterea bis baptizatus reputabitur. Cum vtique ad maternum corpus, cũ esset in vtero, pertineret, nec ibi regeneratio reperiri possit, vbi generatio non præcesserit; nec in hoc infanti, qui nascitur, aliquid mater participat, cũ vniuscuiusque voluntas in confessione sit attendenda.

13 Quod si quis sciens, & prudens iterum baptizari sustinuerit, arctissimæ pœnitẽtiæ subijciendus erit; quod si ignoranter, nulla quidem imponenda erit pœnitẽtia; sed nisi magna cogat necessitas, ordinari non poterit. Illi verò qui in homine iam baptizato, cœleste lauacrum iterare ausi fuerint, excommunicationis mucrone percussi, ab omni officio, & beneficio ecclesiastico deponantur.

14 Illud quoque obseruandum est, ne quis in priuatis domibus, sed duntaxat in Ecclesijs, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos audeat baptizare; nisi Regum, vel Principium liberos; vel talis necessitas emerserit, propter quam ad Ecclesiam absq; periculo accessus haberi nequeat.

TITVLVS IV.

De Sacramento Chrismatis.

1 POst Baptismum, qui transituris ex hoc mundo sufficit ad salutem, Confirmatio quoque est Christiano adhibenda, qua vndequaque munitus sit tãquam duplici thorace aduersus maligni hostis insidias. Spiritus Sanctus enim, qui super aquas Baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione verò robur, & augmentũ præstat ad gratiam, qua nutriatur, & crescat, & confirmetur in Fide ex bonis operibus.

2 *Est itaque Confirmatio Sacramentum*, quo fides, gratia, & vita spiritualis inchoata in Baptismo cõfirmatur, augetur, atque perficitur. Et differt à Baptismo dupliciter. Primo ratione finis, quia finis Baptismi est natiuitas spiritualis; finis verò Confirmationis est augmentum, & perfectio talis vitæ. Secundo, ratione effectus, quia effectus Baptismi est gratia, illuminans baptizatũ in Fide. Effectus verò Confirmationis est, gratia confirmans illum, vt nullo pœnarum, suppliciorum, ac mortis periculo, vel metu, à veræ Fidei confessione deterreatur.

3 Dicitur autem Chrismatis Sacramentum Confirmatio, quia baptizatum confirmat in gratia, vt sit perfectus miles Christi, & fortis ad pugnam contra dæmones, & vitia. Et propterea à Patribus hoc Sacramentum dicitur *Signaculum Dominicum*, vel signum Christi, quia in collatione huius Sacramenti hodie ex Apostolorum institutione Chrisma adhibetur cum impressione signi Sanctæ Crucis in fronte (quod olim impositione manuũ duntaxat celebrabatur) vt externo signo intima vnctio, quam Spiritus Sanctus efficit, significetur septiformis gratiæ donum, *Sapientiæ videlicet, Intellectus, Consilij, Fortitudinis, Scientiæ, Pietatis, & Timoris Domini*.

4 Synodus igitur Tridentina meritò anathemate per-

percutit omnes, qui dixerint, Confirmationem baptizatorum ociosam ceremoniam esse, & non potius verum, & proprium Sacramentum: aut olim nihil aliud fuisse, quàm Catechesim quandam, qua adolescentiæ proximi Fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant. Vel iniurios esse eos Spiritui sancto, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt.

5 Materia huius Sacramenti est, Chrisma confectũ ex oleo oliuarum (quod nitorem significat conscientiæ) & balsamo (quod odorem denotat bonæ famæ) per Episcopum benedicto. Forma verò huius Sacramenti, sunt verba prolata à ministro, scilicet. *Signo te signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, et Filij, et Spiritus Sancti, Amen.* Quapropter omnis alia forma dissimilis vitiat hoc Sacramentum, prout dictum est de forma Baptismi.

6 Vnde cum cęteras vnctiones simplex Sacerdos, vel Presbyter valeat exhibere, hanc non nisi Summus Sacerdos, hoc est Episcopus conferre debet: alioqui nulla excusante consuetudine Chrismatio irrita habebitur, & vacua; nec inter Ecclesiastica Sacramenta reputabitur. Cum manum imposuisse, præter Apostolos, quorũ hodie vicem sustinent Episcopi, nulli alij legantur.

7 Accedent igitur omnes homines baptizati, cuiuscunque sint ætatis, ad hoc Sacramẽtum Cõfirmationis, modo sint capaces rationis, vt Paracletum Sanctum recipiant. Nec ante septennium pueris conferri potest hæc Chrismatis inunctio, quia nondum sciunt per rationem, quod hoc Sacramentum sit institutum ad conferendum robur, ad pugnandum contra hostes, nempè dęmonem, carnem, & mundum. Bene tamen potest conferri amentibus, & agonizantibus, licèt non sint vndequaque apti ad pugnam, quia carent vsu rationis: attamen apti sunt suo modo, vt per characterem consignẽtur in milites Christi, & perfectionem, seu augmentum gratiæ habitualis recipiant.

8 Nonnisi ieiunis,& à ieiunis Episcopis ex honestate hoc Sacramentum conferendum est: exceptis infirmis,& in tenui discrimine lethi positis,vel qualibet causa impeditis,nulla de ieiunio habita ratione manus imponi poterit,modo sint in gratia positi.

9 In fine datur pax confirmato, & leuiter in maxilla cæditur,vt intelligat se gratiæ celestis plenitudinem, &;pacem,quæ exuberat omnem sensum,consecutum esse pacemque per victoriam,& victoriam per pręlium obtineri: & quod non coronatur, nisi qui legitimè certauerit.

10 Illud est commune tàm his, qui baptizandi sunt, quàm etiam illis, qui Confirmationis munus accipere debent,vt aliquem in patrinum habeant,qui eosdem in Religione Christiana,& Fide Dominica instituat,& pro eis apud Deum quasi fideiussor existat. Ex quo patet, quod is qui Christianus non est,puerum offerre nō poterit,quia nō poterit eum docere in his,quæ Fidei sunt, nec potest pro eo obses esse, cum ipse Fidem nostram non teneat. Similiter & in Cathechismo patrini debent interuenire.

11 Adhoc autem vt contrahatur compaternitas, seu cognatio spiritualis inter patrinum, & confirmatum, patrem, & matrem confirmandi, seu baptizandi; necessarium est,vt patrinus tangat personam baptizatam, ac confirmatam, siue suscipiat in vlnas suas. Et si plures patrini eidem actui interuenerint, non contrahitur cognatio spiritualis cum alijs, quia de præcepto Ecclesiæ vnus tantùm debet esse patrinus; idemque confirmatus ipse.

12 Parentes verò propios filios, vel Abbates, vel Monachi alienos de sacro fonte suscipere, aut in Confirmatione tenere non debent.

13 Sciendum denique, quod nec Baptismus, nec Chrisma possunt iterari, eo quod ambo characterem imprimant. Potest autem vtrumque ob imminens peri-

ricu-

riculum tempore Interdicti conferri, & pro vtroque Chrisma confici, vt infra suo loco dicetur.

TITVLVS V.

De Pœnitentijs, & Remissionibus.

1 ETsi homo per Baptismum renatus ad vitam, habeat augmentum gratiæ ad pugnam per Sacramentum Confirmationis, quia tamen habens in se fomitem à natura ad peccandum, sæpius in grauia crimina labitur; quibus ne opprimatur, ideò Christus Dominus instituit Sacramentum Pœnitentiæ, vt sit nobis tanquam secunda tabula in naufragio, cuius ope à lapsu nos erigere possimus, si nostra vulnera criminibus contracta Medico spirituali nudauerimus.

2 *Pœnitentia itaque est*, Sacramentum, quod contritione cordis, confessione oris, & satisfactione operis concurrentibus, peccatorum operatur remissionem. Cum enim homo dolet pro peccato commisso, quo offenderat Maiestatem Diuinam, & odio illud habet cum proposito efficaci, amplius non peccandi, consequitur per absolutionem Sacerdotis, cui soluendi, & ligandi potestas diuinitus data est, veniam delictorum suorum, & reconciliatur Deo Redemptori suo.

3 Sunt autem duæ Species Pœnitentiæ in Ecclesia Catholica. Alia publica, & alia priuata. *Publica Pœnitentia est*, quæ à Iudice Ecclesiastico in foro Ecclesiæ imponitur, vt videlicèt humi iaceat quis cernuus in templo, dum diuina officia solemniter peraguntur. Vel, vt nudis pedibus cum candela accensa in manu, stet per totũ officium ante fores templi. Vel quid simile. Et hoc ideò constitutum est, vt qui publicè peccando proximo suo scandalum præbuerint, publicam etiam pœnitentiam, à proprijs sibi Sacerdotibus impositam pera-

peragentes,èmendationis exemplum præbeant. Solennis verò pœnitentia, quam olim Episcopus in capite ieiunij,seruata certa rerum serie delinquentibus imponere solebat, hodie iam in vsu esse desijt.

4 *Priuata verò Pœnitentia est*, quæ in occulto fit,cum Sacerdos legitimè sua peccata confitentem, cum iusto dolore,& proposito satisfaciendi absoluit ab eis. Statutum est enim ab Ecclesia,vt omnis fidelis, quam primũ sapere cœperit, omnia sua peccata proprio Sacerdoti confiteatur,& iniunctam sibi pœnitentiam,proprijs viribus adimplere studeat,suscipiens reuerenter ad minus singulis annis in Paschate Eucharistiæ Sacramentum: Nisi forte de Sacerdotis consilio,ex causa duxerit abstinendum. Alioqui & viuens ab ingressu Ecclesiæ arcebitur,& moriens Christiana carebit sepultura.

5 Constat igitur Pœnitentiæ Sacramentum tribus partibus, Contritione, Confessione, & Satisfactione. *Contritio nihil aliud est*, quam dolor pro peccatis voluntariè assumptus, cum proposito amplius ad ea non redeundi,& pro commissis satisfaciendi: *Confessio verò est*, legitima cum preparatione peccatorum coram proprio Sacerdote facta declaratio. *Satisfactio demum*, prompta impositæ pœnitentiæ executio, atque illatæ proximo iniuriæ compensatio. Non enim sufficit mores in melius commutare, & à præteritis malis recedere, nisi etiã de his,quæ facta sunt,Deo satisfaciat per contriti cordis sacrificium,cooperantibus eleemosynis, orationibus,& ieiunijs.

6 Tribus autem de casibus,potest quis confiteri nõ proprio Sacerdoti. *Primo*, si obtineat licentiam ab eodem, vel ab Episcopo suo. *Secundo*,si veritus imperitiam proprij Sacerdotis; vel mores eius suspectos habens, adierit Regulares,generalem audiendi cõfessiones potestatem habentes, & à loci Ordinario approbatos. *Et Tertio*. Si pœnitendi vrgeat necessitas, nec desideranti locus, aut tempus proprium Sacerdotem offerat. Vel si pro-

si proprius soluendi facultatem non habeat: aut hæreticus sit; aut sollicitator ad malum; aut pronus ad reuelandum.

7 Sed siue proprius Sacerdos, siue alius pœnitentē audiat, caucbit omninò, ne aut verbo, aut nutu, aut signo, alioue quouis modo confitentem prodat. Qui verò peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum reuelare ausus fuerit, non solùm à sacerdotali officio deponendus erit, verùm etiam ad agendum perpetuò pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendus.

8 Illud etiam animaduertere sacerdotem oportet, ne quem scilicet ab his criminibus absoluendo liberare tentet, quorum absolutio, aut Apostolico, aut proprio Episcopo est reseruata. Vt puta, si pœnitens Clericum enormiter læserit, Ecclesiam combusserit, vel fregerit; aut scripturas publicas falsificauerit; Cardinalem, vel Episcopum insecutus fuerit: cum Moniali rem habuerit, & in alijs casibus.

9 Sunt autem casus Papæ reseruati omnes illi, qui fiunt contra Ius Canonicum: hoc est, contra Constitutiones Summorum Pontificum; Sacrorum Conciliorū Generalium; contra omnes Bullas Pontificias; sed maximè Bullam Cœnæ Domini. Item casus violationis immunitatis Ecclesiasticæ: violationis clausuræ Monialium ad malum finem: prouocantium, & pugnantium in duello: Simoniæ realis, vel confidentialis scienter contractæ: percussionis Clerici, &c.

10 Episcopo verò reseruantur peccata, ex proposito, seu mala intentione facta, vt homicidium voluntarium, mutilatio, & abscissio membri, blasphemia publica in Deum, & Sanctos eius, periurium, falsum testimonium, rapina, furtum in Ecclesia rerum sacrarum, diuinatio, sortilegium magia, incantationes, veneficia, inuocationes demonum, abusus Sacramentorum, incendiū, & absolutio quarundam censurarum, & irregularitatū, dum adest legitimum impedimentum, quo minus pœnitens

nitens adire possit Sedem Apostolicam.

11 Concessa igitur facultas ab Episcopo alicui confessario absoluendi à casibus Episcopalibus, non continet in se ex proprietate sermonis absolutionem à censuris, & irrègularitate, nec commutationem, aut dispensationem votorum, aut iuramentorũ. Sed vt ambiguitatẽ tollãt tàm in edicto reseruationis casuum, quàm in licentijs quas Confessarijs Episcopi concedunt, exprimerè debent, quos casus concedunt, & quos sibi reseruant. Cum in generali concesione illa minimè veniant, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus.

12 Medicos etiam admonere oportet ex Constitutione Pij V. vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, vt Medicos vocent animarum; vt postquam fuerit ægrotanti de spirituali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remediũ salubrius procedatur. Si quis autem Medicorum secus fecerit, ab Ecclesiæ ingressu arcebitur, donec pro transgresione huiusmodi satisfecerit.

13 Si quis autem in infirmitate constitutus pœnitentiam petierit, & dum ad eum inuitatus Sacerdos properat, morbo oppressus obmutuerit, vel in phrenesim conuersus fuerit, & pœnitentiam moriturus, & per manus impositionem reconciliationem accipere poterit, nec sepultura ecclesiastica priuandus est. Ecclesia enim tanquam pia mater, omnibus fidelibus in quouis statu cõstitutis, piè vult subuenire. Secus tamẽ in his, qui seipsos cõfodiunt, vel occidũt, & impœnitẽtes moriuntur.

14 Vltimo verò supplicio damnatis pœnitentiæ Sacramentum, si petunt, non solùm negari non debet, verùm etiam censura Ecclesiastica ab Ordinarijs locorum coercendi sunt, quicumque aduersarentur, quominus id consequantur: quod ipsum, & de Eucharistia quoque intelligendum erit. Cum quibuscumque pœnitentia non negetur, viaticũ quoque, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligatur esse concessum.

TITV-

TITVLVS VI.

De Sacramento Eucharistiæ.

1 EVcharistia est, Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi, sub speciebus panis, & vini institutum, ad spiritualem hominis refectionem. Vbi enim homo pœnitentiæ ope à lapsu exurrexerit in Domino, tùm verò ei cauendum est, vt in bono perseueret, ac crescat, hoc cibo salutari refectus, donec perueniat in vitam æternam.

2 *Dicitur autem Eucharistia Græcè*, quasi bonam gratiam significans Latinè, quod contineat in se Christum, qui est Fons, & Author omnis gratiæ, & præsignificat nobis vitam æternam, quæ dicitur gratia Dei.

3 Item dicitur hoc Sacramentum, *Gratiarum actio*, tùm quia Christus in eius institutione gratias ègit Deo; tùm etiã, quia in hoc Sacramento, quotidie Deo aguntur gratiæ pro omnibus beneficijs ab eo receptis; & præcipuè, pro eius institutione.

4 Vocatur etiam, & *Sacrificium*, quia repræsentat nobis sacrificium illud Christi Domini, in Cruce pro peccatis totius mundi peractum: & quia in ipso immolatur quotidiè Christus Dominus, & offertur Deo Patri, ac toti Sanctißimæ Trinitati pro omnibus viuis, & defunctis.

5 Vocatur quoque *Communio*, quia per hoc Sacramentum homo communicat, & participat de corpore, & sanguine Christi. Et quidem circa prima Fidei cunabula, frequentißima erat apud fideles, huius sanctißimi Viatici susceptio, sed cum postea paulatim tepescente charitate, rarius homines communicarent, constitutum fuit, vt nisi quis maioribus fortasse criminibus impediretur, tribus saltem vicibus in anno communicare deberet. Donec refrigescente penitus Religionis ardore, eò tandem ventum est, vt semel sal-

tem ſingulis annis vnuſquiſque cęleſtis menſæ debeat eſſe particeps.

6 Item dicitur *Sacramentum pacis*, & *charitatis*, quatenus ſignificat vnionem fidelium inter ſe, & cum Chriſto, per ipſum enim Sacramentum homo copulatur Chriſto, vt capiti, & ſub hoc capite ita connectitur cum alijs membris Chriſti, id eſt, fidelibus, vt vnũ corpus fiat cum illis. Quod declaratur per vtramque materiam huius altiſſimi Sacramenti: quia ſicut ex multis granis panis vnus, & ex multitudine racemorũ vnum vinum efficitur; ita ex multitudine fidelium, tanquam ex multis membris fit vnum corpus Eccleſiæ, dum vinculo huius Diuini Sacramenti arctiſſimè colligantur, & tanquam vnum corpus efficiuntur.

7 Dicitur adhuc *Viaticum*, quia eſt cibus ſpiritualis viatori, nempè homini conſtituto in via huius vitæ. Nam ſicut ad alimentum vitæ corporalis, requiritur cibus, & potus: ita ad refectionem, ſiue alimentum vitæ ſpiritualis, datur nobis ſub ſpeciebus panis, & vini, corpus verum, & ſanguis Chriſti Domini, cuius ſumptio nos munit, confortatq; contra hoſtes animarum noſtrarum, & parat nobis viam ad æternam felicitatem. Et propter hoc tribui ſolet morituris, vt ſic muniti, & fortificati per gratiam ipſius, ad vitam perueniant immortalem.

8 Poſtremò dicitur *Cœna*, quia vltima cœna Chriſtus illud inſtituit pridie quam pateretur, vt habetur in Euangelio. Quatenus verò vocatur *Hoſtia*, ſignificat paſſionem Chriſti, qui mortuus eſt pro nobis, & Deo Patri offertur in Miſſa, pro ſalute viuorum, & mortuorum, vt ſupra iam diximus.

9 Miſſæ verò celebrationem, Iacobus frater Domini, & Baſilius Cæſarienſis ordinauerunt: Chryſoſtomus deindè, & Ambroſius. Sed in eam, quam nunc celebratur formam, redegerunt ſummi Pontifices Romani. Conſtitueruntque, vt quemadmodum quoti-

die labimur, ita quotidie etiam Sacerdotes pro Populo, hanc oblationem Deo facerent. In quo tamen illud cauendum est, vt Sacerdos, quamcumque præfulgeat dignitate, amplius quàm semel in die celebret. Nisi aut aliter facien dum Domini Natiuitas suadeat, aut vrgens, cogat necessitas: de qua disponere debent Sedis Apostolicæ Præsides.

10 Nemo autem hoc Sacramentum facere potest, nisi Sacerdos, qui ritè sit ordinatus, secundum claues Ecclesiæ, quas concessit Apostolis, eorúmque Successoribus Christus. Sed quilibet Sacerdos tenetur seruare ritum, quem profitetur: & proinde si Latinus consecraret in pane fermentato, peccaret grauiter, & puniri posset, tanquam transgressor legis. Sic etiam Græcus ad euitandum scandalum sui Populi, tenetur celebrare in fermentato.

11 Sed nec ab omnibus, nec passim omnibus, tantùm Sacramentum exhiberi decet: nam veluti solus Sacerdos illud conficit; ita etiam nemo præter eum populo distribuere debet. Quamuis olim præsente Præsbytero, Diaconus vrgente necessitate Populo erogare poterat. Immo, & Sacerdotes, si qua criminali macula sese infectos esse sentiant, ab huiusmodi exhibitione abstinere debent.

12 Si Sacerdos peccato mortali, vel minori excõmunicatione illigatus celebret, & Sacramenta conferat, licèt grauiter peccet, nullam tamen Irregularitatis notam incurrit. Et Sacramenta ab eo collata virtutis effectu non carent, cùm non à collatione, sed à participatione, quæ in sola perceptione consistit, videatur esse remotus.

13 Et quamuis nullus ab Altari sit arcendus, scænicis tamen, atque histrionibus, & meretricibus publicis, ceterisque personis huiusmodi, quamdiu tàm detestandas artes exercuerint, sacra Communio deneganda erit. Nec enim Euangelicæ disciplinæ congruit,

vt pudor, & honor Ecclesiæ, tàm turpi, & infami cōtagione fœdetur. Accedentem tamen ad communionem in manifesto, quamuis Sacerdos sciat esse impœnitentem, non debet negando prodere: nam & Dominus noster Iudam impœnitentem communicauit. Quod si impœnitens in occulto peteret Sacramentū, Sacerdos conscius denegare debet.

14 Caueat verò Sacerdos, ne dum Missam celebrat, & Sacramenti mysterium facere simulat, suppressis verbis solemnibus, quibus Sacramentum conficitur, panem, & vinum inanè tantummodò sumat, dum fortè veretur Missam celebrare, quod se sciat letali crimini obnoxium, & eam tamen propter aliquam necessitatem intermittere non potest. Nam etsi leuis non sit eius noxa, qui criminis grauis sibi conscius Sacramento impudenter sese ingerit, longè tamen grauius crimen illius existimandum est, qui prædicto modo aliud agere, aliud simulare non formidauit: ille enim Deum solùm, hic & Deum, & Populum lædit, & quod in se est, ludit.

15 Constat autem Eucharistiæ Sacramentum visibili forma, veritate corporis, & virtute spirituali. Forma visibilis est panis, & vini. Vinum verò hoc loco intelligimus aqua permixtum: nec enim in calice Domini, aut vinum solùm, aut aqua soli offerri debet, cum vtrumque ex latere illius profluxisse legatur. Plus tamen vini, quàm aquæ ponendum est, vt aqua conuertatur in substantiam vini. Sicut igitur ante consecrationem panis est & vinum, quod natura formauit: ita post consecrationem vera est Christi caro, & sanguis, quem benedictio consecrauit.

16 In hoc autem Sacramento contigit olim dubitari, vtrum Laici, vel etiam Clerici non conficientes id, sub vtraque specie panis, & vini sumere debeant, an verò alterius speciei communio eis ad salutem sufficiat? Sed nouissimè Sacrosancta Synodus Triden-

tina

tina ſub Pio IV. dilucidè diffinuit, nullo Diuino præcepto Laicos, & Clericos non conficientes obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendum, quamuis ab initio Chriſtianæ Religionis non infrequens vtriuſque ſpeciei vſus fuiſſet. Sed ſufficere ad ſalutem ſub altera tantùm ſpecie communicare: Contrarium verò dicentes anathemati ſubiectos eſſe.

17 Hoc etiam docuit eadem Synodus, paruulos vſu rationis carentes, nulla obligari neceſsitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem. Ratione verò pollentes, eam non niſi ieiunio ſtomacho regulariter ſuſcipi debere. Et coniugatos, qui eam ſuſceperint, tribus ſaltem diebus ante & poſt, à propria vxore continere.

18 Presbyter curet ſacram Euchariſtiam, ad omnem ægri, cuiuſque repentinam neceſſitatem ſemper paratam habere, nec ſine ea ægrotos mori contingat. Et diligenter obſeruetur, vt in cunctis Eccleſijs Chriſma, & Euchariſtia, ſub fida cuſtodia clauibus obſignata ſeruentur; ne ad illa queat temeraria manus extendi, ad aliqua nefanda patranda. Si verò is, ad quē ſpectat cuſtodia, noctes, dieſque ſtertens ea incautè reliquerit, tribus menſibus ab officio ſuſpendendus erit: at ſi propter eius negligentiam aliquod nefas inde contigerit, grauiori etiam ſubdendus erit vltioni.

19 Hunc autem morem aſſeruandi in ſacrario Sãctam Euchariſtiam, & deferendi ipſam ad infirmos, iam à tempore Nicæni Concilij receptum, & multis in Concilijs præceptum ſumma æquitate, & cum ratione coniunctum, ac vetuſtiſsimo Catholicæ Eccleſiæ more obſeruatum, eadē Sancta Synodus ſub Iulio III. retinendum omninò ſtatuit, tanquam ſalutarem, & neceſſarium. Decernens inſuper, ſi quis dixerit, non licere ſacram Euchariſtiam in Sacrario ſeruari, ſed ſtatim poſt conſecrationem adſtantibus neceſſario diſtri-

ſtribuendam: aut non licerè, vtilla ad infirmos honorificè deferatur, anathema ſit.

TITVLVS VII.

De Extrema Vnctione.

1 EXtrema Vnctio eſt Sacramentum nouæ Legis à Chriſto Domino inſtitutum (vt apud Diuũ Marcum inſinuatum eſt, & per Iacobum Apoſtolum fidelibus commendatum) vt ſacra Vnctione, & Oratione Sacerdotis, in certis partibus corporis, infirmi probabiliter periclitantis de vita, corporis, & animæ efficiatur ſalus.

2 Materia huius Sacramenti Oleum oliuarum cõſecratum, vel benedictum ab Epiſcopo. Forma verò, illa verba Sacerdotis, quæ ad ſingulas vnctiones quinque ſenſuum profert, videlicet. *Per iſtam ſanctam Vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per viſum,* (per auditum, per odoratũ, per tactum, &c.) *peccaſti*, &c. vt in Rituali Eccleſiaſtico.

3 Sunt autem vnctionis duæ ſpecies. *Exterior*, quæ materialis, & viſibilis eſt. *Et interior*, quæ ſpiritualis eſt, & inuiſibilis. Exteriore viſibiliter inungitur corpus. Interiore inuiſibiliter Spiritus Sancti gratia cor inungitur: Ac propterea datur infirmis eo tempore, quo ſunt compotes, & poſſunt cognoſcerè quid circa eos agatur, vt ad deuotionem, & fiduciam valeant per hoc Sacramentum excitari. Perpetuò verò amentibus dari non poteſt; quia ſicut non ſunt capaces pœnitentiæ, ità nec Extremæ Vnctionis, quæ eſt Sacramentum conſummatiuum Pęnitentiæ.

4 Miniſter huius Sacramenti eſt Presbyter, vel Epiſcopus; qui infirmos, ſi poſt hanc ſuſceptam vnctionem conualuerint, iterùm huius Sacramenti ſubſidio iuuare poterunt, cum in aliud ſimile vitę diſcri-

men inciderint. Cùm enim *duo sunt huius Vnctionis effectus, sanitas animæ, & sanitas corporis*. Prima est principalis, secunda accessoria. Inde est, quod ex hoc Sacramento non semper corporis sanatio: quia illa non conceditur, nisi quatenus conferat spirituali sanitati.

5 Religiosi, qui Clericis, aut Laicis Sacramentum hoc Extremæ Vnctionis ministrare, non habita Parochi Presbyteri licentia speciali, ausi fuerint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrunt, per Sedem Apostolicam duntaxat absoluendi: quos etiam locorum Ordinarij, postquam de hoc eis constiterit, curare debent pro excommunicatis publicari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides; nullo Religiosis eisdem super hoc exemptionis Priuilegio, vel alio suffragante.

6 Religiosi tamen illi, quibus est à Sede Apostolica concessum, vt familiaribus suis domesticis, aut pauperibus in Hospitalibus suis degentibus, Sacramenta Ecclesiastica ministrare possint, à prædictis nō comprehenduntur.

7 Sciendum verò est, quod tantùm Sacramentum absque ingenti scelere, & absque ipsius Spiritus Sancti iniuria contemni non posset. Quæ omnia Sancta etiam Synodus Tridentina declarauit, nouissime sub Pio IV. anathema etiam iniungens his, qui contrarium dixerint.

TITVLVS VIII.

De Sacramento Ordinis.

1 POstquam hucusque de ijs Sacramentis, quæ quoquo modo necessitatis sunt, videlicèt Baptismus ad ingressum; Confirmatio, Pœnitentia, & Eucharistia, ad progressum; atque demũ Extrema Vnctio ad egressum ex hoc mundo, tractatũ habui-

habuimus; reliquum nunc est, vt de ijs quoque loquamur, quæ dignitatis sunt, & voluntatis; hoc est, de Sacramento Ordinis, & Matrimonij, quæ sunt Sacramenta voluntaria, quia nemo ad ea directè cogi potest.

2 *Ordo igitur est Sacramentum*, quo potestas spiritualis significatur, & traditur Ordinato ad conficiendum sacrosanctum Christi corpus. Vel, est habitudo legitima administrantium Sacramenta, cuique ratione sui ministerij conueniens. Quamuis enim Christiani omnes sint Sacerdotes, vt spirituales hostias, id est, semetipsos Deo offerre, & nomen eius laudare, & vtiliter inuocare in omni loco possint, non omnes tamen sunt Ecclesiæ ministri; sed iam inde ab Ecclesiæ initio, selecti sunt quidam, qui muneribus Ecclesiasticis fungerentur; de quorum speciebus, differentijs, & gradibus, satis libris superioribus dictum est.

3 Cùm itaque Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum vnanimi consensu perspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus conficitur, gratiam conferri Ordinatis; dubitare nemo debet Ordinem esse verè, & propriè vnum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis. Quique dixerint non esse in Nouo Testamento Sacerdotium visibile, & externum; vel non esse potestatem aliquã consecrandi, & offerendi verum corpus, & sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi, sed officium tantùm, & nudum ministerium prædicandi Euangelium; vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes, anathema esse Sacrosancta Synodus Tridentina decernit.

4 Item qui dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines maiores, et minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur. Vel, qui dixerit Ordinem, siue sacrã Ordinationem, non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum; sed esse figmentũ

quod-

quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis; aut esse tantùm ritum quendam eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorũ. Vel, qui dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere. *Accipite Spiritum Sanctum*; aut per eam non imprimi characterem. Vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse. Anathema esto.

5 Item prædictæ anathematis pœnæ subijcit eos, qui dixerint, sacram Vnctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione vtitur, non tantùm non requiri, sed contemnendam, & perniciosam esse: similiter & alias Ordinis ceremonias.

6 Similiter qui dixerint in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam, Diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris. Vel Episcopos non esse Presbyteris superiores. Vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi. Vel eam quam habent, illi esse cum Presbyteris communem. Vel Ordines ab ipsis collatos, sine Populi, vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione, irritos esse. Aut eos, qui ab Ecclesiastica, & Canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi, & Sacramentorum ministros. Vel si quis dixerit Episcopos, qui authoritate Romani Põtificis assumuntur, non esse legitimos, ac veros Episcopos, sed figmentum humanum; eadem Sancta Synodus anathematizat.

7 Igitur hoc Sacramentum Ordinis, verbis Christi Domini innititur, pluribus locis repetitis, & duplicem potestatem confert. *Ordinis videlicet, & Iurisdictionis*. Sub quarum altera cadit verbi Diuini ministerium, administratio Sacramentorum, & Ecclesiarum ordinatio ad ædificationem: sub altera potestas excommunicandi, & pœnitentes absoluendi, ac etiam peccata retinendi.

8 Solus autem Episcopus huius Sacramenti minister est: licèt Abbates quoque cõsecrati habeant facultatem à iure, primam tonsuram, Ordinesque minores conferendi. Episcopi verò proprij titulares, etiamsi sint hæretici, degradati, depositi, interdicti, excommunicati, suspensi, Irregulares, si de facto ordinare attentauerint, licèt mortaliter peccent, Ordines tamen collati valent.

9 Episcopus de iure, sexies per annum, potest Ordines temporibus assignatis conferre, ex dispensatione verò Papæ, quoties acciderit, aut opus fuerit. Sed Ordines minores, potest qualibet Dominica, & quolibet Festo conferre.

10 Ordinati autem in duplici solent esse differentia. Quidam beneficiati: & quidam nullum beneficium habentes. Beneficiati quoque alij simplices: alij curam animarum habentes, (& hi intra vnum annum possunt esse Sacerdotes,) qui licèt tantùm in minoribus Ordinibus sint, *tenentur nihilominus castitatem Ordini annexam seruare; horas Canonicas recitare; & habitum Clericalem deferre*. Qui verò in minoribus sunt, & nullum beneficium possident, sicut ad vota matrimonij licitè transire poterunt, sic & ad pensum Horarũ non obligantur. Sed in maioribus constituti, omnes ratione Ordinis tenentur Horas canonicas recitare, quamuis nullum beneficium possideant Ecclesiasticum.

TITVLVS IX.

De Sacramento Matrimonij.

1 M*Atrimonium est*, viri & mulieris maritalis coniunctio, inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Diciturque Matrimonium, quasi matris munium, quia fœmina nubit, vt mater fiat, & matris officio fungatur,

gatur, rectè educando filios, filiasue.

2 Vocatur etiam coniugium, à coniungendo; quia legitimata mulier, cum viro legitimato (id est, non habente impedimentum aliquod dirimens, quia sic nō esset matrimonium) quasi vno iugo adstringuntur, vt simul liberorum, & domus curam gerant, & sint animo semper coniuncti.

3 Dicitur adhuc & consortium, quia maritus, & vxor eandem sortem sequuntur, & omnis vitæ consortium ita retinent, vt dicantur duo in carne vna, ob indissolubilitatem matrimonij, quod sola morte tantùm soluitur.

4 Dicitur demum & Connubium, quia simul nupti sunt, vt in filijs speciem humanam per naturalē propensionem conseruare possint. Et puellæ, quæ nubebant olim, pudoris gratia se velabant; quo significabatur, quod viris obedientes, & subiectas esse oportet.

5 Vocatur verò Matrimonium Sacramentum, duplici de causa. *Primo*, quia significat charitatem indissolubilem, quæ fit in Spiritu inter Deum, & animam iustam. *Secundo*, quia designat vnionem indissolubilem Christi Domini cum Ecclesia, per Incarnationis mysterium contractam. Ideò inter infideles, quia non sunt baptizati, non dicitur Matrimonium Sacramētum, sed tantùm contractus moralis. Qui si conuerterentur ad Fidem, Matrimonium illorum efficeretur Sacramentum, & conferret ipsis gratiam: nec opus esset, vt iterum contraheretur coram Parocho. Hinc Sacrosancta Synodus Tridentina, anathemati subijcit eos, qui dixerint, Matrimonium non esse vnum verè, & propriè ex septem legis Euangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesiam inuectum, neque gratiam conferre. Vel licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege Diuina esse prohibitum. Vel propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam

absentiam à coniuge dissolui posse matrimonij vinculum.

6 Item anathema sit, qui dixerit Ecclesiam errare, cùm docet iuxta Euangelicam, & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum, Matrimonium non posse dissolui, (sed duntaxat thori, mensæque consuetudo separatur) & vtrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altera coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere: mœcharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero alij nupserit.

7 Sed quia Matrimonium bifariam considerari potest, *primo vt futurum*, & hinc dantur sponsalia per quæ initiatur: *secundo, vt præsens*: idque similiter duplici modo. Vel respectu perfectionis intrinsecæ, & sic datur consensus de præsenti, per quod Matrimonium ratificatur. Vel respectu perfectionis extrinsecæ, & hinc requiritur copula, per quam Matrimonium consummatur. Idcircò de singulis partibus distinctius agendum est.

TITVLVS X.

De Sponsalibus.

1 SPonsalia *sunt*, mentio & repromissio futurarum nuptiarum. Et dicta sunt, à verbo *Spondeo*: quod per ea sibi inuicem se futuros coniuges, viri & mulieres spondent. Spondere autem, est spontè promittere. Vnde ad validitatem contractus sponsaliorum, requiritur spontanea promissio.

2 *Contrahuntur autem sponsalia varijs modis*, vt puta, Re, Verbis, Litteris, & Consensu. Re contrahuntur, per nudam subharrationem, seu anuli immissio-

sionem. Verbis verò, vt si inter virum, & mulierem promissio super futuro matrimonio intercesserit, veluti altero alteri vice mutua dicente. *Ego te accipiam in meum maritum. Et ego te in meam uxorem.* Siue in hunc sensum verba similia protulerint.

3 Literis sponsalia fiunt, vt cum absentes inter se de futuris nuptijs per epistolam paciscuntur: quod ipsũ & per Nuncium, vel Procuratorem fieri poterit. Procurator tamen ad hoc specialiter constitutus, ob magnũ, quod ex facto tàm arduo posset periculum imminere, alium substituere non poterit; nisi hoc ei specialiter cõmissum fuerit.

4 Consensu denique contrahuntur sponsalia, vt cũ pubes, & impubes; vel duo impuberes non proximi pubertati, & in quibus ætatem prudentia non supplet, Matrimonium per verba contrahunt de pręsenti. Licèt enim verba in præsens Matrimonium sonent, iuris tamen interpretatione in sponsalia de futuro resoluuntur. Quo casu dicta sponsalia, licèt contrahentes Matrimonium celebrare intenderent, coniugium, quod ab initio ætate impediente, vt Matrimonium non tenuit, per aduentum pubertatis minimè conualescit, nisi per carnis copulam subsequutam, vel alium modum, contrahentes cum eiusdem perseuerantia voluntatis, ad pubertatis tempora peruenisse euidenter constiterit.

5 Hinc sciendum, in duplici differentia sponsalia esse: quædam enim per verba de futuro: quædam autẽ per verba de præsenti. *Sponsalia de futuro sunt*, futurarum Nuptiarum mutua, vel reciproca promissio, (quia ad hoc vt sponsalia dicantur, vtraque pars promittat oportet) *De præsenti verò*, quando per verba, Matrimonij Sacramentum conficitur, sed nondum est copula sequuta. Vxor enim, vel coniunx illa appellatur, quæ iam à viro suo est cognita.

6 Rursus contrahuntur sponsalia triplici modo. Aut pure, aut adiecta die, aut sub conditione. *Purè contra-*

cta sponsalia dicuntur. Vt cum vir, & mulier se inuicem futuros coniuges pollicentur. Et tales, si postea Matrimonium contrahere nollent, Ecclesiastica censura (nisi obstet rationalis aliqua causa) vt se inuicem recipiant, & mutua coniugali affectione pertractent, compelli possunt.

7 *Sponsalia in diem dicuntur*, cum quis intra certum temporis spacium aliquam se ducturum in vxorem conuenit. In qua specie si per eum non steterit, quo minus intra præfixum terminum cum eadem Matrimonium contraheret, libere ad nuptias alterius transire poterit.

8 *Sub conditione celebrantur sponsalia*, cum quis, si quid fiet, vel contigerit, nuptias se contracturum pollicetur: veluti si dictum fuerit. *Ego te in vxorem accipiam, si Pater meus consenserit*. Qua conditione deficiente, ad Matrimonium compelli non poterit. Nisi consensus de præsenti, aut carnalis sit inter eos commixtio sequuta, cùm his casibus à conditionibus recessum videatur.

9 Hoc tamen de his conditionibus intelligere oportet, quæ honestæ sunt, & canonicis institutis non contrariæ. Nam si turpes sint, aut imposibiles, ob fauorem Matrimonij debent pro non adiectis censeri. Si autem non solùm turpes sint, sed etiam contra substantiam, vel naturam coniugij: puta si alter dicat alteri. *Tecum contraho, si generationem prolis euitaueris*. *Vel, donec aliam honore, vel facultatibus digniorem inueniam*: *aut si pro quæstu adulterandam te tradideris*. Matrimonialis contractus quãtumcunque sit fauorabilis, omni carebit effectu.

10 Sponsalia verò inter minores septennio celebrata, nullius roboris efficaciam sortiuntur. Ideòque, si infantes, vel vnus maior septennio, alter minor, sponsalia contraxerint, ipsi, vel parentes pro eis; nisi per cohabitationem eorum mutuam, siue alias verbo, vel facto, eosdem in eadem voluntate factos maiores perdurare liquido appareat, sponsalia huiusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minimè conualescunt.

ſcunt. Et ideò cum ſint nulla, ratione defectus conſenſus, publicæ honeſtatis iuſtitiam non inducunt. Si tamen cum ea, quam nondum ſeptennem domũ quis traduxerit, copula interceſſerit, aliud ſtatuendum erit; hoc eſt, induceretur iam publicæ honeſtatis iuſtitia. Et per conſummationem culpæ, ſponſalia de futuro tranſirent in Matrimonium.

11 Initiatum igitur ſponſalibus Matrimonium fide conſenſus ratificari debet. Quod ſi qui de contrahendo Matrimonio fidem ſibi dederunt, ſe inuicem admittere omninò voluerint, inſtar eorum, qui ſocietatem interpoſitione fidei contrahunt, & poſtea eandem ſibi remittunt, diſſolutio tolerari poterit: cum coactio difficiles ſoleat exitus frequenter habere.

12 Non ſunt tamen audiendi impuberes volentes diſſoluere ſponſalia, ſed expectandum eſt tempus pubertatis. Si verò alteruter iſtorum ad pubertatis annos peruenerit, infra eoſdem annos altero exiſtente, cum ſponſalia contraherentur, ſi is qui minoris eſt ætatis ad pubertatis annos perueniens reclamauerit, nec in alterum conſentire voluerit, iudicio Eccleſiæ ſeparari poterunt.

13 Mulier quoque, quæ nubiles annos attingens, ei qui nondum Matrimonio erat aptus, nupſit, cum in eum ſemel conſenſerit, amplius diſſentire non poterit: niſi ipſe cui nupſit, poſtquam ad legitimam ætatem peruenerit, in eam ſuum negauerit præſtare conſenſum. Quæ tamen de his dicta intelliguntur, quæ ſpontè cum minoribus ſponſalia contraxerint. Nam ſi quæ coacta cum impubere ſponſalia contraxerit, & domum traducta fuerit, licèt aliquandiu ibi inuita permanſerit, ſi puerum vſque ad annum decimumquartum minimè expectandum duxerit, ei alium ſibi virum accipiendi libera concedenda facultas erit.

14 Similiter ſponſalia contracta à parentibus non tenent; niſi ipſi filij expreſsè conſenſerint; vel tacitè, vt ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, obligantur.

Et ex eis oritur publicæ honeſtatis iuſtitia.

15 Idem etiam obtinet, ſi filij tempore ſponſaliorum abſentes, & etiam ignorantes, eadem ſponſalia poſt ſcientes, & prudentes ratificarunt, tacitè, vel expreſsè. Aliàs ex ſponſalibus contractis à parentibus pro filijs, nec ipſi obligantur, nec publicæ honeſtatis iuſtitia inde exoritur.

16 Iam verò ſponſalia contracta diſſoluuntur, vel ipſo iure, vel facto hominis, quæ breuiter his verſibus comprehenduntur.

Crimen, diſſenſus, fuga, tempus, & Ordo: ſecunda
Morbus, & affini: vox publica, cumque reclamat:
Quodlibet iſtorum, ſponſalia ſoluit eorum.

Alij ponunt alios verſus, qui ſequuntur.

Lepra ſuperueniens, furor, Ordo, ſanguis, & abſent:
Læſaq; virginitas, membris damnum, minor ætas.
Inhæreſim lapſus, fideique remiſſio prorſus,
Sponſos diſſociant, & vota futura retractant.

17 *Ipſo iure, tunc dicuntur ſponſalia diſſolui,* vt cum nulla habita ratione voluntatis, & conſenſus partium, ex certa ſuperueniente cauſa diſtrahuntur, vt ex contractu Matrimonij ſacrorum Ordinum ſuſceptione, Religionis ingreſſu, & Cognationis interuentu.

18 Si quis igitur eam, quæ tibi deſponſata fuerat, per verba ſibi iunxerit de præſenti, etiamſi inter te, & ipſam ſponſalia iuramento firmata extitiſſent, dum tamen copula, (cuius virtus eſt, vt faciat tranſire ſponſalia per verba de futuro contracta, in ſponſalia contracta per verba de præſenti) nõ interuenerit, iam ſponſalia diſſoluuntur per ſubſequens Matrimonium, & de inuito tolluntur. Licèt fidem frangentibus ſalutaris ſit iniungenda pœnitentia. Quanquam ſi prius per verba contraxiſſes de præſenti, ita firmum maneret Matrimoniũ, vt per ſecundum, etiam ſecuta copula tolli non poſſit. Nec enim vt pactionis fidem, interdum frangi iura ſuſtinent, ita etiam fidem conſenſus aboleri permittunt.

19 Pari

19 Pari ratione per susceptionem sacrorum Ordinum, & ingressum Monasterij dissoluuntur sponsalia, non tantùm de futuro, sed etiam de præsenti: quia Religio est status maioris perfectionis, & obsequium Deo gratissimum, nec impediendum est per Matrimonium, quando non interuenit iniuria proximi. Poteritque coniugum alter, etiam altero inuito, ad Monasterium transire; & alter in seculo remanens etiam alteris nuptijs operam dare, cum nondum vna caro effecti essent. At Ordines sacri non sunt talis perfectionis, & sic non habent vim soluendi Matrimonium ratum, sed tantùm sponsalia de futuro.

20 Quod verò attinet ad Matrimonium consummatum, hoc nec per professionem emissam in Religione approbata solui poterit, debétque ad thori consortium retrahi: Nisi vterque coniunx ingrediatur in Religionē de communi consensu, & professionem simul emittant. Sed si vir consensu per metum, vel dolum, ab vxore extorto, Religioni se deuouisset, vxori petenti esset nihilominus restituendus. Vnus tamen casus est, quo vel renitente vxore, maritus se Religioni addicere potest, cum videlicèt vxor adulterij rea est, etiam sub Matrimonij specie contracti.

21 Item affinitas inter sponsum, & sponsam superueniens, dirimit sponsalia de futuro: vt puta, si sponsus propinquam sponsæ cognouisset, aut de hoc sit publicè diffamatus: aut spiritualis inter eos cognatio intercesserit. Hinc Concil. Trid. Si quis affinis contraheret Matrimonium in gradu prohibito ante dispensationem, vltra peccatum mortale, incurreret etiam in excommunicationem latæ sententiæ. Præcipuè inter ascendentes, & descendentes perpetua prohibitio Matrimonij est, etsi in alias atqu e alias stirpes, in infinitum essent propagati; in quo nèc Papa dispensare potest, quia est de iure naturæ.

22 *Facto verò hominis dissoluuntur sponsalia*, vel con-

 trario

trario vtriusque contrahentis consensu: vel cum legitima emergente causa dissoluuntur, alterius tantùm voluntati permittitur, veluti ex fornicatione, absentia, membrorum amissione, aut incurabilis morbi interuentu.

13 Contrario consensu sponsalia dissoluuntur, cum illi qui voluntariè inter se contraxerant, iterum voluntariè sese inuicem liberant; etiamsi sponsalia fuerint iurata. Vel impubes contrahens, adueniente pubertate, ratum nolit habere Matrimonium, quod primo contrahere promiserat. Nec aliquid proderit, quod sub certa pœna contraxerant; cum enim libera Matrimonia esse deceat, pœnarum inanis omnis est adiectio.

24 Ob fornicationem post sponsalia etiam iuramento firmata à muliere commissam, potest quis licitè resilire. Nam si post contractum coniugium, vir propter fornicationem licitè potest à sua cohabitatione recedere, longè fortius ante coniugium celebratum sponsus, sponsam poterit non admittere. Quod si verò per violentiam opprimatur sponsa de futuro, sponsus non erit cogendus, vt contrahat bigamiam. Secus tamen si fuisset sponsa de præsenti.

25 Idem intelligendum quoque, si sponsus fornicetur; non enim tenetur sponsa cum illo contrahere, licèt illa bigamiam non incurrat. Sed & sponsus, si post spõsalia intellexit sponsam virginem non esse, quam talem se putabat, non tenetur illam ducere in vxorem. Idem erit, si sponsus, vel sponsa idolatrando, vel hæresim sequendo, in spiritualem fornicationem inciderit.

26 Sed etsi qui præstito iuramento, promittant se aliquas mulieres ducturos, posteaque illis non cognitis, procul recedentes ad alias partes se transferant, liberũ erit mulieribus ad alia migrare vota: recepta tamen de periurio, si forte iuramentum præstiterint, pœnitentia, si per eas steterit, quominus fuerit Matrimonium consumatum.

27 Item,

27 Item, si sponsus, aut sponsa leprosus fiat, aut leprosa, paraliticus, vel paralitica: aut nasum, vel oculos amittat; aut quid sibi turpius eueniat, ad consummandam maritalem copulam compelli non debent: licèt iam contractum Matrimonium, superueniens lepra, vel alius morbus, non dirimat.

TITVLVS XI.

De Nuptijs.

1 TRactauimus hactenus de sponsalibus, tanquã de principio Matrimonij, reliquum nunc est, vt de consensu & copula agamus, quibus substantia, & perfectio Matrimonij continetur. Proinde videbimus, quid impediat nuptias contrahi, vel quid contractas dirimat, aut quæ ad earum validitatem requirantur.

2 Nuptiarum itaque tres sunt species inter se differentes. Aliæ sunt incestuosæ: aliæ nefariæ: & aliæ legitimæ. *Incestuosæ sunt*, quando cum consanguineis, vel affinibus Matrimonium contrahitur, vsque ad quartum gradum in transuersalibus. *Nefariæ sunt*, de quibus non est fas homini loqui, puta, cum quis tàm audax fuerit & proteruus, vt contra naturam humanæ societatis, cũ propria matre, auia, aut alijs ascendentibus; vel descendentibus, puta, filia propria, aut nepte, Matrimonium contrahat. *Legitimæ verò nuptiæ sunt*, cum aliquis Canonicè, nullum habens impedimentum contrahit.

3 Quare, ad validitatem legitimarum nuptiarũ hæc tria requiruntur. *Primo*, consensus vtriusque contrahentium. *Secundo*, verba ad probandum eundem consensum. *Tertio*, ætas legitima, seu habilitas ad contrahendum.

4 Hinc duplex solet esse Matrimonij perfectio, Es-

ſentialis, & Accidentalis. Conſenſus eſt de eſſentiali, Copula verò de accidentali. Et ſic materia erit Sacramenti huius, vtriuſque conſenſus in præſentia Sacerdotis, & duorum teſtium: Forma verò verba ab illis prolata, per quæ ille conſenſus exprimitur, v. g. *Ego te in vxorem accipio: & ego te in maritum accipio.*

5 Quod ſi ex altera parte, pater tantùm puellæ conſenſerit, & ille ex altera parte, qui ſe cupit maritum fieri; tunc nihil agitur, quia non poteſt eſſe Matrimonium, vbi non eſt vtriuſque conſenſus. Quanquam honeſtè faciant filij, ſi paternæ voluntati minimè reluctentur. Nihilominus tamen contra facientes non debent per hoc ingratitudinis vitium incurrere.

6 Pubertas verò non tàm annis, quàm corporis habitu æſtimari debet. Licèt olim eum impuberem eſſe dicebant, qui nondum quatuordecim annos impleuerat: & viri potentem, quæ nondum duodecimum expleuerat. Nunc præualuit opinio exiſtimantium ex habitu corporis pubertatem debere cenſeri, atque eos, qui generare poſsint, etiamſi minores annis ſint, in propoſito puberes reputari. Itaque ſi malitia ætatem ſuppleat, etiam minores ea ætate coniungi poſſunt: præſertim ſi vrgentiſsima neceſsitas interueniat, vt pote, quod pro bono pacis talium coniunctio ſit toleranda.

7 Muti etiam & Surdi, ſi contrahere voluerint, quod verbis exprimere nequeunt, ſi ſignis declarauerint, proculdubio legitimas nuptias contrahent. Idem & de cœcis intelligendum eſt.

8 Serui quoque poſſunt inter ſe, etiam inuitis Dominis contrahere Matrimonium, dum tamen Dominos non fraudent debitis obſequijs. Quod ſi verò vnus coniugum comperiatur poſt contractum Matrimonium ſeruilis conditionis, poteſt diſſolui Matrimonium: niſi poſt talem cognitionem fuerit renouatus conſenſus, vel ſequuta copula. Aliàs vtrique libera cum alijs contrahendi facultas non denegetur.

9 Liberi

9 Liberi autem sunt ex libero ventre nati; nisi quis patris conditionem secundum leges, & consuetudinem prouinciæ sequatur. Multo magis Matrimonium inualidatur, cum quis in persona errauerit, vt puta, si existimans se cum Anna contrahere, cum Dorothea contrahat.

10 Si alter contrahentium vtitur verbis dubijs, animo decipiendi mulierem, proprium nomen mentitus, vt sibi carnaliter commisceretur, non debere ex isto facto coniugium iudicari, cum in eo nec substantia coniugalis contractus, nec forma contrahendi coniugium inueniri valeat: quoniam ex altera parte solummodo dolus adfuit, consensus omnino defuit, sine quo cętera foedus coniugale perficere nequeunt. Iudicatur tamen pro Matrimonio in foro iudiciali; secus in pœnitentiali: nisi sequatur copula, quia sic per ipsum factum præsumitur consensus.

11 Sciendum est autem inter infideles quoque coniugium esse, & quidem legitimum, non tamen ratum. Legitimum quidem esse potest, si legibus, vel moribus Prouinciæ sit consonum: sed ratum tamen non erit, cum dato libello repudij violari possit, & liceat eis ab inuicē recedere, & alijs lege poli copulari. Sed coniugia inter fideles contracta, non nisi rata esse possunt, quamuis non legitima esse possint: rata quidem sunt, quia semel contracta distrahi non possunt. Tunc autem legitima non erunt, cum debitæ solennitates omissæ fuerint.

12 Sponso verò, & Sponsæ benedicendum est à Parocho Sacerdote; nam à parentibus, vel paranymphis offeruntur in Ecclesia Sacerdoti: qui cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reuerentia benedictionis, in virginitate permanere eos deceret.

13 At si Religiosi Matrimonia solennizare, non habita super his Parochi presbyteri licentia speciali, nausi fuerint, excommunicationis sententiam ipso facto incurrunt, per Sedem Apòstolicam duntaxat absoluendi.

14 Tridentina etiam Synodus constituit, vt benedictio à proprio Parocho fiat; neque à quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentia ad prædictam benedictionem faciendam concedi alij Sacerdoti possit, quacumque consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel priuilegio non obstantibus. Quod si quis Parochus, vel alius Sacerdos, siue Regularis, siue sæcularis sit, etiam si id sibi ex priuilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos, sine illorum Parochi licentia Matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, statuit eadem Synodus, vt is ipso iure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui Matrimonio inter esse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluatur.

15 Altero verò coniugum morte sublato, superstiti licebit ad alias nuptias transire: nec mulierem infamiæ metus deterreat tempore luctus, à Cæsareis legibus nubenti præfixus.

16 In causis itaque super Matrimonijs vertentibus, vel eas quomodo tangentibus proceditur simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij. Atque causæ Matrimoniales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini, & iurisdictioni relinquuntur: etiam si in præsens inter Episcopum, & Decanum, seu Archidiaconum, aut alios inferiores super causarum istarum cognitione lis aliqua in quacumque instantia penderet. Coram quo, si pars verè paupertatem probauerit, non cogenda erit extra Prouinciam; nec in secunda, nec in tertia instantia in eadem causa matrimoniali litigare, nisi pars altera alimenta, & expensas litis velit subministrare.

17 Legati quoque etiam de Latere, Nuntij, Gubernatores Ecclesiastici, & alij, quarumcumque facultatũ vigore, Episcopos in prædictis causis impedire, aut ali-

quo

quo modo eorum iurisdictionem præripere, aut turbare prohibentur, quæ nuperrimè eadē sancta Synodus Tridentina, sub Pio IV. constituit.

TITVLVS XII.

De Impedimentis Matrimonij.

1 POst declarationem eorum, quæ essentialiter requiruntur ad Nuptias actu contrahendas, sequitur videre de impedimentis ipsarum: quæ cum varia sint, & complura, alijs quoque subsequentibus Titulis, ob meliorem cognitionem explicabuntur; hìc verò summatim omnia his versibus concluduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen
Cultus disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, vel si coire nequibis.
Hæc socianda vetant, connubia iuncta retractant.

2 Quia non omnis error Matrimonium impedit, ideò sciendum est pro huius materiæ intelligentia, *errorem esse quadruplicem circa Matrimonium*; alium conditionis: alium personæ: alium fortunæ: & alium qualitatis. Est autem *Error conditionis*, cum is, qui seruus est, liber creditur. *Error personæ*, cum is qui est Ioannes, Paulus esse putatur. *Error fortunæ*, cum is qui pauper est, diues existimatur: vel contra. *Error demum qualitatis*, cum is reputatur bonus, qui tamen est malus.

3 Sciendum itaque, quod hi duo vltimi errores, fortunæ & qualitatis, non impediunt Matrimonium. Nam si quis corruptam in vxorem accepit, quam virginem arbitrabatur; vel qui accepit pauperem, quam putabat esse diuitem; vterque quidem errauit, sed neutro tamen isto casu Matrimonium infringitur. Quin potius, qui scientes & prudentes, mulieres pauperes, & publicas de lupanari extraxerint, & in vxores duxerint, quid agunt

in remissionem proficiet peccatorum. Cum inter opera charitatis non minimum sit, pauperem subleuare; & errantem ab erroris semita reuocare.

4 Sed defectus conditionis vitiat Matrimonium, dũ quis existimans ingenuam esse, seruam ducit in vxorẽ: quod tunc intelligendum est, cum contrahentis conditio deterioratur: secus si melioratur, vel conseruatur. Similiter dum quis in persona coniugis labitur credens esse Corneliam, quæ Semponia erat. Vel Titium, qui Mæuius erat. Quod si verò quis cognito errore, ad carnis commixtionem perueniret, iam tum error nuptiarum validitati officere minime posset.

5 Voti quoque solennis emissio, & Sacri Ordinis susceptio, tàm Matrimonium impedit contrahendum, quàm postea contractum dirimit. Secus verò statuitur in voto simplici; quanquam enim contrahendum impediat; sed iam contractas nuptias nequaquam tollit. Huic tamen, qui nubendo votum simplex fecit irritum, quanto illud manifestius emiserit, tanto propter plurium scãdalum, erit durior imponenda pœnitentia.

6 Cultus quoque disparitas, Matrimonium & contrahendum impedit, & contractum interdum dirimit. Nam diuersimodè consideratur. Aliquando enim id contingit inter fidelem, & infidelem. Aliquando inter infidelem, & infidelem. Et aliquando inter fidelem, & fidelem; quorum alter recedit a fide: vel conuertitur ad fidem; tunc casuum diuersitas, ob diuersas circumstantias, diuersam requirit decisionem. Quia obiectum legis aliquando est *factum præteritum*, quod contingit in approbando, vel reprobando ipsum: aliquando *factum futurum*, quod euenit in præcipiendo, vel prohibendo; permittendo, vel puniendo.

7 Si quis itaque Iudeæ coniugali societate iungi voluerit, siue Christiana Iudæo: vel aliàs infidelis Christiano carnali consortio misceatur: quicumque eorum id commisisse deprehenditur, à Christiano cœtu, &

Ecclesiæ communione protinus segregandus erit.

8 Item si alter infidelium coniugum ad Fidem Catholicam conuertatur, & alter qui in infidelitate remansit, vel nullo pacto, vel non sinè blasphemia Diuini nominis, vel vt Catholicum ad mortale peccatum pertrahat, ei cohabitare voluerit; conuersus quasi priore Matrimonio dissoluto, licitè ad secunda vota conuolare poterit, & communis proles ipsi conuerso assignabitur. Hinc versus illi.

Desere spernentem, vel blasphemare volentem.
Velte credentem secius ad mortale trahentem,
Nam sunt absquè mora, sic vincula rupta priora.

9 Quod si conuersum ad fidem, & vxor conuersa sequatur, antequam proptèr causas prædictas legitimam ducat maritus vxorem, eam recipere compelletur. Nec quidquam conuerso proderit, quòd iam secundum ritum suum eandem repudiauerit, cum repudium ipsum, veritas euangelica repudiauerit. Sed nec fornicationem dimissor dimissæ poterit obijcere, propterea quod alij post repudium nupserit; nisi aliàs fornicata fuerit.

10 Quia verò Pagani in plures simul fœminas affectũ coniugalem diuidunt, vtrum post conuersionem omnes, vel quam ex omnibus conuersus retinere valeat, non immerito dubitari poterit. Et cum nulli vnquam licuerit plures habere simul vxores, nisi cui diuina reuelatione fuit concessum, vt legitur de antiquis Patriarchis: nec cuiquam, vxore etiam ob fornicationẽ dimissa, aliam liceat superinducere, euidenter apparet, pluralitatem in vtroque sexu (cum inter coniuges seruanda sit æqualitas) circa Matrimonium reprobandam, & de pluribus primam tantùm retinendam.

11 Alia sanè causa est eorum coniugum, quorum alter, vel in hæresim labitur, vel ad infidelium transit errorem: neque enim hoc casu qui relinquitur, ad secundas nuptias descendere poterit. Nam etsi Matrimonium verum inter infideles sit, non tamen est ratum, vt paulò supra diximus: inter fideles autem, & verum, & ratum existit; quia Sacramentum Fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur

titur, ſed ratum efficit coniugij Sacramentum, vt ipſum in coniugibus, ipſo durante perduret.

12 Nec refert, quod à quibuſdam forſan obijci poſſet, quòd fidelis relictus, non debeat iure ſuo ſine culpa priuari: cum idem multis caſibus contingat, vt ſi alter coniugũ inſidiatur. Ex hoc quoque quorundam malitiæ occurritur, qui odio coniugum ſimularent hæreſim, vt poſtmodum nubentibus coniugibus ab ipſa reſilirent. Quinimò qui in fide permanſerit, ad eum qui ab hæreſi, vel infidelitate ad Eccleſiam reuertitur, vel inuitus redire cogendus erit: Niſi ad Religionem tranſire maluerit, interueniente ſeparatione per iudicium Eccleſiæ. Quod ſi enim in fornicatione carnali poteſt innocens inuito peccante Religionẽ intrare, multò magis poterit, altero coniugum inuito, intrare Religionem innocens in caſu ſpiritualis fornicationis.

13 Ex his apparet, coniugium aliud eſſe legitimum, & non ratum: aut legitimum & ratum: & aliud ratum quidem, ſed non legitimum. *Legitimum, & non ratum coniugium eſt*, quod legali inſtitutione, vel Prouinciæ moribus contrahitur: hoc inter infideles ratum non eſt, quia diſſolui poteſt, dato libello repudij lege fori, & non lege poli, quam non ſequuntur. Inter fideles verò ſemper ratum eſt coniugium, cum coniugia ſemel inter eos contracta, nunquam ſolui poſſint. Horum, *quædam ſunt etiam legitima*, veluti cum ſeruatis nuptialibus ritibus, vxor ſponſo traditur. Illorum verò coniugia, qui contemptis legitimis ſolemnitatibus, ſolo affectu aliquam ſibi deligunt in coniugem, *non legitima, ſed rata* tantummodo eſſe creduntur. Quanquam enim ſpretis ritibus Eccleſiæ Matrimonium contrahi non debeat, non tamen ob id ſolum Sacramẽtum coniugij diſſolui debeat. Quin potius, ſi tale Matrimonium fuerit ab Eccleſia poſtmodum comprobatum, filij generati, & legitimi iudicandi erunt, & hæredes: aliqua tamen illis erit imponenda pœnitentia, qui contemptis Eccleſiæ præceptionibus Matrimonium contraxerunt.

14 Coactio quoque, & iuſtus violentiæ metus Matrimonium

monium impediunt. Cum enim ſolo conſenſu coniugium contrahatur, plena debet ille ſecuritate gaudere, cuius eſt animus indagandus, ne metu impulſus dicat ſibi placere, quod odit. Planè quæ inuita probat ſe ſponſalia contraxiſſe, ſi comperiatur poſtmodum ſpontè cognita, ad Matrimonij diſſolutionem proclamare, & metum cauſari non poterit. Hinc Synodus Tridentina ſtatuit, vt inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum conſiſtat Matrimonium. Quod ſi rapta à raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in vxorẽ habeat; & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & fauorem præbentes, ſint ipſo iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces. Si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſiue eam in vxorem duxerit, ſiue non duxerit, decenter arbitrio Iudicis dotare.

15 Vtque magis libera ſint Matrimonia, ſtatuit eadem Synodus Tridentina, præcepitque omnibus cuiuſcunque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ſub anathematis pœna, quam ipſo facto eos incurrere vult, ne quouis modo directè, vel indirectè ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quò minus liberè Matrimonia contrahant.

16 Eſt autem coactio cum violentia corporali, vel captura. Metus verò eſt, præter aliquam violentiam, & captionem. Et hic metus eſt duplex. *Alius iuſtus*, qui poteſt cadere in conſtantem virum. Et *alius minor*. Iuſtus itaque metus nullum reddit actum in Matrimonio violenter contracto: ſecus autem ſi non eſſet iuſtus. Ob ſexus verò imbecillitatem, minor metus in muliere ſufficiat ad impedimentum Matrimonij.

17 Item alius metus eſt, inſtantis periculi, & alius futuri. Matrimonium itaque violentia præciſa contractum, mente trepidante ex imminentia inſtantis periculi, etiam conſummatum, eſt omninò nullum. Contractum verò minis futuri mali perturbato animo, quia multi viri reperiun-

tur, animum habentes effæminatum, relinquitur Iudicis arbitrio, qui considerabit necessitatem actus, & honestatẽ: quia in materia Matrimonij voluntas coacta non habetur pro voluntate.

18 Furor quoque, quia consensum impedit, nuptias contrahi prohibet: contractas autem dirimit.

19 Item frigiditas, & coeundi impotentia, legitimum Matrimonijs impedimentũ adferunt. Sicut enim puer, qui debitum reddere non potest, non est aptus coniugio: sic qui ita sunt natura impotentes, vt nec ope Medicorum sine mortis periculo iuuari possint, apti ad contrahenda Matrimonia minimè putantur. Ea quoque, quæ adeò est arcta, vt mulier fieri, & alteri carnaliter commisceri non possit, nisi per incisionem, ad Matrimonium contrahendum, non debet idonea iudicari.

20 Sed quia potest euenire, vt qui à principio propter frigiditatem impotens videbatur, potens deinde ex cursu temporis efficiatur, vt hæc quoque res suos fines habeat, vltra quos omni spe iam consumpta, alterasnuptias contrahere ex coniugibus possit is, qui nullum impedimentũ patitur, si frigiditas citius probari non potest, statutum est, vt coniuges triennio simul habitent, à coniugij celebrati die: quo trienno lapso, si alterius impotentiam adhuc subesse fuerit probatum, licebit alteri à tali coniugio discessionem impetrare, aliumque sibi Matrimonio iungere. Sin ambo simul habitare consenserint, potius quàm diuertere, fratris & sororis loco potius sibi inuicem, quàm coniugum erunt.

21 Alia est causa leprosorum: nam si mulierem inuenerint, quæ sibi velit nubere: vel mulier leprosa virum, liberum erit illis coniugali vinculo copulari. Et huiusmodi infirmitates impediunt quidem, sed non dirimunt Matrimonium. Alia verò quantumcunque grauis infirmitas non impedit Matrimonium contrahendum: immo & in articulo mortis potest quis contrahere, adeò quod filij etiam ante geniti legitimantur.

22 Publicæ quoque honestatis iustitia, tam Matrimonium contrahendum impedit, quam contractum irritat. Est autem publicæ honestatis iustitia, quæ ex legitimis sponsalibus oritur mulieris, quæ illi coniuncta est, cum qua nunc vir Matrimonium contrahere desiderat: v. g. Cũ Dorothea sponsalia contraxi, volo nunc cum Anna, quæ Dorotheæ cognationis vinculo est coniuncta, Matrimoniũ contrahere, publica honestate impedior. Inhonestum enim, ac turpissimi visum est exempli, vt ei quis nubere valeat, cuius coniunctam sponsalia frangendo deceperit, ne in eandem, eius nubendo coniunctæ, quasi iniuriam cumulet.

23 Vsque adeò autem ex puris, & certis spõsalibus, impedimẽtum Iustitiæ publicæ honestatis exoritur, vt etiamsi illa consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut alia quauis ratione nulla sint, dum tamen non sint nulla ex defectu consensus, nihilominus, & impedire, & dirimere sequentia sponsalia, vel Matrimonia dignoscantur, licèt præcedentia dissoluere non valeant. Quare, qui sponsalia purè, ac determinatè cum aliqua muliere cõtraxit, & postmodum cum secunda prioris consanguinea idem fecit, ex priorum sponsaliorum vigore ad Matrimonium contrahẽdum cum prima remanet obligatus.

24 Filij quoque nati ex Matrimonio, quod publicæ honestatis iustitia impediente contractum fuit, cum nec Ecclesiæ permissionem, nec patris allegare possunt ignorantiam, ad susceptionem successiuam bonorum paternorum minimè admittuntur.

25 Animaduertendum est igitur, Iustitiam publicæ honestatis esse impedimentum ab Ecclesia inductum, dirimẽs Matrimonium contractum inter sponsam, & maritum, & omnes cognatos sponsæ suæ, aut mariti, intra primum gradum, ex determinatione Concil. Trid.

26 Item non potest quis eam vxorẽ habere, cuius ope eiusdem maritum interfecerit: nefariæ enim habentur nuptiæ, quibus conciliandis mariti prioris sanguis, & vita

præ-

præmij quodammodo nuptiarũ loco petita fuerint. Quo exemplo, nec quis eam poteſt ducere vxorem, quæ in prioris vxoris ipſius necem, aliquid fuerit machinata, ſiue ei fidem dediſſet, ſe eam priore defuncta ducturam, ſiue non: quæ prohibitio perpetuò eſt ſeruanda.

27 Item non valet Matrimonium cum ea, quam per adulterium polluit, ſcienter contractum. Prout & cum illa, cuius conſanguinea ego olim quouis modo etiam ſine ſchemate Matrimonij potitus ſum: vel cum qua meus conſanguineus rem veneream exercuerit. Quam tamen rem Synodus Tridentina ſic reſtrinxit, vt impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & Matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in primo, & ſecundo gradu coniunguntur, reſtringatur; in vlterioribus verò gradibus ſtatuit huiuſmodi affinitatẽ, Matrimonium poſtea contractum non dirimere.

28 Et qui cum priuigna ſua ſciens fornicatus fuerit, nec à matre debitum thori exigere, nec filiam vnquam habere poteſt vxorem; Imò nec priuigna, nec ipſe vllo vnquam tempore alij ſe poterunt Matrimonio copulare: niſi fortè iuuenilis eorum calor mereretur, vt diſpenſatione cum eis ageretur.

29 Poteſt autem Papa diſpenſare ſuper impedimẽto publicæ honeſtatis, quia illud impedimentum non eſt à iure diuino, ſed humano: ſiquidem diſpenſat ſuper legitimitate filiorum, etiam reſpectu hæreditatum, & ſucceſſionum.

TITVLVS XIII.

De Triplici Cognatione.

1 CVM cognationis vniculum fortius ſit, quam iuſtitia publicæ honeſtatis, ideò titulo præſenti de illa, tanquam de proprio impedimento Matrimonij, agendum erit; quia licèt Matrimonium eſt materia fauorabilis, nihilominus fauores non ſunt ibi ampliandi, vnde

vnde ſequitur aliquid inconueniens. Iam autem maiora inconuenientia oriri nequaquam potuiſſent, ſi cognationis limites in Matrimonijs non obſeruarentur; quorum *impedimenta alia oriuntur à iure naturali, alia à iure humano*. Idque dupliciter, vel ratione reuerentiæ humanæ, vel ratione reuerentiæ alicuius rei ſanctæ.

2 Hinc triplex cognatio oritur. Spiritualis, Legalis, & Naturalis. *Cognatio ſpiritualis eſt*, Attinentia quædam proueniens ex Sacramenti collatione, vel ad Sacramentum detentione. Et eſt ex Iuris Canonici diſpoſitione, duplex. *Alia, quæ impedit tantùm Matrimonium. Et alia quæ impedit, & dirimit ſimul*. Prior oritur ex Catechiſmo; poſterior ex Baptiſmo, & Confirmatione. Vir igitur tenens puellam ad Baptiſmum, vel Confirmationem, non poteſt cum illa contrahere Matrimonium: ſimiliter nec mulier infantem tenens poterit poſtea cum illo contrahere. Et ſi de facto contrahant, minimè tenet.

3 Et non ſolùm inter baptizantem, & illum qui eum de Baptiſmo ſuſcepit: itemque inter baptizatum, & ſuſcipientis filios, & vxorem, ante ſuſceptionem à ſuſcipiente carnaliter cognitam, verùm etiam inter ſuſcipientem, parenteſque baptizati cognatio ſpiritualis contrahitur, quæ, & contrahendum Matrimonium impedit, & dirimit poſtea contractum. Et quæ de ſuſcipiente dicta ſunt, eadem etiam de baptizante ſunt intelligenda. Proinde vnus tantùm vir, aut mulier puerum tenere debet ad Baptiſmum, & Confirmationem; vel ad ſummum vnus, & vna. Si tamen plures acceſſerint, ſpiritualis cognatio æquè quo ad omnes inde contrahitur, tàm Matrimonia contrahenda impediens, quàm diſſoluẽs. Hinc ſacra Synodus Tridẽtina ſub Pio IV. ſanxit, vt Parochus antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter ſciſcitetur, quem vel quos elegerint, vt baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, vt eorum nomina in libro deſcribat, doceatque eos omnes, quam cognationem contraxerint, ne ignorãtia vlla excuſari valeant. Quod ſi alij vltra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem

ſpiritualem nullo pacto contrahant, conſtitutionibus in contrariũ facientibus nõ obſtantibus. Si Parochi culpa, vel negligentia ſecus factũ fuerit, arbitrio Ordinarij puniatur.

4 Eiſdem modis ex Confirmatione ſpiritualis cognatio contrahitur, inter Confirmantem, & Confirmatum, illiuſq; patrem, ac matrem, atque tenentem conſiſtens, & Matrimonia ſimiliter impediens contrahenda, & poſtea contracta dirimens. Ex datione verò aliorum Sacramentorum cognatio ſpiritualis nequaquam oritur, quæ Matrimonium impediat, vel diſſoluat.

5 Per Catechiſmum verò, vel Chriſmationem contracta cognatio non eſt tanta, nam licèt per eam contrahendum Matrimonium impediatur, poſt eam tamen contractum minimè diſſoluetur.

6 Sciendum autem, cognationem ſpiritualem Matrimonia contracta dirimere, non ſimpliciter, ſed poſtea contracta. Nam ſi vir, vel mulier ex ignorantia, aut dolo, proprium filium de ſacro fonte ſuſceperit, propter hoc ſeparari non debent, nec alter alteri debitum ſubtrahere; niſi ad continentiam poſſint induci. Quia ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur; ſi ex malitia, eis proprius dolus patrocinari non debet. Quinimò pro tali caſu, Matrimonio in ſua firmitate durante, pœnitentia imponenda erit.

7 Item ſciendum, cognationem ſpiritualem non contrahi, niſi quoad vnum, aut vnam; inter filios verò ad cõpaternitatẽ accerſitorũ huiuſmodi cognatio nõ cõtrahitur.

8 *Legalis verò cognatio eſt*, proximitas per adoptionem proueniens. Vel, eſt quædam propinquitas à lege inducta, per quam efficitur quis filius, aut nepos: vel deinceps, aut frater, aut affinis. *Eius autem duæ ſunt ſpecies*. Vna, quæ temporalem impediendi Matrimonij cauſam continet. Alia, quæ perpetuam. *Temporalem cauſam* impedimenti continet ea, quæ inter te & eam, quæ tibi per adoptionem ſoror eſſe cœperit, intercedit: nam per adoptionem quæſita fraternitas eò vſque nuptias impedit, donec manet. *Perpetuam*

prohi-

prohibitionis causam continet, vt puta, quæ inter adoptantem, & adoptatum: item, inter adoptantem, & vxorem adoptati: & inter adoptatum, vxoremque adoptantis intercedit. Nam & per emancipationem dissoluta adoptione Matrimonium impeditur.

9 *Naturalis demum cognatio est*, quæ medio consanguinitatis, vel affinitatis contracta reperitur. *Est autem consanguinitas*, vinculum personarum ab eodem stipite descẽdentium, carnali propagatione contractum. Et dicitur consanguinitas; quasi sanguinis vnitas, quia scilicet consanguinei de communi sanguine descendunt. *Affinitas verò est*, quædam personarum proximitas ex coitu prouenient: ex eo dicta, quasi duorum sit ad vnum finem vnitas. Cum enim duæ cognationes diuersæ per aliquorum culpam cõiunguntur, alter ad alterius cognationis quasi quosdam fines accedere videtur. Nec intererit quo ad consanguinitatem, vel affinitatem contrahendam, ex iustis nuptijs aliqui, an ex damnato coitu inuicem copulati fuerint.

10 Hodie sancitum est, vt prohibitio copulæ coniugalis quartum consanguinitatis gradum inclusiuè non excedat. Pro cuius rei intelligentia sciendum est, aliam cognationem supra numerari, aliam infra, & aliam ex transuerso.

11 *Superior cognatio est parentum*, hoc enim vocabulo generaliter omnes appellare licet, qui per directam lineam ascendunt, quotcumque personis, seu gradibus à me distẽt.

12 *Inferior cognatio est liberorum*, quæ vox omnes continet, quicunque à me descendunt; quotuscumque gradus inter me, & ipsos interiectus sit.

13 *Ex transuerso verò cognati sunt*, qui cum à parentibus meis & ipsi oriantur, in me tamen non influunt, neque ego in illos; sed aliorsum deflectunt, à linea descendentes, quæ ex me perpetuanda est; veluti e. g. Frater mihi transuersalis est, nam etsi ab eodem patre ortus sit, à quo & ego, alium tamen cursum à me tenet, in me enim non influit, nec item ego in illum: & alia ab eo linea ducenda est, alia à me. Sic patruelis frater, vel consobrinus, eundem quem

& ego auum referunt: sed diuersis tamen riuis ab eo descendimus, cum diuersis patribus orti simus. Quæ exempla, in his duabus speciebus posita, ad multas alias transferri possunt.

14 Contra. Parentes linea recta nullis flexionibus in me decurrunt: nam Abauus in Proauum: isque in Auum: qui Auus in Patrem, & Pater demum in me influit: quæ ratio pariter in descendentibus constituenda est, quotcumque in lineas, vel riuos illi sediuidant. Inter hos igitur ascendentes, & descendentes, perpetua prohibitio Matrimonij est, etsi in alias, atque alias stirpes in infinitum essent propagati. Quocirca haud malè sentiunt, qui tradiderunt, Adamo illi primo totius generis humani parenti, si hodie ageret in humanis nullam repertum irì mulierem, quæ citra violatæ legis pœnam nubere posset, à quo tamen quis nescit, quot, quamque sæpè propagatis, & multiplicatis stirpibus deducti simus? Gradus autem hoc modo secundum Ius Canonicum numerantur.

15 Primo gradu supra sunt, Pater, Mater: infra, Filius, Filia. Ex transuerso Frater, Soror. Quamuis secundum leges Ciuiles, Frater & Soror, in secundo gradu locētur, & Iustinianus Imperator docuerit, lineam, quæ ex transuerso ducitur, à secundo gradu, scilicèt Fratris, & Sororis incipere. Neque hæc Iuris Pontificij, & Cæsarei discrepantia ratione caret siquidem iure Pontificio duas personas vni gradui conflando concurrere necesse est, cum hoc iure propter copulam matrimonialem, quæ quidem non nisi inter duos esse potest, graduum dinumeratio fieri soleat. Quod præceptum etiam in sequentibus gradibus locum habet; semper enim meminisse debemus, duos fratres, duasue sorores lineæ transuersalis basem, initiumque esse: nec nisi duarum personarum coniunctarum accessione gradum nouum adijci, neq; ad stirpem respiciendū esse.

16 At Iure Cæsareo vnaquæque persona adiecta nouū gradum parit, quia in gradibus enumerandis hæreditatum, ac tutelarum rationem habuit, quæ quidem de vna persona in

in aliam transire solent, nec duabus personis opus est: quapropter si ad stirpem spectetur, ac vnaquæquæ persona ei adiecta nouum gradum pariat, efficietur, vt cum ego patri sim in primo gradu, qui mihi ortus est frater, is mihi sit in secundo.

17 Secundo gradu supra sunt, Auus, Auia: infra, Nepos, Neptis: ex transuerso, Fratris, Sororisue filius, vel filia. Et conuenienter Patruus, Amita; Auunculus, Matertera; Frater patruelis, vel Amitinus; Soror patruelis, vel Amitina: Consobrinus, Consobrina.

18 Tertio gradu supra sunt, Proauus, Proauia: infra, Pronepos, Proneptis: ex transuerso, Patruus magnus, Amita magna: Auunculus magnus, Matertera magna, propior Sobrinus, propior Sobrina: & eorum filius, & filia; Fratris patruelis, vel Amitini, Sororis patruelis, vel Amitinæ. Item Consobrini, vel Consobrinæ filius, filia: vel Sororis nepos, neptis.

19 Quarto gradu supra, Abauus, Abauia: infra, Abnepos, Abneptis: ex transuerso, Propatruus, Proamita: Proauunculus, Promatertera; & eorum filij & filiæ. Nepotes, & Neptes; Pronepotes, & Proneptes. Item propioris Sobrini, & propioris Sobrinæ. Nepos, & Neptes. Et demum fratris, & sororis, pronepos, proneptis. Et hæc vsque ad quartum gradum tradidisse sufficiat: nam cum hodie vsque ad quartum gradum duntaxat nuptiæ, vt supra diximus, prohibeantur, nihil attinet hoc loco vlteriores gradus cognoscere.

20 Sed, quò vnusquisque per se discat has computationes graduum inire, hoc præceptum generale ei tenendum est, vt in subducendo graduum ascendentium, & descendentium calculo tot gradus censeantur, quot intercessérint personæ vna dempta; quia stipes in numero non refertur; veluti (gratia exempli) à me ad Abauum quinque personæ enumerantur. Ego, Pater, Auus, Proauus, Abauus. Hic igitur inter me, & Abauum, quatuor gradus recensebuntur.

21 In transuersalibus verò, hæc sit regula generalis, vt quisque ex collateralibus meis tot gradibus à me distare dicatur, quot gradibus à stipite is distet ex nobis, qui ab ipso stipite remotior est. Quare, si ego duobus stipiti gradibus vicinus sim, tu ab eodem stipite quatuor gradibus absis; quarto gradu mihi eris coniunctus. At si neuter altero longius à stipite absit, tot gradibus cognationis inter nos referentur, quot nostrum vteruis abeodem stipite remotus est.

22 Supradictorum autem vocabulorũ significatio hæc est. *Patruus* dicitur frater patris. *Amita* est patris soror. *Auunculus* frater matris. *Matertera* soror matris. *Fratres patrueles dicuntur*, qui ex duobus fratribus nati sunt, quemadmodum, & sorores patrueles. *Fratres amitini*, vel sorores amitinæ sunt, qui, quæue ex fratre, & sorore sunt orti, vel ortæ. *Consobrini*, *vel Consobrinæ*, qui, vel quæ ex duabus sororibus. *Patruus magnus*, *&* *Amita magna*, sunt Aui frater, & soror. *Auunculus magnus*, & matertera magna, sunt Auiæ frater, & soror. *Propior Sobrinus*, & propior Sobrina dicuntur, filij & filiæ ex patruo magno, amita magna; & auunculo magno, & matertera magna. *Propatruus*, *&* *Proamita dicuntur*, Proaui frater, & soror. *Proauunculus Promatertera*, Proauiæ frater, & soror.

22 Sed & affinitas similiter, quemadmodum, & cognatio, tres ordines habet, videlicet, Ascendentium, Descendentium, & Collateralium. Ego verò, & mea vxor inuicem affines non sumus, sed sumus affinitatis principium, & origo. Consanguinei quoque mei, nullo affinitatis vinculo iuncti sunt consanguineis fœminæ à me cognitæ.

24 Ascendentium itaque Affinium nomina sunt. *Socer*, *&* *Socrus*, id est mariti, vel vxoris pater, & mater. *Vitricus*, id est præsens maritus matris meæ, à quo tamen ego genitus non sim. *Nouerca*, id est præsens patris mei vxor, quæ me tamen non peperit. Aliorum, aut superiorum affinum nomina non recenseo, cum ferè sint eadem, quæ & consanguineorum; vel sola particulæ huius, *pro*, adie-

ctione

ctione distinguantur, vt Prosocer, & similia.

25 Infra sunt, veluti *Gener*, id est filiæ maritus. *Nurus*, id est, filij vxor. *Priuignus*, *vel Priuigna*, id est, vxoris, vel mariti filius, vel filia, ex alio marito, vel alia vxore suscepti: Et vlteriores, quibus præpositio, Pro, solet accedere, vt Progener, id est, maritus neptis.

26 Collaterales affines sunt, qui vel marito, vel vxori consanguinei sunt ex transuersa linea iuncti. Eorum autem affinium, qui iustis nuptijs parantur, specialia nomina sunt hæc. Videlicet *Leuir*, qui est frater mariti. *Sororius*, qui est vir sororis. *Glos*, quæ est soror mariti. *Fratrissa*, quæ est vxor fratris, quæ & ipsa glos rectius dici potest. *Ianitrices*, *seu Inateres*, quæ sunt duorum fratrum vxores. Alij autem specialia nomina non habent, sed illo consanguinitatis nomine ferè solent appellari, quo nomine, vel gradu, ab eo nuncupantur, cuius causa affinitatem contraxerunt, veluti: Qui vxori meæ Consobrinus, vel Patruelis est, is & mihi Consobrinus vel Frater Patruelis appellabitur, & de similibus. In his igitur cum scire voluerimus, an cum eis nuptiæ contrahi possint, non solùm inspiciemus quoto gradu affinitatis inter se deuincti sint, sed etiam inspiciendum erit, quo in genere affinitatis existant.

27 Vir itaque qui à stipite quarto gradu, & mulier quæ ex alio latere distat quinto, licitè coniungi poterunt. Aliàs si propiore gradu sese inuicem coniungant, temere contractum Matrimonium adeò erit irritum, quòd nullo poterit annorum numero defendi. Imò diuturnitas temporis auget peccatum, non verò validat Matrimonium.

28 Si tamen infideles, qui secundum veteris, vel propriæ legis instituta, circa gradus qui consanguinitatis, vel affinitatis Canonibus notatos coniuncti sunt, Domino inspirante conuersi fuerint, Matrimonium ante contractum non erit post Baptismi lauacrum irritandum. Cum per Sacramentum Baptismi non soluantur coniugia, sed crimina dimittantur. Vnde & proles inde nata, legitima censebitur.

29 Admonendi etiam ſumus, perinde virum à conſanguineis, & propinquis vxoris abſtinere debere, & vxorem à propinquis viri, atque à proprijs. Huius autem rei manifeſta ratio illa eſt, quia ſi ſecundum Diuinam ſententiã, Ego & vxor mea vna caro ſumus, profectò mihi & illi, mea, ſuaque cognatio vna propinquitas efficiuntur. Quocirca ego, & ſoror meæ vxoris in vno & primo gradu erimus, filius verò eius in ſecundo gradu erit à me; nepos tertio, & ſic deinceps.

30 Vxorem verò propinqui cuiuſcumque gradus ſit, ita me oportet attendere, quemadmodum eiuſdem gradus fœmina propriæ propinquitatis exiſtat: quod nimirum & vxori meæ de propinquitate mea in cunctis cognationis gradibus conuenit obſeruare.

31 Quanquam autem omnes conſanguinei viri, vxoris ſint affines, inter conſanguineos tamen vxoris & viri, nulla intelligitur eſſe affinitas contracta, vt ſupra admonuimus, quæ inter eos impediret, Matrimonium contrahi. Pater igitur & filius, cum matre & filia; item duo fratres, aut cognati, cum duabus ſororibus, aut cognatis licitè contrahere poterunt.

32 Si quis autem contracto Matrimonio, conſanguineã vxoris ſuæ cognouerit, vt puta, ſi vitricus priuignam, vel maritus ſororem propriæ vxoris adulterauerit, Matrimonium quidem antea contractum non dirimitur, ſed qui ſe ita contra leges alteri commiſerit, à coniuge nunquam debitum petere poterit, nec cum aliqua legitima poſt vxoris obitum, vnquam nuptias contrahere.

33 Vxor quoque, cuius conſanguinea à proprio marito fuerit cognita, diligenter eſt commonenda, vt à commixtione viri abſtineat, & in continentia maneat, donec vir viam vniuerſæ carnis ingreſſus fuerit. Quod ſi fortè monitionibus parere recuſans, talis fuerit, vt de lapſu ipſius probabiliter timeri poſſit, vir eius, & poterit, & debebit debitum ſibi ſoluere coniugale, cùm affinitas poſt Matrimonium iniquè contracta, illi nocere non debeat, quæ ini-

iquitatis particeps non exiſtit.

34 Præcedens itaque affinitas non ſubſequens dirimit Matrimonium: ſed etſi vtriuſque coniugum conſtet aſſertione, acclamante etiam vicinia, quòd coniugatus ante contractum Matrimonium vxoris ſuæ conſanguineam cognouerit, propterea coniuges ſeparari non debent, ſed diſpenſationem procurabunt. Alioqui plurimi ad inceſtus confeſſionem proſilirent, ſi ſuæ aſſertioni Eccleſiæ iudiciũ acceſſurum crederent, vt ſe inuicem onere Matrimonij liberarent. Rumor autem viciniæ non eſt adeò iudicandus validus, vt niſi fide dignæ probationes accedant, poſſit ritè contractum Matrimonium irritare.

35 Non omittendum eſt, Tridentinæ Synodi Conſtitutionibus anathemate plecti eos, qui dixerint, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia: vel in his conſtituendis erraſſe. Ac qui dixerint, eos tantùm conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Leuitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum: nec poſſe Eccleſiam in nonnullis eorum diſpenſare, aut conſtituere, vt plures impediant, & dirimant.

36 Si qui contra ſupradicta præcepta Matrimonium inierint (vbi perpetuum ſubeſt impedimentum) nihil agẽt; & ſi conſanguinitas, vel affinitas ſubeſſet; vel cum Monialibus, aut Religioſis, aut cum ſacratis Clericis initum eſſet, excommunicationis ſententiæ ipſo iure illigati eſſent, qui tali Matrimonium contraxiſſent, eoſque Eccleſiarum Prælati, ſic excommunicatos publicè pronunciare debent, aut ſuis ſubditis, vt notum id publicè faciant, iubere, donec ſe errore cognito ſepararint, & abſolutionem impetrarint. Et proles ex talibus Matrimonijs ſuſcepta prorſus illegitima habetur.

37 Etiam Synodus Tridentina conſtituit, vt ſi quis intra gradus prohibitos ſcienter Matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat: idque in eo multo magis locum habeat, qui non

tan-

tantùm Matrimonium contrahere, sed etiam consumare, ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solennitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem subijciatur pœnis, cum dignus non sit, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cuius salubria præcepta temere contempserit. Si verò solennitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit. Statuitque, vt in contrahendis Matrimonijs, vel nulla omninò detur dispensatio, vel raró: idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur; nisi inter Magnos Principes, & ob publicam causam.

38 Atque vt cæteris negotijs, curisque vacui, maiorem, diligentioremque operam certis temporibus, orationibus, pijsque alijs operibus nauare possimus, statutum est etiam, vt illis temporibus, quæ Diuino cultui potissimum dicata sunt, nuptias solenniter celebrari quodammodo nefas habeatur. Nempè ab Aduentu Domini, vsque in diem Epiphaniæ. Et à feria quarta Cinerum, vsque in octauam Paschatis inclusiuè. Quique dixerint, prohibitionem hanc solennitatis Nuptiarum, statutis anni temporibus, superstitionem esse, anathema adiecit.

TITVLVS XIV.

De Clandestina Desponsatione.

1 CLandestinum Matrimonium dicitur, in quo testes, & denuntiationes deficiunt, & proinde clam celebratur, solennitatibus omissis, non in facie Ecclesiæ, vt est præceptum à Canonibus. Prohibentur autem Matrimonia cōtrahi clandestinè, ne postea oporteat illa dissoluere. Sancitumque est à Concilio Tridentino, vt, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, diebus festiuis in Ecclesia, inter,

inter Missarum solemnia publicè denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum. Quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentũ, ad celebrationem Matrimonij in facie Ecclesię procedatur: vbi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, iuxta ritum Ecclesiæ eos benedicat. Nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio sancta Synodus relinquit.

2 At qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos decernit.

3 Et quanquam peccent clandestinè contrahentes, tenet tamen Matrimonium iure Decretalium, si de eo quoquo modo fides fieri potest. Et proinde, eadem Synodus, eos anathemate damnat, qui huiusmodi Matrimonia libero contrahentium consensu facta, & vera; & rata fuisse negant; quique falso affirmant, Matrimonium à filijsfamilias sine consensu parentum contracta, irrita fuisse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse; quamuis sancta Dei Ecclesia ea semper detestata sit, atque prohibuerit, & nunc quoque in eadem Synodo irrita decreuerit.

4 Ac insuper, tàm Parochum, quàm alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero: & testes, qui sine Parocho, vel Sacerdote, huiusmodi contractui interfuerint; nec non ipsos contrahentes grauiter arbitrio Ordinarij puniri præcipit.

5 Admonet etiam eadẽ sancta Synodus omnes ad quos spectat, ne vagantium genus hominum, incertasque sedes habentium, ad matrimonium facilè recipiant; Magistratusque sæculares hortatur, vt eos coerceant. Parochis autem præcipit, ne illorum Matrimonijs intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint; & re ad Ordinarium

 delata,

delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint: quæ peropportuna quidem fuit consultatio, nam huiusmodi genus hominum, vt improbi sunt ingenij, prima vxore relicta, sæpè aliam, & plerumque plures illa viuente, diuersis in locis ducunt: cui morbo prædictæ sanctionis remedio sanè quàm præsentissimè occurritur.

TITVLVS XV.

Dè illis, qui Matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.

1 QVia accidit interdum, vt ob occulta impedimenta, de quibus ipsi contrahentes nesciebant, Matrimonia dissoluantur, necesse est, vt ea reuelentur, dum inferunt damnum. Non tamen quandocunque, aut indistinctè omnes ad accusationem admittendi erunt, sed illi tantùm, qui illud occultum impedimentum sciunt, & probare coram Iudice legitimo poterunt.

2 Si quis verò tempore factæ à Sacerdote denunciationis in ipsa Diœcesi constitutus, nihil contra Matrimoniũ dixerit, eidem mox coniunctos impetere minimè concedẽdum erit. Nisi proprio firmauerit iuramento, quod ea, quæ obiecturus est, postea didicerit: quodque ad accusandum dolo non prosiliat: Quo casu etiamsi quod obiecturus est, ab illis didicisset, qui denunciationis tempore siluerunt, claudi non debet ei accusandi aditus: quoniam etsi ab impetitione huiusmodi, culpa ex tali silentio contracta, auctores excludat, iste tamen qui culpa caret, amoueri non debet.

3 Idem iuris erit, si tempore denunciationis, vel extra Diœcesim commorabatur, vel aliàs denũciatio ad eius notitiam peruenire non potuit: vt puta, si nimiæ infirmitatis feruore laborans, mentis non erat compos, vel in annis tàm teneris constitutus erat, vt ad talium rerum perceptionem

tionem eius ætas sufficere non valeret; siue alia legitima causa fuerit impeditus.

4 Sed nec omnes ad accusationem, testimonium ue dicendum admitti debent; nã si de tali impedimento agẽdum sit, quod neque coniugum in se delictum contin et, nec ob id Matrimonium dissolui cuiusquam intersit, prę ter quam ipsorum coniugum, vt puta, si erratum in conditione status fuerit; vel si mulier ita sit arcta, vt cognosci non possit; vel vir ita frigidus, vt coire nequeat: soli ipsi coniuges admittentur:

5 Quare, si impedimentum originem habeat ex peccato, vel vitio naturali occulto, prius laboranti hoc impedimento facienda est admonitio, vt desistat à Matrimonio: quod si monitus non acquiescat, denunciandus erit, quia plus vrget bonũ Matrimonij, vt contrahatur validè, quàm fama proximi, qui noluit recipere correctionem fraternam. Quod etiamsi quis non posset probare impedimentum, tenetur tamen illud reuelare, quia Prælato aperiet viam, vt diligenter inquirat de impedimento, ne tacito impedimento ineat Matrimonium, quia Deum haberent vltorem. Et ita seruatur in praxi, quod etiamsi conscius esset impedimenti ex auditu, à persona fide digna, tenetur impedimentum manifestare, etiam illa persona non denunciante: & hoc eadem ratione, vt Prælatus inquirat, ne inualidè Matrimonium contrahatur.

6 Si tamen obtenta esset dispensatio, etiã in foro conscientiæ cessaret onus denunciandi, etiamsi præciperetur reuelatio per viam excommunicationis, quia cessat iam impedimentum.

7 Quod si delictum contineat, vt quia aliqui in gradu vetito, vel contraxisse, vel contrahere velle dicantur, tunc quilibet quidem ad accusandum recipitur, sed omnium maximè parentes; & si ij desint, proximiores, id est, soror, frater, patruus, auunculus, amita, matertera, eorumque descendentes. Semper tamen antiquiores, & honestiores præponuntur in testificando.

 8 Vbi

8 Vbi tamen alter coniugum, diuitijs, honore, nobilitate, & potentia superior esset, testimonium illius, cuius parens esset inferioris conditionis, admittendum non est; cum parentes filiorum incrementum, & honorem affectare proculdubio comperiantur.

9 Quoties ergo aliqui propter cognationem propinquitatis separari petuntur, duobus, vel tribus eiusdem consanguinitatis testibus adhibitis, vel totidem senioribus, & melioribus eiusdem loci, id debet legitimè comprobari. Testium autem examinatio, in hac causa, duplicis interuentu iuramenti fieri debet: vt iurent scilicet, & se non priuato odio, neque amicitia, nec alicuius proprij commodi intuitu, ad hoc iurandum inductos: & sicut ipsi dicunt, rei veritatem à maioribus accepisse, & se credere ita esse.

10 Præstitis autem iuramentis, & impedimento Matrimonij legitimè probato, si quis contra præcedentem probationem partibus publicatam, quasi Matrimonium impediri iure non valeat, probare velit, audiendus non erit, sed priori standum erit probationi.

TITVLVS XVI.

De Diuortijs.

1 QVia ex accusatione Matrimoniorum deuenitur ad diuortia, & repudia, congruè post titulum præcedentē de accusationibus ponitur in calce huius tractatus Matrimonialis, de diuortijs, & separatione coniugum.

2 *Est itaque diuortium*, dissolutio Matrimonij, quæ vtroque viuente coniuge contingit. Vel secundum Concilium Tridentinum: *Diuortium est*, legitima separatio mariti, & vxoris quoad mutuam cohabitationem. Sed & simplicem thori separationem diuortium non malè appellamus; quia hæc separatio aliquando fit perpetua, aliquando tēporalis.

3 *Dicitur autem diuortium*, à diuersitate mentium, quia in

in diuersas partes, seu voluntates eunt, qui Matrimonium distrahunt. Et licèt de iure ciuili ex diuortio separabatur, & dissoluebatur Matrimonium etiam quoad vinculum; & licitum erat vxori post factum diuortium, alium ducere virum; & è contra viro licebat aliam ducere vxorem, quod & Hæbreis permiserat in veteri lege Moyses, ob duritiam cordis illorum. Verùm post legem Euangelicam promulgatam, non solùm inter Christianos, sed etiam inter omnes infideles non permittitur amplius tale repudium, sed manente vinculo Matrimoniali fit separatio thori quoad mutuam cohabitationem, vel ad mortem vnius ex coniugibus, vel etiam ad tempus. Interim verò neuter eorum alteras nuptias experiri potest.

4 Vnde, licèt multoties confundantur hæc vocabulo, *Diuortium*, & *Repudium*, proque eodem ponantur: Diuortium tamen propriè dicitur à diuertendo, dum coniuges recedunt a vera via matrimonij, & coniugium inter se initum dissoluunt. Repudium verò, quando vir vxorem à se reijcit ob rem aliquam pudendam, post sequutam carnalem copulam. Vel quando sponsus ex legitima causa reijcit sponsam, & dissoluit sponsalia.

5 Sed iam videamus, ex quibus causis fiat diuortium, quia Matrimonium legitimè contractum nequaquam dissolui potest, & homines à Deo coniuncti separari nec debent, nec valent. Si tamen alter coniugum, qui per verba contraxit de præsenti, copula non secuta (nam si copula fuisset secuta, etiam & de consensu vxoris non posset ingredi) sese ad obseruantiam regularem voluerit astringere, poterit id, altero etiam inconsulto efficere, & ei, qui in sæculo remanere voluerit, alteri se iungere permittendum erit; quia nondum vna caro effecti sunt. Dicenti tamen se velle ingredi Religionem, est certum tempus arbitrio Iudicis præfigendum, intra quod vel ingrediatur, vel ad vxorem redeat.

6 Diuersum statuitur, si quis per verba de præsenti, aliquam desponsatam relinquens, sacros Ordines susceperit;

rit; quanquam enim votum per ſacri ſuſceptionem Ordinis firmatum, ad impediendum Matrimonium futurum, ac dirimendum poſtea contractum habeatur efficax, ad diſſoluendũ tamen prius contractum etiam non cõſummatũ, inualidum cenſetur. Ideoq. talium Ordinum non obſtante ſuſceptione (ſi ad profitendam probatam Religionem induci non valeat, & ſponſa eius inſtiterit) contractum Matrimonium conſummare, per cenſuram Eccleſiaſticam cõpellendus erit; ſed iam ab executione Ordinis ſuſpẽdetur.

7 Sed etſi inter infideles Matrimonio contracto ſequuta copula fuerit, ſi alter, qui in infidelitate permanſerit, velit à fideli diſiungi, aut non niſi cum contumelia Creatoris cum altero commorari, licebit Chriſtiano non modò Matrimonium diſſoluere, ſed etiam vt ſupra diximus, alteri ſe Matrimonio iungere. Quibus caſibus, cum authoritate Sedis Apoſtolicæ Matrimonium diſtrahatur, non iam humana, ſed potius Diuina poteſtate coniugium diſſolutum intelligitur.

8 Diuerſum eſt de eo tenendum, qui cum ſit Chriſtianus, labitur in hæreſim, vel in alium errorem Gentilitatis, quia tunc non diſſoluitur Matrimonium, vt etiam ſupra admonuimus, nec poteſt remanens in fide alteri nubere.

9 Item ſi quis ignarus virginem in vxorem duxerit, quæ adeò arcta ſit, vt mulier fieri non poſſit: vel ſimile vitium à natura contraxit, vt ope Medicorum non poſſit adiuuari. Aut mulier virum acceperit, qui adeò frigidæ ſit naturæ, vt eidem carnaliter commiſceri non poſſit: poterunt inuicem ſeparari, & qui Matrimonio aptus erit, ad ſecundas nuptias liberè tranſitum facere poterit.

10 Si quis tamen coeundi impotentiam cauſatus, poſt ſeparationem aliam acceperit; aut ea, quæ arcta putababatur, aliquem inuenerit, qui ſibi ſeras reſeraret; vtroque caſu, poſt peractam pœnitentiam, ad priora coniugia redire compellendi erunt: quia cognita ab vno, præſumitur cognoſcibilis & ab alio. Niſi primus vir adeò eſſet mentuloſus, vt nũquam poſſet deflorare virginem ſine periculo mor-

mortis; tunc iam non esset restituenda marito primo, licèt per frequentem vsum cum secundo, habitu sit apta reddita primo.

11 Dirimitur quoque thorus ob maleficium impediens coniugalem copulam; ob sortilegia post factas orationes, confessiones, ac alia spiritualia, vt tollatur intensa debilitas genitalis, ac remoueantur fascinationes, & incantationes. Imò si maleficium sit perpetuum, & ab initio fuit decepta Ecclesia, fit totalis separatio iudicio ipsius Ecclesiæ. Quod remedium non solùm concedatur vxori contra maritum, sed etiam marito contra vxorem duri capitis, pernoctantem, & liberè vagantem, & sui copiam alijs facientem; quia de his constito, vel de eius contagiosa ægritudine, vel etiam ob insupportabilem dementiam, thori pariter fit separatio.

12 Planè si scienter quis cum ea, quæ maribus impotens est commisceri, Matrimonium contraxerit, vel alterius comperta postmodum impotentia, simul morari consenserit, his casibus Ecclesia iudicare consueuit, vt quas viri tanquam vxores habere non possunt, habeant vt sorores, & viuant in continentia. Quanquam cum huiusmodi impotentibus non potest consistere verum Matrimonium, quia desinunt causæ institutionis Matrimonij, nam nec ob spem sobolis, nec vt vitetur fornicatio, potest stare Matrimonium. Vnde si is, qui contraxit cum impotente, cum alia post contrahat, tenet Matrimonium cum secunda.

13 Ob fornicationem carnalem, vel spiritualem, non soluitur Matrimonium, sed sibi sunt inuicem coniuges etiã separati quoad thorum. Sed & separatio non statim faciẽda erit, accusatione de crimine instituta, sed probata, & peracta. Interim enim pendente iudicio, coniugum alteruter iure quod habet in altero, priuari nõ poterit. Sed quia sæpiùs mariti insidiari solent vitæ vxoris propter amorem concubinæ, ob hoc periculum, si ille secum retinet adulteram, semper fit separatio quoad cohabitationem, etiam non expectato iudicio.

14 Mul-

14 Multum autem interest, vtrum ob carnalem, an verò ob spiritualem fornicationem thori sit facta sepatatio. Primo enim casu maritus adulteram vxorem, etiam emendatam, nisi & ipse simili fornicatione pollutus fuerit, recipere nòn compellitur; sed fornicatrix in claustris cum religiosis mulieribus, ad perpetuam agendam poenitentiam erit collocanda. Secundo verò, si fornicatus spiritualiter ab infidelitate reuertatur, cogetur, quæ in fide remansit, illum resumere; nisi & ipsa ad Religionem transitum facere voluerit: quod etiam nolente viro ad fidẽ reuerso, exequi liberè poterit.

15 Regulariter vir, & vxor non possunt disiungi, vt alter sumat sacros Ordines, aut Monasterium ingrediatur; nisi fortè remanens, & ipsa continentiam vouere voluerit. Alioqui, quanquam de vxoris licentia Monasterium quis ingressus fuerit, & professionem fecerit, non vxor ad continentiam cogi, sed vir ad vxoris thorum euocari poterit. Nisi post coniugis ingressum fornicata fuerit; aut se inuicem continentiam promittendo absoluerint.

16 Qui inuita vxore ingressus est Monasterium, & repetitus ad eam redire coactus fuerit, nõ cogitur rursus vxore mortua ad Monasterium reuerti, sed iam non poterit amplius vxorem ducere. Sciente autem vxore, & non contradicente vitam professus monachalem, vxore postmodum defuncta, de Monasterio exire non potest. Vel si temere contraheret, Matrimonium tale dirimendum erit, quia professio facta consentiente vxore, idem operatur, quod ingressus.

17 Quæ autem credens virum suum esse mortuum, habitum Religionis assumpsit, & eo reuerso de Monasterio educta fuit; illo defuncto, consultius faciet, si ad Monasterium iterum redibit. Sed tamen si ad hoc perduci non poterit, cogenda non erit. Quare vxor non planè certificata de morte mariti contrahere non potest, quamuis eius ætatis sit, & fragilitatis, vt continere nequeat.

18 Nisi ergo legitima subsit exceptio, coniugibus te-

mère disiunctis, alterum alterius repetendi integrum ius manet. Erit autem legitima exceptio, cum aliquis consanguinitatis gradus obijcitur, quo quidem casu, licèt si petitorio iudicio actum sit, antea de ipsa exceptione cognosci debeat: si tamen possessorio quis experiatur, antequam de consanguinitate discutiatur, plenaria erit facienda restitutio; nisi is qui conuenitur, & de malitia iuret, & super exceptione promptas probationes offerat. Quo casu, excepta carnali commixtione tantùm, quoad reliqua restitutio facienda erit.

19 Præstanda tamen erit idonea cautio, quod nullam restitutæ violentiam vir inferet. Quod si tanta sit viri sæuitia, aut odio tam capitali vxorem prosequatur, vt trepidanti mulieri sufficiens securitas prouideri nequeat, vsq; ad causæ decisionem, alicui probæ, & honestæ mulieri studiosius custodienda committetur in loco, vbi vir, vel eius coniuncti mulieri nullam possint iniuriam inferre. Et hæc quidem obtinent, secuto inter viros, & mulieres Matrimonio: cęterum si nullis præcedentibus sponsalibus, vel legitimo consensu, mulier ad viri domum iam traducta, postea abscedens, alij forte nubere voluerit, nulla facienda erit restitutio.

20 Fornicationis quoque repetenti obstat exceptio, thorique ob eam causam sequuta separatione, separata viuente, aliam vsque adeò superinducere quis prohibetur, vt si de facto duxerit, ex eaque filios susceperit, etiam mortua adultera eandem retinere non possit; quod ipsum & priore vxore minimè cognita sibi locum vendicat; aliam tamen hac secunda dimissa ducere minimè prohibetur.

21 Si mulier Matrimonium contraxit cum eo, quem ignorabat coniugatum, vxore prima mortua, erit in eius potestate virum retinere, vel diuortium petere. Sed ad petitionem viri non sunt separandi, & filij de tali Matrimonio legitimi sunt censendi.

22 Cum ea, quam quis vxore viuente cognouit, non prætextu Matrimonij, defuncta vxore, si nihil in perniciem

olim viuentis vxoris vir, aut mulier cognita, machinati fuerint, nec fidem de contrahendo sibi inuicem dederint, contractæ postea nuptiæ legitimæ reputandæ erunt.

23 Sed etsi fidem quidem sibi inuicem dederint, vel etiam de facto contraxerint, si nec ante, nec post, legitima coniuge superstite, carnalis intercessit copula, quamuis vterque grauiter deliquerit, & propterea etiam sit imponenda pœnitentia; Matrimonium tamen contractum post vxoris obitum, minimè dissoluetur.

24 Vsque adeò autem machinatio in alterius coniugū obitum adhibita inter superstites machinatores Matrimonij spem excludit, vt infidelis cum Christiano communicato consilio eiusdem maritum de medio sustulerit, licèt postea per studium superstitis vxoris ad fidem Christianā translatus fuerit; non tamen propterea magis cum ea nuptias legitimas contrahere, aut contractas retinere poterit. Nec enim huiusmodi lucro tam detestandum damnum Ecclesia resarciri patitur. Sed etsi machinationem adhibitam in necem coniugis effectus consequutus non fuerit, si insidiator alteri superuixerit, spe coniugij perpetuò destitutus, ad secundas nuptias nunquam adspirare poterit. Id & in ijs casibus accidit, qui incestum admiserunt, Sacerdotem interfecerunt.

25 Illud quoque pro dictis aduertendum est, quod si diuortium fiat culpa viri, filij educandi sunt penes vxorem innocentem expensis viri; quia dos restituitur vxori ex dispositione iuris ob culpam, & delictum viri; & sic fructus sunt vxoris, & alimenta filiorum soluenda sunt de bonis viri. Sic è contra sunt educandi filij penes patrem expensis vxoris, quando culpa illius fit diuortium, & illa amittit dotem, quæ tam de iure ciuili, quàm de iure canonico applicatur viro.

26 Vt autem fiat separatio Matrimonij ob adulterium coniugis, probari debet tale adulterium ad minus per confessionem eiusdem coniugis adulteri, vel adulteræ.

27 Fit etiam diuortium per furorem alterius coniugis, vt

vt si periculum sit sano habitare cum furioso. Magis, cum sæuit maritus in vxorem cum graui periculo damni. Secus si modica esset coerctio & castigatio. In sæuitia etiam comprehenditur causa insidiarum vitæ; tunc restituitur vxori dos, vnà cum iuribus dotalibus.

28 Ob vitium quoque sodomiæ fit separatio; sed non sufficit solius vxoris conquestus, se tentatam fuisse à viro suo de vitio nefando, sed requiritur aliud inditium ad probandum, vt si solitus sit maritus cum alijs tale vitium committere.

29 Similiter ob lenocinium fit separatio thori, vt si esset leno vxoris, & viros procaces in domum suam induceret, qui vxorem solicitarent ad turpia, & maritus rogatus ab vxore nollet desistere. Sunt & aliæ causæ legitimæ ad diuortium, puta si vnus coniugum sit ecticus, tabidus, intolerabiliter foetens, vel morbo Gallico infectus; quæ omnia arbitrio Iudicis fieri debent.

TITVLVS XVII.

De Rebus Sacris, Sanctis, & Religiosis.

1 SAcramentorum breuiter explicato tractatu, illorũque sectione, ac natura cognitis, transeamus iam ad Sacramentalia, hoc est, ad res ordinatas pro administratione Sacramentorum: quarum *aliæ sunt Sacræ*, vt vasa, imagines, cruces, & vestes ad cultum Diuinum, ornamentumuè Ecclesiæ comparatæ: *aliæ Sanctæ*, vt Ecclesiæ, Altaria, & Reliquiæ Sanctorum: *& aliæ Religiosæ*, vt Monasteria, Xenodochia, Coemeteria, & Sepulturæ.

2 Ille quoque locus sacer dicitur, qui ritè Deo per Episcopum, aut Papam consecratur; (non per Sacerdotem) neque per priuatam authoritatem laici alicuius Principis, vt olim fiebat. Atque inprimis Ecclesia dicitur locus consecratus, in quo, qui vim aliquam, furtum, aut crimina aliqua alia committunt, sacrilegi vulgò dicuntur. Sed &

qui per vim ædiculas Sacerdotum intrant, & inde aliquid arripientes fugiunt, puniuntur minus quam sacrilegi, sed plusquàm fures simplices.

3 Cum autem Ecclesia primum locum teneat inter res sacras, sanctas, & religiosas, & nomen suum æquiuocum habeat, antequam ad modum construendarum, consecrãdarum, aut reparandarum Ecclesiarum descendamus, primum decidamus necesse est, de qua nam Ecclesiæ significatione titulo sequenti tractabimus.

4 Primum igitur Ecclesia dicitur, congregatio malignantium, vt Psalmista loco quodam dicit. *In Ecclesiam malignantium non introibo*. Deinde Ecclesia dicitur, fidelium collectio, de qua in Symbolo. *Credo vnam Sanctam Catholicam Ecclesiam*. Tertio Ecclesia dicitur, Corpus Christi, mysticum, præcipuè in Ecclesia illa triumphante. Quarto Prælaturæ Ecclesiasticæ, quando dicimus. *Sic Ecclesia iudicauit*: aut, *iudicio Ecclesiæ standum erit*. Quinto obuentiones Ecclesiasticæ dicũtur Ecclesia, vt cum dicimus. *Viuit ex Ecclesia*, aut *Ecclesia prouidit illi*. Vltimo Ecclesia dicitur, murorum ambitus, seu structura templi materialis. Hinc Oratorium, Basilica, & Ecclesia, interdum sunt æquiuoca, quod in eis missa celebretur, quæ extra locum sacrum, seu benedictum celebrari non potest: vnde altaria portatilia, vsum suum habere cęperunt.

TITVLVS XVIII.

De Construendis, Consecrandis, & Reparandis Ecclesijs, & Altaribus.

1 Ecclesiam hoc loco accipimus, non tam Christianorum multitudinem, fideliumque congregationem, quam ipsum templum Dei manufactum, & orationis domum: & dicimus non licere Sacerdotibus, sicut ipsi sunt sacrati, in locis profanis sacrificia offerre, & Sacramenta

menta ministrare, præterquam in locis Deo consecratis. Nisi quis super hoc speciali sit priuilegio munitus: vel summa coegerit necessitas: vt pote, quia combusta sit Ecclesia, quo casu donec illa restauretur, in capellis cum sacrata tabula super altari portatili celebrari poterit.

2 In itinere quoque constitutis, Ecclesia non reperta, sub dio, siue in tentorijs, si tabula altaris portatilis adfuerit, cæteraque sacra vtensilia, missarum solemnia celebrari permittendum erit. Alioqui si quis in oratorijs intra priuatas domos constitutis, sine consensu Episcopi hoc facere ausus fuerit, deponendus erit.

3 Construuntur autem Ecclesiæ, vel ob incrementum populi, vel ob commoditatem plebium, vel certæ vniuersitatis intuitu, aut in pastoralis dignitatis priuilegium. Vel construuntur Ecclesiæ aliquando ratione necessitatis, cum nullum templũ habeatur in pago aut oppido aliquo, vt eò populus ad sacra audienda conueniat. Aliquando ratione commoditatis, cum vel multitudinem fidelium vnũ templum capere non potest, vel fluuius inundans adire illud festo die non permittit; aut quid simile. Et aliquando ratione pietatis, vel gratiarum actionis pro accepto aliquo beneficio à Deo.

4 Prohibentur autem extrui noua oratoria in præiudicium alicuius Ecclesiæ Parochialis, nisi de licentia Episcopi: in loco verò exempto, nisi de licentia Sedis Apostolicæ, idque propter ius oblationum, & mortuariorum debitorum Parochiæ. Nemoque Ecclesiam nouam ædificare debet suo arbitrio aut temere, antequam Episcopus Ciuitatis eo accedat; sed vt rei tantæ sua dignitas, quantum fieri potest seruetur, certæ solennitates introductæ sunt, quæ præire debeant in Ecclesia facienda. Primum Episcopus Diœcesis illius Crucem ibi figens publicè atrium describat, & qui ædificaturus est eam, coram ipso præfiniat, quæ ad luminarium, & custodum sumptus sufficiant; & demonstrata donatione sic domum ædificet. Qua erecta atrium aqua benedicta aspergatur, postea Deo per consecrationẽ

ab

ab Episcopo dedicetur cum Missæcelebratione.

5 Sicut autem vnus Episcopatus ob incrementum populi, in duos Antistites accedente Papæ voluntate, diuidi potest: sic etiam Episcopus de Baptismalibus, & Parochialibus Ecclesijs, Rectorum accedente consensu, duas facere potest, si publica vtilitas id flagitet. Veluti, si ita absit Pa-rocha Ecclesia, vt non facile animabus curæ eius creditis, vbi necessitas exegerit, præsto esse possit; ex quo sæpè eueniat plures animas in periculum adduci. Tunc enim Ecclesia construi altera in eadem Parochia poterit, quæ animabus oportunior sit: & ipsi Ecclesiæ veteri ius Rectoris in ea præsentandi vna cum patrono, qui eam fundauerit, competet. Quod cum factum fuerit, illa pars populi, quę nouis Ecclesijs supponitur, à iure prioris Ecclesiæ absoluetur. Plures tamen baptismales Ecclesiæ non debent fieri in vna terminatione: & terminationis controuersia dirimenda est iudicio plebium, vel sorte.

6 Nec quidquam Episcopo obstiterit, quod de rebus Ecclesiæ non alienandis iurauerit: nam & tali non obstante iuramento, populo indigenti super basilicarum institutione salubriter prouidere poterit, & etiam inuitis Rectoribus, iuxta Constitutionem Concilij Tridentini debebit. Idem procedit in diuisione beneficij pinguis, cuius fructus per Episcopum diuidi possunt, si adsit consensus patroni ius collationis habentis, & illæ Ecclesiæ sint intra eosdem terminos; vel illi duo beneficiati in vno, eodemque templo. Translatio attamen Cathedralium non potest fieri sine authoritate Apostolica.

7 Episcopo conceditur pro sepultura propria Ecclesiā ædificare, aut nouum Monasterium construere in sua Diœcesi, quæ tamen indotata consecrari non debet; veteresq; Ecclesiæ propter nouas lædendæ non sunt. Modicum tamen damnum respectu decimarum ex rationabili causa sustinere possunt; præsertim si Episcopus quid concesserit cum consensu Capituli de rebus mensæ suæ.

8 Qui præter Episcopi consensum Ecclesiam construit, facit

facit iacturam iuris patronatus. Basilica autem legitimè extructa, non ante sacris est deputanda mysterijs, quàm munus consecrationis acceperit: quod ne qua Diuino cultui afferatur mora, quantò poterit citiùs conficiendum erit. Sicut autem infans à Sacerdote ritè baptizatus non debet iterùm baptizari, ita nec Ecclesia semel Deo dicata, & consecrata, iterum debet consecrari.

9 Quod si de Ecclesiarum, vel Altarium consecratione dubitetur, nec de ea, aut scriptura appareat, aut testis existat aliquis; sine vlla dubitatione erunt à capite consecranda. Sed si Ecclesia, aut ruina desecrata sit, aut ab igne totaliter exusta, aut fusione iniuriosa sanguinis, vel voluntariè seminis, vel excommunicati humatione polluta fuerit; etiamsi semel antea consecrata appareat, nihilominus diligentissimè expurgata, iterato consecranda, vel reconcilianda erit. Idem & de cœmiterio Ecclesiæ intelligendum est. Nam si Ecclesiæ contiguum sit, polluta Ecclesia, & ipsũ cœmiterium pollutum erit, (sanguine nimirum iniuriosè in Ecclesia effuso in cœmiterium decurrente) nec debebit quis in eo ante reconciliationem sepeliri. Quod contra erit, si ab Ecclesia seiunctim cœmiterium fuerit. Ipso verò cœmiterio polluto, quamuis Ecclesiæ annexo, non tamen Ecclesia polluta erit. Nec si vulneratus extra Ecclesiam, in Ecclesiam fugiens eam sanguine resperserit, Ecclesia non erit reconcilianda. Similiter, nec si homo occidatur in tecto illius, aut homicidium accidat in templo ipso casuale à lapsu lapidis, aut trabis desursum.

10 Plane non dicitur Ecclesia polluta per actus, qui fiunt extra corpus ipsius Ecclesiæ in locis adiacentibus, vt sunt, campanile, criptæ subterraneæ (in quibus non celebratur) Sacristia, Cœmiterium. Nec per percussionem iniuriosã, absque sanguinis effusione polluitur; nec per sanguinem animalium; nec per naturalem effusionem sanguinis è naribus, vel ore; nec per ictum furiosi, vel mentecapti: nec denique per inculpatam tutelam, quando quis defendendo se in Ecclesia à percussione violenta, alium nolens occiderit;

aut

aut ab alio ipse læsus duas aut tres sanguinis guttas emiserit. Sed bene consecranda erit, quando omnes parietes de nouo extruuntur à fundamentis, non verò tectum templi ipsius.

11 Quod si Altare motum fuerit, & formam primam amiserit, aut lapis superpositus, qui sigillum continet, confractus, aut diminutus fuerit, tunc ob id Ecclesiæ consecratio iteranda non erit; sed ipsum solum Altare denuò, consecrandum.

12 Poterit autem consecratio Ecclesiarum, & Altarium quibuscunque diebus fieri, honestius tamen fieret, si in diebus festiuis consecrarentur; idque per Episcopos solos, non per simplices Sacerdotes: quia quæ Ordinis Episcopalis sunt, inferioris gradus Clericis committi non possunt; licèt ea quæ iurisdictionis sunt facile commiantur. Sed animaduertendum est, quod Ecclesia in qua infidelium corpora sepulta sunt, consecrari non poterit, nisi euulsis inde corporibus, & rasis, seu dealbatis parietibus, & tignis: quia quibus viuentibus Ecclesia non communicat, mortuis quoque communicare non potest.

13 Solemnitates quoque dedicationum ipsarum Ecclesiarum per singulos annos erunt celebrandæ, ipso Domino exemplum dante, qui dum ad festum dedicationis templi celebrandum cum reliquis populis accessit, omnibus idem faciendum suo exemplo ostendit. Hinc regula Canonum orta est; *quod res semel Deo dicatæ, non sunt ad vsus humanos amplius transferendæ*.

14 Si verò contingit aliquando Ecclesias instauratione aliqua egere, puta, vt tecta, aut parietes ruinam minantes sarciantur, vel fulciantur, aut iam lapsi restituantur, subire hoc onus debebit ipsius Ecclesiæ Rector, si quarta huius prouentus vsui huic à sacris Canonibus assignata non sufficiat. Ad quod onus minores etiam beneficiati in ipsa Ecclesia obligantur, respectu quartæ partis suorum redituum. Siquidem bona Ecclesiasticis triplici de causa à fidelibus videntur concessa, videlicet ob Ecclesiam restau-

randam, Clericos alendos, & pauperes sustentandos. Nisi aliqua dispositio specialis aliter ordinaret; prout multis in locis videmus Ecclesias habere prouentus distinctos pro fabrica. Sed & Episcopus tertiam partem sibi obtingentem impendere debebit; & parochiani in subsidium ob inopiam Rectoris, pro posse suo contribuere (ex quo ibi percipiutn Diuina) tenentur, vt monet sancta Synodus Tridentina.

TITVLVS XIX.

De Vnionibus Ecclesiarum.

1 VNio nihil aliud est, quam duarum pluriumue Ecclesiarum facta connexio. Dicta ab vniendo, ex eo, quod plures Ecclesiæ in vnum coniunguntur. Vbi beneficium minus principale extinguitur, & denominatur à principaliori, cui annectitur per legitimum superiorem, vt si Ecclesia sæcularis Canonicorum vniatur Ecclesiæ regulari Monachorum, iam assumit naturam, & qualitatem beneficij cui vnitur, & efficitur Ecclesia regularis eiusdem Ordinis.

2 *Fit autem tribus modis vnio*. Primo, quando ex duobus beneficijs vnum fit, vt supra diximus. Secundo, quando vnum beneficium, seu Ecclesia inferior subijcitur superiori. Tertio, quando duæ Ecclesiæ, vel duo beneficia æquè principalia vniuntur sub vna persona, seu Rectore, habentes proprios reditus suos, & honorem, & priuilegia in integro. Tunc talis vnio, aut perpetua est, aut temporalis. *Perpetua est*, dum sine præfinitione temporis perdurat. *Temporalis verò*, cum ad certum tempus tantum, aut alicuius vitam instituitur. Et si administrator horum beneficiorum, poterit residere, vbi maluerit; vel vbi commodius, atque vtilius illi videbitur.

3 Vnio ad tempus fit tribus modis. *Primo*, ad tempus designatum, vt ad triennium. *Secundo*, ad vitam alicuius

tertiæ personæ. *Tertio*, ad beneplacitum Prælati viuentis. Vnio verò perpetua fit duobus modis. *Primo*, nominatim in perpetuum, & æuum. *Secundo*, ad beneplacitum Sedis Apostolicæ; nam tale beneficium facit concessionem perpetuam.

4 Velut ergo ex causa iusta, & rationabili, vna Ecclesia, vel Episcopatus in plures diuidi permittitur, sic etiam rebus suadentibus plures Ecclesiæ in vnam coniungi possunt, necessitatis, & vtilitatis animarum causa. Veluti cum duæ Ecclesiæ adeò sunt pauperes, vt impossibile sit earum prouentus ad victum duorum Sacerdotum sufficere. Vel si altera hostium immanitate desolata sit. Atque ita nominatim in scripturas publicas causis relatis, ne quid detrimenti diuinus cultus, & animarum cura patiatur, possunt plura beneficia, vel Ecclesiæ in vnum coniungi.

5 Sicut igitur vnire Episcopatus pertinet ad Pontificē Romanum, sic minores Ecclesias ad Episcopum, cui subsunt. Vnde Abbas Monasterium Monastero subijcere, aut vnire, sine loci Ordinarij licentia non poterit, quamuis habuerit consensum, vel confirmationem Metrapolitani, cum is in Diœcesi sui Suffraganei absque ipsius assensu non debeat aliquid contra Constitutiones canonicas attentare.

6 Vsque adeo autem Episcopo in propria Diœcesi facultas vniendi competit, vt si per eundem, consentiente capitulo, Ecclesia Ecclesiæ dignitati, vel præbendæ vniatur, aut religioso loco donetur, ex eo quod Rector ipsius ad hoc vocatus, vel si vacabat, defensor ei super hoc datus non extitit, nequaquam impugnari valeat. Nam cum nullum ei præiudicium inferatur, quin possit eam Ecclesiam dum viuit (vt antea solebat) regere & gubernare, nec quidem vocari eum oportet, cum vnio fit, nedum consensum suum præstare tenetur. Nihil tamen sibi Capitulum Sede vacante vnire poterit; nihil Episcopus sibi, & Capitulo, sine consensu Papæ, nullamque vnionem sine Capituli sui consensu facere potest; nec sine consensu inferioris, ad quē eius Ecclesiæ conferendæ, quæ vnitur, ius spectat.

7 Nec

7 Nec solùm Capituli vnientis Episcopi, in vnione consensus exigitur, sed etiam illorum, qui ex vnione lædi possent. Vnde si aut collegiata, aut patronata, aut alicuius Suffraganei Ecclesia sit vnienda, Collegij, Patroni, & Suffraganei assensum interuenire oportebit. Alias vnio erit nulla, & inualida,

8 Secuta verò vnione canonica, statim is, cuius Ecclesiæ alia per vnionẽ est applicata, eandẽ in vnitam nanciscitur potestatẽ, & ius, quod in eã olim habebat, cui ab initio præfuit: statimq; vnicæ Ecclesiæ eadẽ priuilegia cõpetunt, quæ principali Ecclesiæ competere comperiuntur. Duæ tamen Ecclesiæ vnitæ per Sedem Apostolicam, per hoc non eximuntur à iurisdictione suorum Episcoporum, in quorum potestate antea fuerunt, sed singulis Episcopis Papa iura sua inuiolata seruare presumitur, qui duas Ecclesias in diuersis Dioecesibus existentes vnit authoritate sua. Statuit tamen sacrosancta Synodus Tridentina sub Iulio III. (ne ordo Ecclesiasticus confundatur, & ne vna & eadem Ecclesia duarum quodammodo Dioecesium fiat, non sine graui illorum incommodo, qui ei subditi fuerint) ne beneficia vnius Dioecesis, etiamsi Parrochiales Ecclesiæ, Vicariæ perpetuæ, aut simplicia beneficia, seu præstimonia, aut præstimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum Diuinum, aut numerum beneficiatorum, ala quacumque de causa, alterius Dioecesis beneficio, aut Monasterio, seu Collegio, vel loco etiam pio perpetuò vniantur.

9 Dissoluetur autem vnio, si temporalis sit, temporis lapsu. Quod si sit perpetua, cessantibus eisdem causis, ex quibus facta fuerat, ab ijs itidem dissolui poterit, quorum consensu, & auctoritate olim fuerit instituta. Nihil enim est tam rationi consonum, quàm vt is destruendi habeat potestatem, cui construendi facultas conceditur.

10 Illud tamen inter instituendam, & dissoluendam vnionem interest, quod licet etiam vacans Ecclesia alter

possit vniri, si tamen Ecclesias per vnionem connexas vacare contigerit, vnio interim vacantium Ecclesiarum dissolui minime poterit.

TITVLVS XX.

De Immunitatibus Ecclesiarum.

1 POstquam de Ecclesiarum substantia pertractauimus, consequens est, vt de pertinentibus ad eas, partim ex priuilegio, partim de iure cōmuni, breuiter agamus. Cum autem ipsas contingat in pluribus priuilegiari, & immunes reddi, meritò igitur videndum erit de ipsa immunitate prius, quid sit, vnde dicatur; quotuplex sit, & qualiter differat à libertate Ecclesiastica.

2 *Immunitas itaque est*, indulta à muneribus, & oneribus exemptio. *Diciturque immunitas* quasi emunitas, id est, extra munia & munera. Vt enim Clerici ab omni grauamine, & tributo immunes, vni Deo omnem operam suam colendo nauare possint, aduertunt Canonicæ leges, ne vlla eis onera per laicos imponi patiantur, sed plena personarum, & rerum suarū immunitate perfrui debeant. Ideoq. ex Concilio Lateranen. sancitum est, ne seculares potestates vllum onus, vel tributum Clericis, aut Ecclesijs imponant; quod si non seruarint, & moniti non destiterint, ipsos, eorumque fautores à Christianorum communitate idem Concilium eos exterminat; nec prius restitui eos permittit, quàm Clericis eo modo læsis integrè satisfecerint.

3 Hinc triplex Ecclesiarum immunitas statuitur, Localis, Personalis, & Realis. *Localis immunitas est*, quæ sacris ipsis domibus, aut aliquibus sacrarum ædium intuitu conceditur. Cum enim Ecclesia secundum Euangelicam veritatem domus esse debeat orationis, meritò à profanis vsibus esse conuenit alienam.

4 Sæculares igitur Iudices, causas, præcipuè vbi de san-

ſanguinis agitur effuſione, & de pœna corporali tractatur, in Eccleſijs, vel earũ cęmeterijs, atq; domibus Eccleſiaſticis agere, ſub anathematis interminatione prohibentur. Abſurdum eſt enim ibi iudicium ſanguinis exercèri, aut hoſpitia ſibi in eis quærere, vbi eſt tutela conſtituta refugij. Sic etiam conclamationes, ſeditiones, impetus, & tumultus, publica parlamenta, ſeu comitia, & conuenticula communitatum, nundinationes, negociationes, confabulationes, conſilia, litigantium concordiæ, & colloquia, ab his penitus amoueri debent.

5 Similiter conuiuia, hoſpitia, deambulationes, dormitationes, nec in Templis ipſis, nec in Oratorijs, ſeu Capellis permitti debent: ne vbi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio. Idem ſtatuitur & de Eccleſia nondum conſecrata, in qua Diuina iam myſteria celebrantur: quia cum obſequijs diuinis ſit dedicata, nullius temerarijs auſibus eſt profananda.

6 Tandem ne violentia aliqua comittatur, & extrahantur delinquentes, qui ad ipſam Eccleſiam confugiunt. Quicunque autem inde hominem reluctantem, reclamantemque violenter abſtraxerit, tàm alijs pęnis pro ſacrilegio quod admiſit, quàm Eccleſiaſticæ ſubiacebit excommunicationi. Si quis tamen delicti impunitatem ita ſe cõſecuturum ſperans, homicidium, vel membri mutilationem in Eccleſia ipſa, vel eius cęmeterio patrare auſus fuerit, quæ, niſi ab Eccleſia in quam confugit, defenſum ſe iri ſperaſſet, non fuerat commiſſurus, tam impio homini Eccleſia nulli adiumento, vel præſidio eſſe debet. Fruſtra enim legis auxilium implorat, qui eam violat.

7 Item liber homo ad Eccleſiam confugiens, non eſt ab atrijs etiam ipſius ad mortem, aliamue pęnam corpoream trahendus, quodcumque crimen patrarit: nec à domo Epiſcopi, neç ab Eccleſiæ circuitu intra triginta paſſus ab oſtio (quid de cœmeterio?) quod ſpacium Eccleſiæ reuerentia defendi ſacri Canones voluerunt: Niſi impetrata vita per Eccleſiarum Rectores, & membrorum incolumitate.

tate. Sed alijs pœnis de eo quod iniquè egerint puniendi erunt.

8 Hoc autem de publicis latronibus, vel nocturnis agrorum populatoribus, viarumque obsessoribus intelligi non oportet. Hi enim secundum Canonicas sanctiones ab Ecclesijs extrahi possunt, immunitatis securitate non præstita. Quod si seruus sit, qui ad Ecclesiam confugerit, postquam de impunitate Dominus Clericis iuramentum præstiterit, ad seruitium Domini sui redire compelletur. Alioqui, si redire nolit, à Domino occupari poterit. Famuli enim, qui Dominos metuunt, si ad Ecclesiæ septa confugerint, intercessionem debent quærere, non latebras: nec quenquam Religionis reuerentia proprio iure fraudari conuenit.

9 *Personalis immunitas est*, quæ personis ecclesiasticis indulgetur, vt non solùm à sæcularibus Iudicibus sint exemptæ, sed ab omnibus prorsus muneribus, quæ vel corporis labore, vel animi sollicitudine, ac vigilantia sustinentur. Generaliter igitur Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Monachi, immunitate omnis tutelæ, & curæ, ipso iure gaudebunt.

10 Viduarum autem, & Orphanorum curam suscipere, non solùm non prohibentur Clerici, sed etiam iubentur, cum ipsis cupiditatis negotia, non pietatis interdicantur. Ad murorum quoque, aut vallorum custodiam, si magna immineat necessitas, Clerici tenentur, vt cunctis vigilantibus, melius valeat ab hoste Ciuitas custodiri.

11 *Realis immunitas est*, per quam res Ecclesiasticæ à censu, gabellis, portorijs, & collectis potestatum sæcularium liberæ redduntur. Siquidem tam profanis legibus, quàm sacris Canonibus, sub excommunicationis, & interdicti pœna constitutum est, ne quis eorum qui iurisdictionem temporalem obtinent, possit tributa, collectas, seu quascunque exactiones, sub quouis titulo, & colore imponere Ecclesijs, vel personis ecclesiasticis, pro domibus,

præ-

prædijs, vel quibuſcumque poſſeſſionibus legitimè acquiſitis; etiamſi ipſæ Eccleſię, vel perſonę, vel res ſint intra illorum territorium conſtitutę.

12 Ob magnam tamen neceſſitatem Reipub. vel vtilitatem, laicorum non ſuppetentibus facultatibus, poſſunt Clerici cum Epiſcopo ſuo ſubuenire facultatibus ſuis, conſulto prius Romano Pontifice. Quod ſi Clerici abſque authoritate Sedis Apoſtolicæ, cuiuſuis nominis vel generis tributum laicis ſoluerint aut promiſerint, ſententiam excommunicationis incurrant.

13 Et hinc patet differentia inter Immunitatem & libertatem Eccleſiaſticam, quia *Libertas eſt* exemptio perſonæ Eccleſiaſticæ ab omni poteſtate ſæculari, & oneribus Reipub. vt ſecundum liberum arbitrium ſuum, vtatur ijs quæ poſſidet bonis Eccleſiaſticis. *Immunitas verò* verſatur circa exemptionem locorum ſacrorum. Vnde ſi quis iniuriam loco ſacro facit, non eſt reus violatæ libertatis, ſed tantùm immunitatis; nec incidit in cenſuras, contra violantes Eccleſiaſticam libertatem promulgatas. Sicut è contra, cum quis iniuriatur perſonam Eccleſiaſticam euntem Romam, vel à Pontifice miſſam in legatione ad aliquem Principem, iam non immunitatem, ſed libertatem Eccleſiaſticam violat.

14 Quemadmodum igitur ſacroſanctis Eccleſijs ſecularium poteſtatum intuitu, omnimoda debetur immunitas, tam locorum ratione, quàm perſonarum & rerum: ſic eiſdem rationibus ab illis, & vniuerſo Diœceſis Clero, proprio Epiſcopo omnimoda ſubiectio debetur, tam reſpectu munerum Ordinis illius, quàm reſpectu iuriſdictionis, & dignitatis Epiſcopalis, ſeu legis Diœceſanæ. Qua de re diuerſis titulis, quantum neceſſarium eſſe duximus, tractatum eſt à nobis.

TITVLVS XXI.

De Capellis Monachorum.

1 CVm omnes Ecclesiæ positæ in Diœcesi de iure subsint Episcopo (nisi aliquæ ex speciali priuilegio sint exemptæ) necesse est, vt & Monachorum Capellæ, in quibus populi curam habent, eidem subijciantur. Cumque per Monachum plebs regi non debeat, Capellanus ad consilium Monachorum (quod tenetur quidem requirere, sed non sequi) ab Episcopo sit instituendus, ita vt consuetudine, aut quouis statuto contrario non obstante, ex solius Episcopi arbitrio, tam ordinatio eius, quàm depositio, & vitæ pendeat conuersatio.

2 Vnde, per Bullam Innocentij X. anno 1648. editam, etiam Societatis Iesu Regulares, in vna Diœcesi ab Episcopo approbati, ad confessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquam possunt in alia Diœcesi administrare Sacramentum Pœnitentiæ secularibus, absque licentia Episcopi Diœcesani. Qui verò eiusmodi confessiones sæcularium præsumerent excipere, aut prædicare, etiam in Ecclesijs sui Ordinis, non petita illius benedictione, possunt in vim Constitutionis fælicis recordationis Gregorij XV. per Episcopum coerceri, & puniri. Maximè si aliquis prædictorum Religiosorum insurgat contra Episcopum maledictis cum scripto, vel dicto populum scandalizando.

3 Quamuis enim punitionem seu cognitionem delictorum Regularium exemptorum, non ad Episcopum, sed ad eorum superiorem spectare sciamus; dicimus attamen cum Concilio Tridentino, Episcopum posse declarare excommunicatos à iure, vel Apostolicis Constitutionibus Regulares exemptos, qui habent priuilegium, vt excommunicari, suspendi, & interdici non possint. Præsertim si Regulares à suo superiori infra tempus ab Episcopo præfixum, non fuerit seuerè punitus, & de punitione

illius

illius ipse Episcopus certificatus. Tum ad præscriptum Concil. Trid. cap. 14. sess. 25. procedendum erit. Et si delinquens ad aliam Diœcesim migrauerit, seruandus erit modus, in Constitut. sanctæ memoriæ Clementis VIII. incipien. *Suscepti muneris ratio*, præfinitus.

4 Nec id mirum videri debet, cum Monasteria ipsa, & Collegia omnia Religiosorum, ad seum iure communi pertineant Episcopum, in cuius sunt territorio constituta. Hinc factum est, vt cum in Indijs Occidentalibus Clerici Regulares Societatis Iesu, vi priuilegiorum Societati suæ Apostolica authoritate concessorum, proprio iure licere sibi laicorum confessiones excipere, & Verbum Dei prædicare, absque vlla licentia Episcopi Diœcesani, & examine prætenderent, (propter quod diuersis in prouincijs ad plures actus iudiciales deueniebat) Innocentius X. feliciter præsidens Cathedræ Petri, negocio hoc particulari Congregationi Eminentiss. Cardinalium, & Prælatorum Curiæ commisso, & accurate discusso, per Bullam Anno 1648. die 14. Maij editam; declarauit, & determinauit. *Regulares Societatis Iesu, nequaquam posse in ciuitate, & Diœcesi Angelopolitana, cuius Episcopum contemnebant, personarum secularium confessiones audire, sine approbatione prædicti Episcopi Diœcesani; nec Verbum Dei prædicare in Ecclesijs sui Ordinis, non petita ipsius benedictione: Nec in alijs Ecclesijs sine eius licentia; nec in Ecclesijs etiam sui Ordinis, ipso contradicente. Et contrauenientes ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato coerceri, & puniri posse, etiam censuris ecclesiasticis in vim Constitutionis sanct. mem. Greg. XV. quæ incipit.* Inscrutabilis Dei prouidentia *Nec ob eam causam licere dictis Religiosis Societatis Iesu, quasi à manifestis iniurijs, & violentijs, eligere sibi Conseruatores, eosque vt prafertur electos in Episcopum, eiusque Vicarium Generalem indebitè ac nulliter excommunicationes fulminare.*

5 Constitutio autem felic. recor. Greg. XV. circa Conseruatores Regularium publicata Anno 1621. cum declarationibus Eminentissimorum Sacræ Congregationis Cō-

cilij Trid. Interpretum editis, ęque afficere Religiosos Societatis Iesu debet, atque aliorum Ordinum Monachos, ex vi eiusdem Bullæ Innocentij X. & Vrbani VIII. antecessoris sui publicatę 1634.

6 Si vero exemptus Regularis commoretur extra claustrum de licentia sui Superioris, & delinquat, debet puniri ab Ordinario, quamuis maneat in domo destinata ad erectionem Monasterij, si in dicta domo non est obseruantia regularis, & Superior. Alias debet remitti suo Superiori, cum pręfixione termini ad puniendum. Priuilegia verò quę sunt contra Iurisdictionem Ordinarij, & quibus gaudent, & gaudere prætendunt Regulares, tam Societatis Iesu, quàm alij, iuxta eandem Bullam Innocenti X. debent Episcopis exhibere, si eis vti voluerint.

7 Regulares exercentes curam animarum personarum sęcularium extra eorum septa, quę sunt de eorum familia, subduntur Ordinarijs, & ab illis compelli possunt censuris vigore Concil. Trid. vt eant ad processiones publicas, non obstantibus priuilegijs. Pro quo facit etiam Bulla Pij Quarti, per quam abrogantur omnia priuilegia contraria Concilio Tridentino.

8. Regulares Societatis Iesu, grauati ære alieno, vel ad ratiocinia, vel testamentorum executores, coram Ordinario loci possunt conueniri, si ad præscriptum Constitutionis sanctę mem. Greg. XV. Conseruatores non elegerint, ipsumque electionis documentum intra pręfinitum tempus, in Actis Curię ipsius Ordinarij non exhibuerint, ac dimiserint. Omnesque alij exempti degentes extra claustra, ciuilibus causis mercedum, & miserabilium personarum conueniuntur coram Ordinario, etiamsi in partibus habeant iudicem deputatum à Sede Apostolica. In alijs verò si ipsum iudicem non habuerint, coram Ordinario conueniri possunt, & compelli ad soluendum.

9 Episcopus de ordinatione Sacros. Concil. Trid. debet punire Regulares discedentes à suis Conuentibus sine licentia suorum Superiorum, etiam prætextu ad Superiores

res accedendi. Item qui inueniuntur in domibus meretricum; vel alias notoriè delinquunt cum populi scandalo, carcerandi sunt per cursores Curiæ, & non remittendi ad suos superiores, antequam capiatur informatio delicti: & postea remitti debent ad suos superiores cum copia Actorum, præfixo termino superioribus ad docendum de punitione, infra viginti dies, sub poena priuationis dignitatum, & officiorum eo ipso incurrenda (iuxta Bullam Clementis VIII.) & inhabilitatis ad illa, & priuationis vocis actiuę, & passiuæ, à qua nemo possit absoluere, nisi Papa. Debet autem Episcopus talem religiosum in crimine notorio captum, quamcitius potest remittere suo superiori cum informatione: & nisi velit remittere petentem, & vexaret eum carceribus, non euitaret excommunicationem ipse.

10 Monachi, qui ab exempto Monasterio ad Prioratus Ordinarijs subiectos transferuntur, quamdiu ibi morantur Ordinarijs subiacent, vt ab eis etiam interdici, suspendi, vel excommunicari possint, quamuis priuilegium hoc Monachi prioris Monasterij haberent, ne à quocumque interdici, suspendi, vel excommunicari possint, idq; priuilegium in eo monasterio exempto seruandum esset in his, quæ in ipso priuilegij diplomate expressa sunt, vt hæc omnia Innocent. IV. in Generali Concil. Lugdunen. definiuit. Et Paulus III. in Synodo Trident. innouauit.

TITVLVS XXII.

De Religiosis Domibus.

1 POst descriptionem Ecclesiarum, sequitur agendũ de Religiosis domibus: & quia omnes Ecclesiæ, & Oratoria seu Capellæ, quæ in Dioecesi reperiuntur, & omnis earum Clerus, subiacent Episcopo, ita domus religiosæ, quæ vniuntur Ecclesijs, eidem subiacere tenentur, vt sunt Xenochia, *vbi peregrini excipiuntur*, Or-

 pha-

phanotrophia, *ubi parentibus priuati instruuntur*. Bethotrophia, *ubi pauperum hominum filij legitimi aluntur*. Nosocomia, *ubi ægroti curantur*. Gerontocomia, *ubi senes fouentur*, aliaq; similia loca.

2 Quinimmò, si talium locorum Rectores exempti sint, si tamen illorum cura postposita, bona, & iura ipsorum, ab vsurpatorum manibus vendicare negligant, aut quoquomodo res illorum collabi sinant, poterunt Ordinarij auctoritate Apostolica sibi ex Viennensi Concilio prẹstita, loca ipsa salubriter reformare; & occupata, alienata, deperdita; vt in statum pristinum redigantur procurare. Contradictoresque quoscunque per censuram ecclesiasticam, & alijs iuris remedijs compescere, licet multum per hoc exemptionibus seu priuilegijs, quoad alia præiudicium generari debeat.

3 Cum igitur Hospitale dicatur, venerabilis & pius locus sicut Ecclesia, & subsit Episcopo, ad eiusque sollicitudinem pertineat, consequens est, vt gaudeat priuilegio sicut & Ecclesia, maximè quoad præscriptionem, exemptionem à tributis, & iurisdictionē sæcularē, (dummodo sit fundatum authoritate Episcopi,) & alienationem bonorum: quia eadem solemnitas requiritur in alienatione rerum Hospitalis sic fundati, quæ requiritur in alienatione rerum Ecclesiæ.

4 Hospitalia verò à Regibus fundata, & in eorum immediata protectione constituta, non subiacent visitationi Ordinarij, sed subiacent illius iudicio; & inspectioni: licitumque ei exigere rationem administrationis, donec coram eodem Ordinario doctum fuerit de institutione, in qua secus expresse cautum sit. Alia verò laicorum, & priuatorum nobilium loca pia, vel Hospitalia ab illis fundata, sine vlla distinctione subiacent iurisdictioni, & visitationi Episcopi; præsertim cum fundator fuerit mortuus, (secus illo viuente) quia tunc temporis Episcopus est executor omnium piarum dispositionum. Præterea cum sint ordinata in honorem Dei, ob charitatem quæ in

eis exercetur, prout non poterant constitui sine authoritate Episcopi, ita non possunt ad alium finem applicari sine scitu illius, sic etiam non possunt à Rectoribus laicis gubernari, vt non subiaceant iurisdictioni ipsius, vt vult Sacrosancta Synodus Tridentina.

5 Res deputatæ ad certum vsum pium, sacrum, aut religiosum, non possunt transferri ad alium vsum eiusdem qualitatis, & naturæ, sine licentia Sedis Apostolicæ, & multo magis ad vsum profanum; Episcopi verò in hac materia sunt tanquam Sedis Apostolicæ delegati.

6 Xenodochia, & loca similia, quamuis habeant Ecclesiam, & campanile, ibique perpetuò Missæ celebrentur non possunt in beneficium conferri, etiamsi consuetudine id fuerit alias obseruatum, quia appellatione beneficij Hospitale non comprehenditur. Nisi in illorum fundatione aliter constitutum fuerit; siue per electionem sit de Rectore huiusmodi locis prouidendum. Sed quod eorum gubernatio viris prouidis, ac boni testimonij committatur, quos bona prædicta in alios vsus conuertere, præsũptiò verisimilis non existat.

7 Vt autem hi demandatæ sibi curæ diligentius insistant, instar tutorum, & curatorum, debent iuramentũ præstare, ac de bonis inuentaria conficere, & Ordinarijs, seu alijs, quibus loca huiusmodi subsunt, vel deputandis ab eis, singulis annis de administratione sua rationem reddere: qui enim bona aliena administrat tenetur semper reddere rationem, maximè sæculares, si suspecti essent propter vxorem, & filios. Quod si secus à quoquam fuerit attentatum, prouisio seu ordinatio minimè valebit.

8 Prædicta verò, ad Hospitalia militarium Ordinum, vel aliorum Religiosorũ minimè extenduntur. Hi enim suorum Ordinum institutiones, & consuetudines obseruare cogendi erunt.

9 Sed etsi qua sint Hospitalia, altaria, & cœmeterium ab antiquo habentia, & presbyteros celebrantes, & Sacramenta Ecclesiastica pauperibus ministrantes, quoad

exer-

exercenda, & ministranda spiritualia prædicta, antiquam consuetudinem Viennense Concilium obseruari voluit.

10 Prędia verò rustica, à Regularibus Societatis Iesu, vel alijs possessa, & aliæ domus sæculares, in quibus videlicet vnus, vel duo Regulares tantùm commorantur, iuxta Bullam Innocentij X. non gaudent priuilegio Collegiorum, vel Conuentuum, nec in illis possunt (intra limites Parochialium ad se non spectantium) administrare Sacramenta baptismatis, solemnis matrimonij, extremæ vnctionis, & Eucharistiæ in festo Paschatis, famulis, mercenarijs, rusticis, siue alijs id genus hominibus secularibus, absque Ordinarij, vel Parochi licentia.

TITVLVS XXIII.

De Sepulturis Christianorum.

1 QVia sepulturæ Christianorum fiunt in locis religiosis, & faciunt etiam locum religiosum, ideo ius Ciuile mandauit, vt homines pietatē retinerent erga morientes, & veluti res sacræ custodirentur sepulchra, vocans loca prædicta religiosa. Vnde Prætoris Edicto datur actio in factum aduersus violantes sepulchra dolo malo: & puniuntur honestiores quidem centum aureis, si ea aperuerint; si verò corpora inde extraxerint, deportatione in insulam: humiliores verò summo supplicio.

2 Constituuntur autem sepulturæ fidelium in Ecclesijs, & locis religiosis, ne à spiritibus ibi vexentur immundis, & Sanctorum illorum commendentur patrocinio, quorum nomini Ecclesia illa, in qua corpora conquiescũt, est consecrata. Accedit, quod defunctorum proximi, ad sacra loca venientes, sepulturamque conspicientes, suorũ recordantur, & pro eis pias preces fundunt: seque aliquando morituros, & ibidem sepeliendos recordantur, & à vitijs comprimunt. Vnde mortuorum sepulturæ, & cœmete-

ria apud illas Ecclesias, & Monasteria, ex antiquo disposita esse comperiuntur, in quibus Religiosorum conuentus sunt constituti, vbi orationes, & Missarum solemnia, tam pro viuis, quàm pro defunctis frequentius celebrantur.

3 Ius itaque sepeliendi, & funerandi est annexum spiritualitati, & per consequens per Iudicem ecclesiasticum cognosci debet quoad consecrationem, & apparatum Ecclesiæ. Secus verò quoad expensas vestium lugubrium, quæ non respiciunt animam defuncti, sed consolationem viuentium, nam ista possunt à laicis regulari.

4 Vnusquisque habet liberam facultatem sepulturam eligendi. Et si quis non eligat, in parochiali ecclesia, aut maiorum sepulchris est sepeliendus. Et vxor non tenetur sequi sepulturam viri, si velit aliam eligere; si verò non eligat, tenetur sequi sepulturam vltimi viri; si plures habuerit. Sic & filiusfamilias, licèt non possit aliquid relinquere pro anima sua, si careat castrensi, vel quasi castrensi peculio, tamen potest sibi eligere sepulturam. Nisi sit impubes, poterit pater sepelire illum vbi voluerit: si non est consuetudo in contrarium.

5 Qui semel sibi sepulturam elegit, potest etiam reuocare vsque ad mortem: hæc enim electio sapit naturam vltimæ voluntatis, vt sit ambularoria vsque ad mortem. Sed Episcopus si non eligit sibi sepulturam, debet sepeliri in Ecclesia sua Cathedrali, expensis eiusdem Ecclesiæ, vel Episcopatus. Sic etiam Confratres alicuius Congregationis, non eligentes sibi sepulturam secundum illorum deuotionem, sepeliendi sunt in propria Parochia.

6 Ita etiam peregrini, seu aduenæ, si commodè non possint transportari ad sepulturam maiorum suorum, sepeliendi sunt in Parochia, in qua moriuntur. Regularis verò peregrinus sepeliatur in Monasterio viciniori Ordinis sui, quatenus fieri potest.

7 In proprio Monasterio Religiosi morientes, cum propriæ voluntatis libertatem non habeant, eligere sibi sepulturam nequeunt, sed apud propria Monasteria tumulan-

mulandi sunt. Nisi adeò fortè sint remoti, quod ad ea cum moriuntur, commodè exportari nequeant.

8 Si quem contingat ruri inopinato mori, talis si sine periculo possit exportari, vel in parochiali ecclesia (non in ecclesia ruri posita) vel in maiorum sepultura debet sepeliri. Si verò eligit sibi locum sepulturæ, satis est, vt probetur quoquo modo Iudici ecclesiastico, vel per testamentum, vel per dictum Confessoris, cui in hoc credendum est, vel per testes singulares. Vniuersitas tamen non potest eligere pro suis ciuibus sepulturam in odium parochialis ecclesiæ, in qua de iure ciues sepeliri debent.

9 Cautum autem est Bonifaciana Constitutione, ne qui Religiosi, aut seculares Clerici, aliquos inducant ad vouendum, iurandum, vel aliàs promittendum, vt apud eorum Ecclesias sepulturam sibi eligant; vel iam electam vlterius non immutent. Nam eiusmodi pactis, & promissionibus reiectis, eius Ecclesiæ sepultura accipienda erit omninò, cui sepeliendi ius competebat, si aliàs non electa sepultura ille decessisset. Et Clerici, aut Religiosi, qui huiusmodi pactorum, vel promissionum vi, quem ad sepulturam acceperint, non solùm cadauer sepultum petentibus, sed omnia eius occasione accepta intra decendium restituere tenebuntur. Qua restitutione non facta, Ecclesiæ in quibus sepelierint, eorumque cœmiteria ex tũc manebunt tamdiu ecclesiastico supposita interdicto, quamdiu ab eis facta fuerit omnium plena restitutio.

10 At si quis antiqua dimissa, nouam etiam in loco minus religioso elegerit sepulturam, electio huiusmodi non est impugnanda.

11 Decreuit autem Sacrosancta Synodus Tridentina, vt quibuscumque in locis iam ante annos quadraginta, quarta quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolui, ac postea fuerit ex quocũque priuilegio, alijs Monasterijs, Hospitalibus, aut quibuscumque locis pijs concessa, eadem post hac integro iure, & eadem portione, quæ antea solebat, Cathedrali,

seu

ſeu parochiali eccleſiæ perſoluatur, non obſtantibus conceſſionibus, gratijs, priuilegijs, etiam *Mari magno* nuncupatis, aut alijs quibuſcumque.

12 Sed vbi quis, cuius maiores ſunt ſoliti ab antiquo in aliqua Eccleſia ſepeliri, ea dimiſſa eligit alibi ſepulturã; canonica portio dimiſſæ, non debetur Eccleſiæ, ſed ei duntaxat, in qua is officia conſueuit audire diuina, & eccleſiaſtica recipere Sacramenta. Si quis tamen duo habens domicilia, & æqualiter ſe collocans in vtroque, in loco tertio delegerit ſepulturam, domiciliorum amborum Eccleſiæ inter ſe diuident canonicam portionem.

13 Non omittendum eſt, quod etiam Religioſi Ordinis Minorum, & Prædicatorum, poſſunt libere ſepulturã in locis ſuis dare his, qui eam elegerint, dummodò funeralium omnium, & quarumcunque obuentionum ſibi relictarum, iuxta Concilij Tridentini ſanctionem, quartam partem, ac omnium præterea, de quibus alioqui portio canonica detrahenda non erat, eccleſiæ parochæ ſoluant.

14 Ad hæc quoque ſciendum eſt, eos qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora in cœmiterijs Interdicti tempore, in caſibus non conceſſis à iure; vel excommunicatos publicè; aut nonminatim interdictos; vel vſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumunt, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubiacere, à qua nullatenus abſoluendi ſunt, niſi prius ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi, eis quibus fuerit ex præmiſſis iniuria irrogata, competenter ſatisfecerint: nullo priuilegio exemptionis, vel quouis alio ſub quacumque forma verborum conceſſo ſuffragante.

15 Et quamuis ſepulturæ aliquem dare, humanum, piumque ſit, non concedere impium; exiſtunt tamen aliquæ perſonæ, quibus pium videtur ſepulchrum defunctis denegare, & concedere impium; quas pro parte hic enumerabimus, ſi tamen præmiſerimus, nulli ſepulchrum defuncto eſſe denegandum, cui Eccleſia viuenti communicare aſpernata non ſit: At Chriſtianos omnes ex regula in

vniuersum ad sepulchrũ esse admittendos; quibus verò nõ communicamus viuis, nec defunctis cõmunicare debemus.

16 *Deneganda est igitur sepultura Ecclesiastica*, Iudæis, Paganis, Hæreticis. Itemque excommunicatis, interdictis, vsuras exercentibus, & ijs qui sibi met ipsi mortem consciuerunt, aut qui personis ecclesiasticis violentas manus iniecerunt. Insuper nec homicidæ, nec incendiarij, aut Ecclesiarum violatores, nec incestuosi, nec blasphemi, nec vllus qui pro manifestis condemnatus est excessibus, ecclesiasticæ sepulturæ tradi poterit.

17 Et si contigerit aliquando horum corpora in cœmiterio ecclesiastico tumulari, si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, & ab ecclesiastica sepultura procul iactari. Quod si discerni non poterunt, cum excõmunicatorũ ossibus corpora fideliũ extumulãda non erunt. Cum, licèt non obsit iustis sepultura nulla, vel vilis; celebris tamen, vel speciosa non prosit improbis.

18 Mulier prægnans si moriatur antequam puer in aliquo membro baptizari possit, non potest mater in Ecclesia sepeliri, nisi partus mortuus extrahatur ab eius vtero, & extra locum sacrum sepeliatur. Et si aliter fiat, non debet corpus exhumari, sed Ecclesia rebenedicetur. In cœmeterio verò talem mulierem simul cum puero in eius ventre existente potest sepeliri.

19 Mortui in duellis, carent etiam ecclesiastica sepultura: quod intellige, si moriantur in ipso conflictu; nam possunt deinde pœnitere. Inuentus verò suspensus, vel in puteo mortuus, non priuatur ecclesiastica sepultura, quia non constat qualiter id acciderit.

20 Qui decimas Ecclesiæ debitas à se iniustè possessas non restituunt; & qui noua vectigalia sine Principis consensu imponunt; & qui propter sua manifesta scelera, & facinora interfecti sunt, sepulturam ecclesiasticam habere non possunt. Nec qui Pœnitentiæ Sacramentum quotannis, & sacram Eucharistiam in quolibet festo Paschatis, cum possent non susceperint.

21 Ma-

21 Manifestus vsurarius sepultus in loco sacro debet exhumari; nisi de eo dederit cautionem successor, ad quē bona deuenerunt, de restituendo vsuras. Sed nec furibus, aut latronibus, raptoribusue cōceditur ecclesiastica sepultura: nisi ante mortem signa pœnitentiæ ostenderint. Is autem, quem casus improuisus opprimit, si nihil aliud obsistat, ecclesiastica sepultura non arcebitur: nisi tamen per annum confessionem contempsisset.

22 Illud demum scire, & obseruare debent Clerici omnes, quod *sacris Canonibus sub anathemate interdictum est, tàm secularibus, quàm religiosis, ne terram pro sepulchro vendere, aut pro hominibus sepeliendis quoquo modo munera exigere audeant*. Nihilque penitus de iure communi recipi potest pro exequijs, & sepultura. Cum enim sepultura sit res sacra, vtique recipere pretium ex re sacra simoniacum est. Nisi fortè sepelliendus Ecclesiæ, in qua sepeliri voluit, aliquid viuens tradi iusserit: aut post mortem ipsius parentes, proximi, vel hæres pro luminaribus, vel eleemosyna, aliquid vltro dare voluerint: quo casu sponte oblatum licitè recipi poterit. Peti verò, vel aliquid exigi, est omninò vetitum; ne aut venalis dicatur Ecclesia, aut Clerici hominum interitu gaudere videantur, si ex illorū cadaueribus studeant habere compendium. Nec obtentu cuiusquam consuetudinis, nisi pia, & laudabilis fuerit, reatum suum quis excusare poterit.

23 Similiter omnia Sacramenta purè administrari debent, absque omni spe lucri temporalis, quia si pactum aliquod præcederet mercedis, iam tale pactum esset simoniacum, & consequenter Sacerdotes cogendo fideles ad soluendum, ad restitutionem tenerentur. Itaque debent Prælati circa prædicta satis esse vigilantes, vt etiam euitētur scandala, quia communiter Clerici curam animarum habentes, segnes sunt in administrandis Sacramentis, peruigiles verò, & auari, imò & morosi, ac importuni, in exigendis oblationibus fidelium; sed maximè impij, & simoniaci, circa exactionem expensarum funeris.

LIBER QVARTVS

De Rebus Ecclesiasticis Temporalibus, & earum administratione.

TITVLVS I.

De Præbendis, & alijs Beneficijs.

1 HActenus de rebus Ecclesiasticis Spiritualibus, sacris, sanctis, religiosis, & Sacramentis ipsis, eorumque administratione disseruimus; nunc ad secundam partem propositæ diuisionis transeamus, id est, ad res Ecclesiasticas temporales, & earum administrationem, initium sumentes à Titulo de Præbendis; quod nomen apud Doctores multipliciter sumitur. *Primo, præbenda sumitur* pro patrimonio, & redditibus ipsius beneficij; & tunc dicitur accessio titulo Canoniæ, & quædam annexio rei spirituali, titulum, & Canoniam sequens. Et sic in præbenda duo considerantur; videlicet ius ipsum præbendæ, & fructus ex illa proueniens. Nam eo ipso, quod quis recipitur in Canonicum, debetur illi præbenda, tanquam prædium, & redditus canonicatus. *Secundo sumitur præbenda*, pro ipso titulo beneficij, qui titulus nō potest renunciari sine auctoritate superioris. Et in impetratione beneficij debet fieri mentio de tali præbenda, tanquam de vero titulo, & beneficio: prout etiam non potest permutari, nisi cum alia re spirituali. *Tertio accipitur*, pro certa portione de per se distincta, nihil spiritualitatis habente, veluti quodam prædio, & commoditate temporali, pro soluendis salarijs Aduocatorum, Procuratorum, Musicorum, & similium.

2 Dicitur autem Præbenda, à præbeo præbes, quia præbet redditus ad sustentationem beneficiato; qui licet

simul

simul plures habeat eiusmodi præbendas (nihil sibi spirituale adnexum babentes)cum aliqua dignitate, non dicitur incurrisse incompatibilitatem, quia possidet eas tanquam res temporales, beneficio superioris sibi collatas absque vlla obligatione. Et vocantur propriè eiusmodi prædia, seu præbendæ alicui Canonico ab Episcopo collatæ, *Gratiæ*, quia gratis dantur propter illius sustentationem, nullo onere imposito, nullumque titulum sibi annexum habentes.

3 *Præbenda itaque nihil est aliud*, quam Ecclesiasticum beneficium, vel certorum prouentuum in Ecclesia percipiendorum ius, ratione diuini officij, cui quis insistit. Cũ enim secundum legem diuinam, qui altari seruit, de altari debeat & viuere, dignum est, vt qui diuinis adscribuntur obsequijs, Ecclesiæ sustententur stipendijs: ne si eos presserit inopia, necessitate cogente à diuino famulatu recedant ad alia officia, vel negocia, vnde victum sperare possint; vel mundo simul ac Deo operam suam ęquè locare teneãtur. Quod quam difficile, aut verius impossibile sit, nemo tam obtusam habet ingenij aciem, cui sit incognitum.

4 Idcirco ex Ecclesiæ patrimonio singulis Clericis, pro eorum meritis, & dignitatibus, opes congruæ subministrantur; non vt tanquam proprias sibi eas vendicent, sed quibus se honestè alere, Ecclesiarum vsui, vbi id opus esse viderint succurrere, & pauperum, egentiumque hominum necessitatibus, si copiæ suppetant, subuenire possint. Hæc autem bona Præbendæ appellantur. Sicut ergo miles seculi habet stipendium à Domino temporali: sic miles Dei habere debet ab Ecclesia, vnde honestè viuat, & officio suo inuigilet.

5 Et altera quidem Prębenda est annexa Canonicatui, altera sine Canonicatu confertur. Tantæq; hæc res Romanis Pontificibus, sacrisque Canonibus semper curæ fuit, vt qui ministerijs Ecclesiæ se deuouerunt, in eisq; adsidui sunt, ne inopia, & egestate pressi iacerent, vel maximus

idiota

idiota cognoſcere pòteſt, ex tot Conſtitutionibus diuerſis temporibus, à diuerſis Pontificibus, & Concilijs editis. Qui hoc quoque in alia ſtatuerunt, ne poſſit aliquem Epiſcopus ad ſacros Ordines promouere, niſi cui de alimentis etiam prouiderit, vel Præbenda ei aſſignata, vel ex proprijs ſui ipſius facultatibus alimenta ſuggerēdo, quoad certum ei titulum contulerit. Niſi promotus in patrimonio locuplete eſſet, ex quo alimenta congrua habere poſſet. Quod onus etiam ipſius Epiſcopi conferentis ſucceſſorem ſequetur, nam & ſucceſſor ei prouidere tenetur, qui à ſuo anteceſſore fuerit ſine titulo promotus: quia ſine ſubſtantia rerum non poteſt Eccleſię deſeruiri.

6 Hinc etiam, qui ex poteſtate ſibi generaliter tradita, Clericos ad ſacros Ordines ſine titulo euexerit, eis etiam tenebitur prouidère: ac, qui certas perſonas mandauerit ad Ordines euehi, vel ipſis perſonis ius fecerit, vt ab alijs promoueri poſſint, eis pariter prouidere tenebitur, ſi ad ſacros nullo titulo fuerint euecti.

7 Et Sacroſancta Synodus Tridentina conſtituit, ne quis deinceps Clericus ſæcularis, quamuis alias ſit idoneus, moribus, ſcientia, & ętate, ad ſacros Ordines promoueatur, niſi prius legitimè conſtet, eum beneficium eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacifice poſſidere. Statuitque, vt id beneficium reſignare nō poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficij titulū ſit promotus. Nec ea reſignatio admittatur, niſi conſtito, quod aliunde viuere commodè poſſit: & aliter facta reſignatio nulla ſit. Patrimonium verò, vel penſionem obtinentes ordinari poſt hac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus iudicauerit aſſumendos, pro neceſſitate, vel commoditate eccleſiarum ſuarum; eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud, vel penſionem verè ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint. Atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint; donec beneficium eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti; vel aliunde habe-

habeant, vnde viuere possint.

8 Prohibetur etiam eadem ratione in Ecclesijs collegiatis plures Clericos institui, quàm quot se alere absque penuria de bonis ecclesiæ possint, solutis iuribus Episcopalibus, nec tamen modesta quadã hospitalitate neglecta.

9 Eadem ratione fit, vt congruum non iudicetur, carere præbenda eum, qui ad Canonicatum est receptus, quã primum se facultas obtulerit, & interim distributiones quotidianas percipiat: multaque alia ad hoc necessario instituta sunt, quæ aliunde sunt assumenda.

10 Conceduntur autem præbendæ, vel beneficia duobus modis, per collationem, & per institutionem. *Collatio est*, libera quædam præbendæ concessio. *Institutio est*, præbendalis iuris ad pręsentationem Patroni facta translatio, quæ licet & ipsa collatio possit appellari, commodius tamen est in præsenti singulas causas, singulis appellationibus distingui.

TITVLVS II.

De Collationibus Beneficiorum.

1 Collatio, vt iam supra annotauimus, est concessio, seu donatio quædam præbendæ: vel prouisio beneficij ecclesiastici alicui Clerico, à Prælato libere facta, vt in ministerijs Ecclesiæ alicuius, vel dignitate constitutus, possit se honestè, & digne sustentare. Estque dicta Collatio, à conferendo, seu ferendo in alium; cum is qui habet potestatem, confert præbendam & beneficium in alium.

2 Horum autem beneficiorum, *Quædam sint curata*, quæ nimirum habent populum, cui Sacramenta administrare tenentur. *Quædam verò simplicia*, quæ populo quidem carent, aliquod tamen onus habent adnexum; videlicet iurisdictionis supra Clerum, visitationis Ecclesiarũ, celebrationis Missarum, cantandi in choro, & similia. Secun-

cundum itaque diuersitatem qualitatum huiusmodi beneficiorum, diuersi quoque modi in eorum collationibus sunt tenendi.

3 In collatione curatorum, seruandum est omnino decretum Sacrosanctæ Synodi Trident. vt videlicet occurrente vacatione Parochialis, deputetur Vicarius, cui commendetur administratio Ecclesiæ, donec prouideatur de Rectore. Episcopus verò infra decem dies eligat aliquot personas, vel concursu proposito inuitet, qui se velint subdere examini Deputatorum in Synodo Diœcesana. Demum verò vnum ex approbatis ab Examinatoribus, quem ipse iudicauerit magis idoneum, prouideat de vacante Ecclesia. Et quidem neminem prouidere debet de Parochiali sine præuio huiusmodi examine, vel concursu, alioquin prouisio esset omnino nulla ex Constitutione Pij Papæ V. Et ne quidem Doctores, vel Licentiati in aliqua professione, institui debent ad Parochiales, sine præuio concursu, vel examine prædicto, vt declarauit Sacra Congreg. Concil. Trid. Idem quoque faciet, & in reseruatis beneficijs Sedi Apostolicæ, & cuicunque alteri, si curata erunt, & vacabunt.

4 In curato verò Iurispatronatus Laicorum, concursus huiusmodi non requiritur, sed tantùm debet examinari præsentatus super sufficientia. Nisi plures fuerint præsentati. In Parochialibus item Regularibus conferri solitis, concursus non requiritur, sed solùm examen, vt sacra Congregatio censuit.

5 Neque fit concursus, quando cura animarum spectat ad Collegium; vel annexa est alicui præbendæ. Tunc enim cura huiusmodi, non facit beneficium curatum illud cui annectitur, sed sequitur naturam ipsius. Nec inducit aliquam incompatibilitatem, nisi eam habeat ex sui natura principale.

6 In collatione verò simplicium, tam ad dignitates ecclesiasticas, quàm ad inferiores Canonicatus, aut Præbēdas simplices, requiritur primo ætas, quæ in dispositione

iuris

iuris communis remanet, & dicitur sufficere annorum quindecim. Deinde vt sit Clericus, ad minus primæ tonsuræ; laicus enim non est capax beneficij ecclesiastici. Denique, vt conferatur perpetuò, & non ad tempus; & sine conditione recompensæ, vel precij: sine pacto, & diminutione beneficij: & sine præiudicio tertij, vt nimirum sæcularia sæcularibus, & regularia regularibus conferantur.

7 Conferuntur autem Præbendæ, seu beneficia: Aut ab Ordinario: aut ex mandato Legati Sedis Apostolicæ: aut Pontificio rescripto.

8 Ordinarius collator is est, quem aut consuetudo approbauit; aut iuris designauit authoritas, vt Episcopus, & Capitulum.

9 Si Episcopus, & Capitulum habeant potestatem cōferendi coniunctim, tunc non potest vnus sine altero conferre; nisi in vno subsit impedimentum, vel mortis, vel suspensionis, vel maioris excommunicationis. Si verò ad Episcopum collatio spectet præbendarum, cum consilio sui Capituli, vel assensu; eo defuncto, vel suspenso, Capitulum se non potest intromittere; nisi Episcopus in petenda relaxatione suspensionis sit in mora.

10 Vbi verò collatio ad aliquem cum consilio Episcopi pertinet, si quid illi humanitus contigerit, non erit ob hoc vacantis beneficij collatio differenda. Idem iuris est Episcopo; adeò in remotis agente, vt breui non possit illius haberi præsentia: quia in petendi, vel expectandi mora, vacanti beneficio posset imminere periculum.

11 Eadem ratione, vbi ad solum Episcopum spectat collatio, si per sex menses conferre distulerit, ad Capitulum deuoluitur. Ex contrario, si ad solum Capitulum pertinuerit, & infra præscriptum terminum hoc non fecerit, Episcopus cum Religiosorum virorū consilio exequetur. Quod si omnes fortè neglexerint, Metropolitanus absque contradictione disponet.

12 Idē statuitur in Regularibus Prælatis: si enim quæuis beneficia ad illorum dispositionem spectantia, intra

constitutum tempus conferre negligant, locorum Diœcesani in non exemptis propria, in exemptis verò Apostolica authoritate eorundem negligentiam, iuxta præscriptũ in Viennensi Concilio modum supplebunt.

13 Tempus verò deuolutionis (sex mensium) currit, solùm non impeditis: & à die notitiæ, non à tempore vacationis erit computandum. Idque si in Ecclesia erat distinctio præbendarum, & certus Canonicorum numerus. Cęterũ, si neq; distinctæ Præbendæ, nec certus sit Canonicorũ numerus, Lateranen. Concilio, de beneficijs vltra sex menses vacantibus locus non erit. Idem etiam obtinet, si per Capitulum vacans dignitas legitimè fuerit sublata.

14 Licet autem ob negligentiam Episcopi conferendi potestas ad Capitulum deuoluatur, Sede tamen vacante in collationibus præbendarum Episcopi vice non fungitur: cum eo casu nullius superioris possit argui negligentia.

15 Is quoque, qui nimium cessando, conferendi ius amiserit, si post ius collationis deuolutum, nihilominus viris idoneis de beneficio prouidere voluerit, quanquam ob temporis lapsum, collatio mero iure non teneat, ex dispositione tamen, & benignitate tolerari poterit.

16 Legatus quoque de Latere Summi Pontificis missus beneficiorum conferendorum ius, potestatemque habet, vt etiam supra nos docuisse meminimus. Alius verò Legatus, qui à latere Apostolico non sit profectus, nisi hoc ei specialiter sit indultum, beneficia non confert. Sed tamen nec Cathedrales, nec Regulares, aut Collegiatas Ecclesias: nec Ecclesiarum Cathedralium dignitates, ad quas per electionem promoti, primum post Episcopum obtinent locum, veluti Archidiaconatum, suæ dispensationi, aut prouisioni reseruare possunt. Nec plures beneficiorum reseruationes eodem tempore, in eadem Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, vel ad eiusdem collationem pertinentium facient.

17 Reseruationes Legatorum expirant, finita legatione, nec executores dati amplius ea conferre poterunt.

Immo taciturnitas ipſa habiti beneficij inualidat promiſſionem Legati non ordinati; licèt id in aliorum Ordinariorum collationibus minimè requiratur. Et quamuis ante acceptionem beneficij quis nullum habeat in eo ius, tamen collator de eo, alteri, primo non conſentiente, prouidere non poteſt.

18 Planè notificata collatione, ad conſentiendum termino competenti præſtito, ſi primus non conſenſerit, eo lapſo, beneficium libere, cui viderint expedire, conferre poterunt, tàm Ordinarius, quàm Legatus. Antequam tamen ipſum alij contulerint, non obſtante lapſu termini, ſuum primus collationi poterit accomodare conſenſum.

19 In nonnullis tamen Eccleſijs conſuetudo viget huiuſmodi, vt antiquiores Canonici gradatim poſſint meliores, vbi vacant, præbendas optare. Quæ conſuetudo vbi vigeat, vſqueadeò ſeruanda eſt, vt quamuis ſummus Pontifex mandet alicui de præbenda proximo vacatura, nulli alij de iure debita prouideri, poſſint nihilominus ipſi antiquiores Canonici, cum præbendam vacare contigerit, eam pro more optare. Quo caſu ea, quæ optata non fuerit præbenda, ſi nulli ſit debita, erit illi qui Pontificium mandatum habet, conferenda. Sed ne eiuſcemodi conſuetudinis prætextu, prouiſiones authoritate Apoſtolica faciendæ, vlterius quam par ſit differantur, debent executores ſuper ipſis prouiſionibus à Pontifice Maximo deputati, per viginti ſolùm dies expectare, viſuri, an hi, quibus hoc ius competit, optare velint; quibus lapſis poterunt liberè in non optatis mandata Pontificia exequi. In præbendis verò apud Sedem Apoſtolicam vacantibus (cũ de ipſis per Romanum Pontificem ordinatur) prædictæ conſtitutioni locus non fiet.

20 Quapropter per reſcriptum Apoſtolicum mandatur fieri collatio, aut purè, aut adiecto die, aut ſub conditione. *Purè*, vt cum mandatur ſimpliciter, vt alicui de beneficio, aut præbenda prouideatur. *In diem facta*, vt cum præbenda confertur, quam quis intra menſem, aut

alio tempore à vacationis notitia duxerit acceptandam. Quo casu cum temporis appositio fauorem afferat impetranti, si decretum irritans fuerit appositum, collatio per Ordinarium alteri facta, intra præfixum tempus nullius obtinebit roboris firmitatem. Decreti enim appositio, reseruatio, executoris inhibitio, & lis mota, beneficium affectum reddunt. *Sub conditione* mandatur fieri collatio, vt cum alicui, si per executoris inquisitionẽ repertus fuerit vitæ laudabilis: vel si consensus accesserit Capituli; vel alia adiecta conditione, de beneficio prouideri committitur. Et eo casu etiam, apposito irritante decreto, non impletis adhuc conditionibus, vacans beneficium per Ordinarium, aut per executorem, ad prouidendum de tali beneficio datum, liberè conferri poterit.

21 Sed multum interest, motune proprio, an ad alterius petitionem de beneficio prouideri mandetur. Si enim proprio motu, longe pinguius erit mandatum: nam etiam de beneficijs, quæ impetrans obtinet, nulla habita mentione, erit huiusmodi prouisio valida, qualiacumque fuerint beneficia, & in numero quantocunque, quæ habebat impetrans, cum sibi prouisio facta fuerit. Quod si ad petitionem huiusmodi gratia facta sit, quantumcunque modicum beneficium scienter taceatur, veluti surreptitia non valebit.

22 Collatio facta motu proprio, pluribus beneficijs in eadem Ecclesia, simul vacantibus, intelligitur facta de pinguiori. Si beneficia sint æqualia, ad eum spectet electio, cui gratia est concessa. Collatio verò facta ad petitionem alterius, ad minus beneficium restringitur: si sint æqualia, eligit collator. Motu autem proprio, tunc solum gratia fieri censetur, cum hoc expresse cautum fuerit.

23 Sed sine motu proprio, siue ad alterius petitionẽ, per rescriptum Apostolicum fiat prouisio, cęteris longè præstat. Nam cum ex Lateranensi Concilio, ministeria, & beneficia Ecclesię tribui, aut promitti non debeant, antequam vacent, Romanus Pontifex etiam in ipsius ius po-

test tribuere vacaturis. Est ergo inter Ordinarium, Legatum, ac Summum Pontificem, circa collationis potestatem, quasi per gradus ascensus quidam. Nam ad Episcopum omnium quidem basilicarum, quæ in eius territorio positæ sunt, collatio regulariter pertinet, vacaturã tamen præbendam suæ dispositioni reseruare non potest: & longè minus in eadem alicui ius tribuere. Legatus autem non modo vacantes intra suæ legationis terminos Ecclesias conferre, verùm etiam vacaturas, iuxta ea quæ supra diximus reseruare poterit; licet eidem in vacaturis alicui ius tribuendi nulla sit facultas. At Apostolicus, & vbique vacantes donare, & vacantes suæ prouisioni reseruare, & in vacaturis ius tribuere potest, cum in ipso plenitudo resideat potestatis.

24 Quo tamen casu Summus Pontifex de vacatura præbenda, alicui prouideri mandat, si is, in cuius gratiam mandatum obtentum est, præbendam quando vacat negligenter omittit, non poterit postmodum prætextu dicti mandati, nisi antea in Canonicatum fuerit receptus, aliam in ipsa Ecclesia petere. Poterit tamen, habens expectatiuam acceptare beneficium vacaturum primum; & si rationabilis causa subsit, secundum, & vlterius: certum tamen & expressum priusquam vacet, acceptare non poterit, ne ex benignitate gratiarum Sedis Apostolicæ captandæ alienæ mortis occasio tribuatur. Quod si de certo acceptatio secuta fuerit, nullam obtinebit roboris firmitatem, vt Bonifacianæ Constitutionis tenore latius continetur.

25 Inde etiam licet beneficiatæ personæ de alio beneficio, nisi primo illud quod obtinet omninò dimittat, prouideri non possit, (nisi aut Cardinales sint, aut Regũ filij) per tale tamen rescriptum, maximè circa literatas personas, super hac pluralitate dispensari poterit.

26 Item si à Sede Apostolica, aut à Legato, & ab Ordinario, eodem die, idem beneficium conferatur; & quæ fuerit primo facta collatio non appareat, nemine possidente, is erit ceteris præferendus, cuius conferens amplio-

pliore gaudet prærogatiua.

27 Hac ratione & ij, qui in aliqua Ecclesia in Canonicos sunt recepti, debent in præbendarum assecutione cęteris, siue Legatorum, siue aliorum quorumcunque auctoritate antea fuerint admissi, anteferri.

28 Auctoritate autem Apostolica receptus, & is intelligitur, qui Legati, vel alterius mandato, cui specialiter in ea re auctoritas Apostolica concessa fuerit, recipitur. Sed etsi mandatum Legati ratum habeat Romanus Pontifex, atque id auctoritate sua muniat, ex eo receptus non Legati, sed Apostolica intelligitur auctoritate receptus: atque ideò est in receptione præbendæ omnibus post eum receptis in Ecclesia dicta præferendus.

29 Aliud iuris est, si ijs, ad quos alias pertinet Canonicorum receptio, facultas concedatur ab Apostolico, vt aliquem recipiant in Canonicum eiusdem Ecclesiæ, ordinationibus fortè certum numerum Canonicorum præfigentibus non obstantibus: hoc enim casu non Apostolica, sed recipientium censetur auctoritate receptus: nisi quod eum auctoritate Apostolica recipiant, in literis caueatur expresse. Quod si ad eos alias talis receptio non pertinebat, Apostolica dicetur auctoritate receptus, Alias verò, si literæ impetratæ certi numeri Canonicorum, nullam fecerint mentionem, quod illarum occasione factum fuerit, nullam obtinebit firmitatem.

30 Illud etiam omittendum non est, non solere Apostolicum eundem collatorem pluribus onerare prouisionibus, nisi id velle se suis litteris expresse fuerit complexus. Et propterea Apostolici mandati fines diligenter sunt custodiendi: nec extendantur nisi ad casus expressos, etiam de consensu, & in præiudicium prouisi. Vnde cum iniũgitur, vt alicui de præbenda certi valoris prouideatur, in præbenda minoris valoris, etiam impetrante volente, mãdatum impleri non poterit.

31 Idem obseruari oportet, si cui de beneficio, quod ad alicuius collationem spectat, prouideri mandatur; hoc enim

enim casu de eo quod ad eiusdem præsentationem, vel institutionem pertinet, prouideri minime poterit; nec etiam è conuerso.

32 Eodem spectat, si quis ab Apostolica Sede mandatum suscipiat, vt ab aliqua beneficij resignatione recepta, idem beneficium alteri conferat. Si enim is qui resignaturus erat, rebus eximatur humanis, mandato locus non erit, cum non per resignationem vacauerit, sed per mortẽ.

33 Idem obtinet, si literæ Apostolicæ super conferendo beneficio proximè vacaturo fuerint impetratæ. Nam ad aliud quod post illarum impetrationem fuerit creatũ, non extenditur mandatum.

34 Et si quis literas super obtinendis beneficijs vsque ad certam summam impetrauerit, eidem non in pensione, sed in beneficijs Ecclesiasticis erit prouidendum: nisi de pensione in litteris mentio habeatur.

35 Eodem etiam spectat, quod si de conferendo alicui beneficio ad Episcopi collationem spectante rescibatur, illud ei conferri non poterit, cuius collatio ex negligentia ipsius Episcopi ad eiusdem Capitulum deuoluta fuit: quãquam ex contrario de eo, cuius ad Episcopum ex Capituli, vel alterius cuiuscumq. siue ad Sedẽ Apostolicam ex ipsius Episcopi, vel aliorum in hoc eidem succedentium negligẽtia, collatio fuerit deuoluta, hoc casu prouideri poterit.

36 Interdum tamen, licet mandatum generale sit, ex persona impetrantis recipit restrictionẽ. Vt si cui præbẽda proximè vacatura simpliciter prouideri mãdatur: nã si talis nõdum in ea ætate existit, vt ad sacerdotiũ promoueri possit, sacerdotalis sibi præbenda conferri non poterit.

37 Ex loci quoque expressione rescripti sumitur declaratio: & ideo quanquam sub nomine Ecclesiarum ciuitatis, etiam Ecclesia Cathedralis comprehendatur; cum tamen alicui de beneficio mandatur in aliqua Ecclesiarum ciuitatis, vel Diœcesis prouideri, ad Cathedralem Ecclesiam mandatum huiusmodi non extenditur. Secus est, si in aliqua Ecclesiarum prouinciæ prouideri mandatur; tũc enim,

enim, & Metropolitana, & cæteræ Cathedrales Ecclesiæ, tali mandato includuntur.

38 Ex ordine quoque scripturæ rescripti interpretatio sumitur: veluti, cum Ioanni de beneficio ad collationem suam, vel Petro pertinente, vt alicui prouideat mandatur. Nam si plura simul beneficia vacare contigerit, ad vtriusque collationem separatim spectantia, tunc ordo scripturæ seruandus est; & de illo beneficio prouidendum erit, quod ad Ioannem noscitur pertinere.

39 Si verò de beneficio ad aliquorum collationem, vel præsentationem spectante, non adiecto communiter, vel diuisim, prouisio iniungitur faciēda in beneficio, quod ad collationem, vel præsentationem alterius tantùm pertinet, adimpleri non poterit.

40 Item insertio causæ declarat rescriptum, sicut accidit, cùm Clerico nullum beneficium obtinenti, ob paupertatem, per Episcopum de beneficio prouideri mandatur. Nam si ante quam ei prouisum sit, beneficium fuerit assecutus, cessante causa mandati, prouidere sibi Episcopus in posterum non tenetur.

51 Nam & is, cui conceditur, vt idoneo possit in sua, vel aliena Ecclesia prouidere beneficium, aliud obtinenti prouidere non potest: nisi vel primo ille beneficium quod obtinet omninò dimittat, vel in concessione huiusmodi sit expressum, quod etiam beneficiatæ valeat prouidere personæ: quo casu vnicum dumtaxat beneficium, atque illud non curatum obtinenti prouideri poterit. Sed si cōcessum fuerit, vt prouidere illi valeat, qui & alia beneficia noscitur obtinere, huiusmodi pluralitas debet solùm ad duo beneficia non curata restringi.

42 Ex natura quoque, & beneficij qualitate Apostolicum rescriptum restrictionem recipit: nam si de quibuscumque beneficijs prouideri mandatum fuerit, de animarum cura mentione non habita, de ijs prouidendum non erit, quibus huiusmodi cura noscitur imminere.

43 Illi quoque, pro quibus scribitur, vt de personatibus,

tibus, & dignitatibus ad collationem, prouisionem, præsentationem, vel dispositionem pertinentibus quorumcunque prouideatur, de ijs prouideri non poterit, ad quos per electionem præficiendi assumuntur.

44 Illud quoque omittendum non est, quod sicut nulla facta personarum expressione sit gratiosè concessa facultas, vt auctoritate Apostolica, aliquibus personis idoneis, in certa Ecclesia prouidere possit; vel beneficia, quorum collatio est ad Sedem Apostolicam legitimè deuoluta, conferre: huiusmodi concessio, etiam re integra, per obitum concedentis non expirat. Secus si super prouisione certæ personæ facienda, eidem sit data potestas non ob suam, sed eius cui prouidetur gratiam, vel fauorem. Illa enim expirat omninò, si concedens re integra moriatur.

45 Sed & illud interest, vtrum cui ab Apostolica Sede prouisio beneficij in certa Ecclesia, Diœcesi, vel Prouincia, certæ personæ facienda committatur, an de certa Ecclesia, incertæ tamen personæ. Primo enim casu licitè quis vices suas alteri committere poterit. Secundo verò cum in eligenda persona mandatarij electa videatur industria, prouisionem sibi commissam alteri demandare non poterit; nisi forma commissionis id habeat, vt per se, vel per alium hoc expedire valeat.

46 Postremo illud notandum est, tam Turonensi Cõcilio cautum esse, ne præbendæ aliquam sectionem patiantur, quàm ex Lateranensi, ne quis conferens beneficium ecclesiasticum partem prouentuum suis vsibus retinere audeat, cùm sine vlla debeat diminutione conferri.

47 Sciendum autem est, quod sancta Synodus Tridentina sub Pio IV. decreuit, ne mandata de prouidendo & gratiæ, quæ expectatiuæ dicuntur, vlli amplius, etiam Collegijs, Vniuersitatibus, Senatibus, & alijs singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam, vel alio quouis colore, concedantur. Itemque decreuit, vt nec reseruationes mentales, nec aliæ quæcumque gratiæ ad vacatura; nec indulta ad alienas Ecclesias,

vel Monasteria alicui, etiam S. R. E. Cardinalibus concedantur, & concessa abrogata censeantur.

48 Si verò ipsum Pontificem Romanum mortuum esse contingat, atque ita Sedem Apostolicam vacare, tunc cum beneficia Curię Romanæ ociosa fiunt: aut si mortuus Pontifex sit, antequam beneficia eiuscemodi conferret, quæ se viuente in curia vacabant, eaque beneficia ex his sint, quibus animarum cura est annexa, Ordinarius ad cuius donationẽ alioqui pertinuissent, illa cõferre poterit.

49 Item, si Summus Pontifex in mensem distulerit beneficiorum in curia vacantium ad se pertinentẽ collationem, eas partes Ordinarius excipiet, conferẽdo per seipsũ. Vel eo in remotis agente, per suum Vicarium generalem in Diœcesi existentem, cui id canonicè sit mandatum, vt ex Gregorij X. Constitutione in Concilio Generali Lugdunensi edita apparet. Quæ tamen Gregorij Constitutio, ex Constitutione Bonifacij Octaui, tunc creditur abrogata, cum ille sanxit, vt dignitates, personatus, præbendæ, aliaque beneficia Ecclesiastica cum cura, vel sine cura, quæ apud Sedem Apostolicam vacatura sint, Sedi Apolicæ reseruentur.

50 In omnibus siquidem beneficijs maxima, & in omnibus regulis, ac præceptis soluta est semper Romani Põtificis potestas, quæ nullo pacto minui vnquam potest, qui omni casu quæuis beneficia elargiri possit, & ius in ipsis tribuere vacaturis; manumque apponere, & sibi eorum conferendorum potestatem seruare.

51 Sed præcipuè illa beneficia proprio quodam iure ad ipsum ex prisca consuetudine magis spectare videntur, quæ apud Sedem Apostolicam vacauerint. Ea siquidem præter ipsum Summum Pontificem nemo cõferre potest, quacumque is sit authoritate munitus, seu iure ordinariæ potestatis, ad ipsum electio eorum, collatio, seu prouisio pertineat: seu literas super aliquorum prouisione generales, vel etiam speciales sub quacumque forma verborum acceperit. Nisi eis sit super eisdem conferendis in

Curia Romana vacātibus specialis, & expressa ab ipso Pōtifice Maximo authoritas attributa. Idque etiam in beneficijs procedit, quæ Legati, aut Nuntij Sedis Apostolicæ obtinent. Et in beneficijs quorumcunque ad Romanam Curiam accedentium, vel ab ea recedentium, si in locis à curia non remotioribus, duorum dierum itinere eos mori contigerit, non minus, quàm si in loco vbi eadem curia residet, morerentur. Item in omnibus curialibus, qui curiam sequentes, dum ea se transfert, in itinerere moriuntur, vel in loco, vnde curia discedit, quantumcunque locus, vbi decedunt, ab ipsa curia sit remotus.

52 Si verò aliquis curialis, etiam Romana Ecclesia vacante, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quauis causa, ad locum curiæ vicinum secedens, ibi decedat, modo ibi (etiamsi erat ad curiam reuersus) domicilium, vel domum propriam non haberet, beneficium in curia vacare nihilominus dicetur.

53 Sed si quis permutationis causa, beneficium suum in manibus Summi Pontificis abdicarit, quæ permutatio effectum sortita non sit, non ideò dicetur tale beneficium in curia vacasse, vbi is qui renunciat extra curiam defunctus sit.

54 At Ioannes XXII. & Benedictus XII plura personarum genera enumerarunt, quorum beneficia vacantia decreuerunt esse ipsis Summis Pontificibus, vel Sedi Apostolicæ reseruata. Ex quibus quidem personis sunt, Officiales omnes Summi Pontificis, puta: Vicecancellarius, Notarij, Camerarius, Auditor contradictarum, Corrector, Scriptor litterarum, Pœnitentiarij, Abbreuiator, Capellani, Commensales, ac quicumque alij, qui ratione officij, vel ex causa legitima in curia morantur; vbi à Summo Pontifice negocia ipsius, vel Sedis Apostolicæ curaturi, de curia emissi sunt, vel Nuncij, aut Legati aliquò sunt destinati, vbiuis locorum, ante suum ad Curiam reditum, legatione, aut negociorum sibi creditorum curatione durante eos decedere contigerit.

55 Ea quoque beneficia ſeruata ſunt, quæ aliquis eo tempore obtinebat, quo ad Patriarchalem, Archiepiſcopalem, ſeu Epiſcopalem Eccleſiam, necnon, & ad Monaſterij regimen aſſumptus eſt; & quæ propter aliorum beneficiorum aſſecutionem cum pacifica poſſeſſione vacarint. Quas reſeruationes ipſas in hunc vſque diem etiam facere conſueuerunt, qui per tempora ſuccedunt Summi Pontifices, idque ſuis Cancellariæ Regulis nominatim cauere, vt iam fruſtra hodie diſceptetur, an memoratæ prædictorum Summorum Pontificum reſeruationes hodie ſibi locum vendicent.

56 Multa quoque alia beneficia ſoliti ſunt Summi Pōtifices, eiſdem Regulis Cancellariæ ſibi reſeruare, veluti ea, quæ per eiuſdem Ioannis XXII. Conſtitutionem, incipientem *Execrabilis*, vacant. Et omnes Cathedrales Eccleſias, & ſuperiores, ac certi generis perſonarum, cæterorumque titulorum, ac certis quibuſdam caſibus, & modis vacantia beneficia, vbiuis locorum illæ perſonæ exiſtant, & vbicumque eorum poſſeſſores decedant: aliaſq; etiam reſeruationes, vel generaliter, vel ſpecialiter, prout eis viſum fuerit (Poloniæ Regno excepto) quotidie faciunt. Qui tamen beneficia reſeruandi mos priſcis Pontificibus Romanis, vt Gregorio IX qui Decretalium Epiſtolarum quinque antiquiores libros compilauit, alijſque ipſo Gregorio ſuperioribus Pontificibus non fuit.

57 Has verò vbicumque faciunt reſeruationes, cum alijs eorundem beneficiorum, quæ ſunt reſeruata, conferendorum poteſtatem adimant, & in contrarium acta irrita omnia decernant; illa, quæ ſibi ſic reſeruarint beneficia, adeò ſunt affecta, vt eorum collatio per alium exinde quemcunque facta, nullius prorſus momenti habeatur. Quinimmò, etſi ad electionem Cathedralis Eccleſiæ iam proceſſum eſſet, prius quam per Summum Pontificem eſſet reſeruata, omnia poſt reſeruationem ſequuta effectu carerent; licèt reſeruatio, inhibitio, & decretum, electionem, aliaque præcedentia non afficiant.

58 Sed, etsi non reseruarit quidem Summus Pontifex beneficium, sed illi manum tamen apposuerit, puta, dum iubet his, qui eligendi ius habent, ne ad electionem alicuius procedant: vel dum beneficium vacans alicui commendat; vel certæ personæ præcipit, vt vacanti Ecclesiæ prouideat, vel cui beneficium adimit; his quidem, ac similibus modis, id beneficium, cum Summus Pontifex sic manum apposuerit, solius Summi Pontificis prouisionem expectabit, nec vllus præter ipsum eius conferendi potestatem habebit.

59 Frequenter autem Summus Pontifex potestatem suam in alienis Dioecesibus exercet, earum Ordinarijs ita manus deuinciendo, vt non possint in conferendis beneficijs i s suum liberè exercere; dum vel ipse beneficia in eorum ditione posita elargitur; vel ipsis iniungit, vt soli, vel cum alio, qui executoris partibus fungatur, beneficia aliquibus personis conferant: vel etiam soli executori mandat, vt in aliena Dioecesi aliquibus prouideat. In quo sciẽdum, quod vbi est Ordinario adiunctus executor, ex sola rescripti Apostolici Ordinario, vel Capitulo facta redditione, absque alia etiam executoris insinuatione, inhibitione, vel reseruatione, beneficium id, de quo scriptum fuerit, adeò censetur affectum, vt nullius roboris habeatur ab Ordinario alij de eo facta largitio.

60 Sciendum autem est, cum ipsemet Summus Pontifex beneficia confert, longè maioris esse huiusmodi collationem, quam collationem ab alijs factam. Hinc si à Sede Apostolica, vel Legato ipsius, vni, & ab Ordinario alteri, eodem die beneficium conferatur, is cui ipsa Sedes Apostolica, vel eius Legatus contulerit, propter conferentis ampliorem prærogatiuam, erit alteri præferendus: nisi appareat, ab Ordinario prius factam esse collationem; vel nisi aliter possideat. Quandoque enim contingit, vt in beneficiorum erectione, seu fundatione, aut alijs constitutionibus, qualitates aliquæ requirantur, seu vt certa illis onera iniungantur, quibus conferendis, vel quacumque

alia

alia dispositione derogari non debet, vt eadem sacrosancta Synodus Trid. sub Pio IV. constituit. Idemque in præbendis Theologalibus, Magistralibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, & Subdiaconalibus, quandocunque ita constitutæ fuerint, obseruandum decreuit, vt earum scilicet qualitatibus, vel ordinibus, nihil in illa prouisione detrahatur, & aliter facta prouisio, subreptitia censeatur.

61 Hoc quoque postremo non lateat, in causis quorumcunque beneficiorum procedi simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, dum conferuntur à Summo Pontifice, vel eius Legato.

TITVLVS III.

De Vacatione Beneficiorum.

1 QVemadmodum Leges Pontificiæ curant, ne quis Clericus in egestate iaceat, ita etiam contra prospiciunt, ne quis beneficiorum ambitione, alterius morti inhiet: quapropter vetat Concil. Lateranense Ecclesiastica beneficia, vel ministeria alicui conferri, vel promitti, priusquam vacent; adeò quidem, vt omninò vacare ea oporteat, sic, vt ne quidem de facto sint ab aliquo occupata.

2 Et ne vllo vafro commento Lateranensis Cōcilij decretum deludi possit, quamuis olim Prælatus rectè promitteret se prouisurum cum primùm potuisset, Bonifacio tamen Octauo irritas, inanesque decreuit quascumque promissiones, sub quauis verborū forma factas, quibus directè, vel obliquè aperiri possit via ad beneficia vacatura.

3 Qui verò in viui Sacerdotis præbendam suam non abiurantis locum sciens substitui se patitur, præbenda spoliatur, & ab ecclesiastica communione pellitur eo ipso, quod se passus est viuo Sacerdoti successorem dari.

4 Vacare autem beneficium potest, morte primò possiden-

sidentis; deinde renunciatione eius, qui illud erat assecutus: siue simplex sit renunciatio, siue permutationis causa facta. Sic autem differt vacatio contingens per mortem, ab ea, quæ ex resignationis causa fit, vt mandatum alicui factum de conferendo beneficio vacante per resignationẽ cesset, si ille, qui beneficium habebat, antequam resignet rebus eximatur humanis, nisi de mandãtis intẽtione aliud expressè appareat. Ac, si duo super eodem beneficio literas impetrent, priore eorum per obitum, altero per cessionem vacare beneficium asserentibus, posterior, si beneficium cessione vacauerit, erit priori præferendus.

5 Item vacat beneficium, si pœnæ causa ob delictum quis fuerit priuatus beneficio. Similiter, si quis ad Episcopatum electus fuerit, & confirmationem electionis acceperit, ecclesiasticorumque bonorum administrationem habuerit, decurso tempore consecrandis Episcopis à Canonibus sacris præfinito: Is ad quem spectat beneficia, quæ ille habebat disponere liberè poterit. Quia & generaliter, vbicumque secundum beneficium quis assequitur, quod vel curam habeat, vel dignitatem annexam, prius beneficium ipso iure vacat, cui vel dignitas, vel cura animarum inhærebat, vt etiam alio loco infra opportunius dicetur.

6 Episcopó quoque ad aliam Sedem propria authoritate se transferente, eiusque possessionem adepto, prior eius sedes, ac etiam posterior, quam per superbiam concupiuit, vacua fiet.

7 Vacuum quoque fiet beneficium Parochum, differente eo, cui fuerat concessum, vltra annum Sacerdotalis Ordinis consociationem assequi.

8 Item vacat beneficium Clerici, qui matrimonium contraxit. Nec deerunt fortasse, & alii casus vacua beneficia facientes, qui studiosis lectoribus sacros Canones diligenter reuoluentibus facilè occurrent.

9 Illud demum sciendum, debere Episcopum, aut alium, qui beneficia conferat, modum exprimere, per quẽ bene-

beneficium à se collatum vacet; nec satisfore, si dixerit vacantem se Ecclesiam conferre.

TITVLVS IV.

De prohibita Beneficiorum multiplicitate.

1 QVia contra naturalem rationem est, vt quis curam specialem habeat gregis, quem oculis suis videre nequit, & quem pascere non potest; ideo curatorum beneficiorum pluralitas, cum alias semper, tùm maximè Sacrosancto Concilio Tridentino prohibita est. Sed et simplicium beneficiorum possessio execrabilis est, quia habens plura beneficia, non facit plura sacra, nec plura recitat officia, sed vnum: & tamen præcipuè ob cultum diuinum sunt instituta beneficia, qui ne minuatur, prohibita est pluralitas.

2 Deinde, ne destitueretur Ecclesia suis operarijs, cum vnus non possit pluribus in locis residere, nec plurium ministerium obire. Nec enim rationabile est per seipsum suscipere reditus, & fructus beneficij, & postea velle seruire per substitutum, cum beneficiarij persona ad seruiendum altari electa sit, non autem substituti.

3 Item prohibita est pluralitas beneficiorum, ad vitandum varia incōmoda, præcipuè autem auaritiam, & ambitionem, qua Sacerdotes infecti, vel nimium efferuntur, amplis luxuriantes diuitijs, dum ipsis redundat, quod alijs deest: vel postpositis diuinis, soli lucro, & accumulandæ pecuniæ inhiant. Vndè facilè nascitur inæqualitas iustitiæ distributiuæ, dum vnus varijs abundat beneficijs, & alij longè digniores esuriunt; cum tamen singulis debeant Prelati prouidere, secundum merita cuiusque. Maximè autem ne fideles, præcipuè autem fundatores, sua frustrentur intentione, dum non fiunt illa ministeria, quorum intuitu plura fundata sunt beneficia.

4 Proinde, dupliciter beneficia sunt incompatibilia, nem-

nempè ſimpliciter, & ſub conditione. *Simpliciter incompatibilia ſunt*, quæ inuicem ſe non compatiuntur, vt duæ dignitates, vel vna dignitas cum beneficio curato: vel alio etiam ſimplici, quod requirit reſidentiam. Et ſic duo Epiſcopatus ſunt ad inuicem incompatibiles; & Epiſcopatus cum beneficio alio curato, vel reſidentiam requirente. Duæque Parochiæ curam habentes, ſunt adinuicem incompatibiles ſimpliciter, quia quælibet earum expoſcit reſidentiam, & animarum curam. Item beneficium curatum eſt incompatibile cum dignitate, vel perſonatu, vel beneficio perpetuo, vel adminiſtratione perpetua; vel duæ dignitates, tàm ſæculares, quàm regulares, vt duæ Abbatiæ, duæ Præpoſituræ, Decanatus, Archidiaconatus, & alia officia, ac adminiſtrationes perpetuæ. *Ex conditione beneficia incompatibilia ſunt*, quæ ſunt in eadem Eccleſia, & ſub eodem tecto, vt duo canonicatus, duæ dignitates, duæ capellaniæ inſtitutæ ad eundem effectum, & ad eadem munera. Secus ſi ad diuerſa munera, & effectus.

5 Item, *Alia beneficia dicuntur vniformia*, & ſunt per ſe incompatibilia, vacantque ipſo iure dum aliud aſſequitur, vt duo curata, duæ dignitates, duo officia. *Alia verò difformia*. quæ ſunt diuerſarum ſpecierum, vt curatum, & ſimplex beneficium. Quæ ſingula diſpenſat Summus Pontifex ad libtum, Epiſcopus verò diſpenſat ſolùm in duo beneficia, ſi primum non eſſet ſufficiens; vel ſi ſub eodem tecto quis poſſidet duo difformia, vt Canonicatum, & Capellaniam, quæ non requirit reſidentiam.

6 Epiſcopo igitur hæc cura incumbit, ne patiatur ſuos Clericos plures Eccleſias eodem tempore habere: ſed ſubditos ſuos, qui plures dignitates habent, vel Eccleſias quibus animarum cura imminet, compellet, vt infra tempus eius arbitrio moderandum, diſpenſationes ſuas, quibus id conſecuti ſunt demonſtrent. Quibus non exhibitis, ea beneficia poterunt per ipſoſmet Ordinarios alijs conferri, vt Gregorius X. in generali Concilio Lugdunenſi ſanxit. Quam Gregorij conſtitutionem Sancta Synodus Triden-

tina innouando constituit, vt Ordinarij locorum, quoscumque plura curata, aut alias incompatibilia beneficia obtinentes, dispensationes suas exhibere districtè compellant. Addiditque præterea, vt ipsi Ordinarij etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuū assignationem omninò prouideant, vt animarum cura nullatenus negligatur, & beneficia ipsa debitis obsequijs minimè defraudentur: appellationibus, priuilegijs, & exemptionibus quibuscumque etiam cum Iudicum specialium deputatione, & illorum inhibitionibus in præmissis nemini suffragantibus.

7 At si quis contra legem præcepta, eodem tempore plura beneficia tenere non dubitarit, hodie aliam, quam olim vindictā sentiet. Vt enim Alexandri III. Ioan. XXII. Innocentij III. & Concilij Lateranen. constitutiones omittam, Synodus Tridentina, sub Paulo III. constituit, vt nemo quacumque etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias in titulum, seu commendam, aut alio quouis nomine contra sacrorum Canonum instituta recipere, & simul retinere præsumat.

8 Item sanxit, vt quicumque de cętero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia ecclesiastica, siue per viam vnionis ad vitam, seu commendæ propriæ, aut alio quocumque nomine, & titulo contra formam sacrorum Canonum, & præsertim contra formam prædictæ constitutionis Innocentianæ recipere, ac simul retinere præsumpserit, beneficijs ipsis iuxta ipsius Constitutionis dispositionem ipso iure, etiam ipsiusmet Constitutionis Tridentinæ vigore priuatus existat.

9 Eadem quoque Synodus sub Pio IV. constituit, vt quibuscumque personis, quocumque titulo, etiamsi Cardinalatus honore fulgeant, in posterum vnum tantum beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam eius, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens,

ciens, dummodò vtrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri: hæcque non modò ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia beneficia, tam secularia, quàm regularia, quæcumque etiam commendata pertineant, cuiuscumque tituli, ac qualitatis existant.

10 In Religiosis verò Clericis, iam tū à Bonifacio VIII. statutum fuerat, vt si habens Prioratum, vel Ecclesiam cum cura animarum, aliud quoque simile beneficium accepisset, potestate sibi à Summo Pontifice non facta, primo ipso iure vacare censeretur: quod si confestim à se non abdicarit, tanquam ambitiosus ab vtroque arceretur, & amplius deinceps eligi non posset.

11 Est tamen ad supradicta sciendum, quod nisi posterioris beneficij fructus percipere quis possit, primum, quod habebat beneficium, non censebitur vacare. Puta, si illius posterioris beneficij fructus, sicut etiam aliorum beneficiorum vacantium, ad certum tempus alicui sint concessi.

12 Monialis quoque eadem duobus simul Monasterijs præfici non debet, quod & egredi extra septa Monasterij non debeat, nisi cum licentia Episcopi, idque ad breue tempus, & in graui necessitate; & quod minus apta sit regimini quouis masculo, licet insigni prudentia prædita.

13 Verùm quæ hactenus disseruimus de beneficiorum exaggeratione à iure interdicta, secundum regulas communes procedunt; sed earum regularum obseruationem relaxat interdum (vbi Ecclesiæ vtilitatem hoc postulare videt) Summus Pontifex, & nonnunquam etiam Episcopus: vel ex personæ meritis, veluti dignitate, integritate, scientia, plurimo rerum vsu; vel etiam nobilitate, indulgendo vt plura beneficia alicui liceat eodem tēpore habere. Et si quidem vtrumque beneficium animarum curam gerat, vnius erit hæc authoritas indulgendi Summi Pontificis: sin vel vtrumque, vel eorum alterum simplex sit, Episcopus quoque gratiam facere poterit, nisi vtrumque in eadem Ecclesia existat. Immò, etsi plura

 sint,

ſint, quam duo, ſed vni tantùm ex eis cura animarum adnexa ſit, poterit nihilominus Epiſcopus indulgere, ſi Eccleſiæ vtilitas id ſuadeat, & cauſa iuſta ſubſit; quod nonnulli extendere volebant: Et ſi duo curata eſſent, ſi publicæ vtilitatis magis, quam perſonæ meritis Epiſcopus duceretur.

14 Cæterùm, ſicut quibus ſupra dictum eſt modis, ſacri Canones inuigilant, ne vni & eidem perſonæ plura beneficia accumulentur, ita è conuerſo prohibent, ad vnũ beneficium plures perſonas admitti; ne vel beneficium hoc modo ſcindatur, vel eorum vnus aut alter expectet, dum à ſocio vacet, itaque eius mortem expectet. Sicut neque duo eiuſdem Canonicatus, vel præbendæ ſocij eſſe poſſunt.

15 Si tamen præbenda ita opulenta ſit, vt duobus victum commode præbere poſſit, in duas ſcindi eam licebit; nec Turonenſe Concilium obſiſtet, quæ ſi partes ſectæ non ſufficerent, ambę eſſent per ſectorem ex præbẽdis alijs vacantibus augendæ, earum fructus præbendas ſectas habentibus pro parte tribuendis, dum tot fructus ex eis ſuperſint, quot Canonico ſufficiant. Alia enim præbenda attenuari non debet, vt alia locupletetur, niſi neceſſitate aliqua impellente. Si verò aliqua præbenda Cathedralis Eccleſiæ ita inops ſit, vt Clerico ad victum opportunum non ſufficiat, Capella ei annecti poterit, dum ne illius presbyter et ipſe congrua portione defraudetur, ſi Capella vtrique ſatis eſſe poteſt.

16 Animaduertere autem in primis debet is, qui conferendi poteſtatem habet, ne ex affectu carnali, ſed ſano & recto iudicio Eccleſiaſticum officium, vel beneficium, & in perſonam, quæ magis viſa fuerit idonea, locet. Item, vt neque ex pactione, vel ex conuentione quacumque conferat; nec ſibi retineat vllam redituum portionem, alioue modo beneficium diminuat. Conſultius etiam fuerit, ſi palam, non clam beneficium contulerit.

TITVLVS V.

De Pensionibus.

1 QVamuis beneficia integra conferri debeant, vt supra monuimus, non diminuta, potest tamen ex his interdum aliqua decessio fieri, vt fructuum portio ab eis detracta alicui suppeditetur, quæ portio *Pensio* appellatur, quod alteri à beneficio pendatur.

2 *Est igitur Pensio*, ius percipiendi fructus ex aliquo beneficio, durante vita pensionarij, ex iusta causa concessa: aliàs peccaret concedens, si beneficiato hoc onus vexationis causa imponeret.

3 *Triplex autem Pensio esse solet*, scilicet Temporalis, Spiritualis, & Mixta, seu Media. *Temporalis* conceditur alicui remunerationis causa pro aliquo ministerio temporali exhibito extra Ecclesiam, vt Duci exercitus, vel militi pro Ecclesia pugnanti. *Spiritualis* conceditur personæ alicui spirituali, propter aliquod officium spirituale erga Ecclesiam, vt est illa, quæ datur Coadiutori Episcopi, vel Parochi, vel Sacristæ, vt Ecclesiam præparet, eique seruiat: & sic de alijs. Et tales pensiones vendi nequeunt absque labe simoniæ, sine consensu Summi Pontificis. *Media verò Pensio est*, quæ nempè Clericis, & Laicis dari potest; illis in titulum beneficij cũ ad ecclesiasticos Ordines recipiuntur; his mercedis pro labore, vel vexationis redimendæ causa. Nam si daretur Clerico, vt inde congruè viuat, quamuis olim dicebatur pensio mere prophana, ac temporalis, hodie tamen est spiritualis, quia Pius V. mandauit, quod huiusmodi pensionarij teneantur Officium Beatæ Virginis Mariæ recitare. Et consequenter licet illa annua pecunia natura sua vendi posset, ex quo est respectu fructuum, & spiritualis non est, nihilominus quia post Bullam Pij V. assignatur Officiũ spirituale, proinde absque labe Simoniæ vendi nequit, nisi Summus Pontifex auferret ab huiusmodi pensionibus officium. Nam quatenus habet

bet annexum officium, nec ipse Summus Pontifex posset pensiones vendere, quia venderet spirituale. Et idem est, si huiusmodi pensiones darentur laicis, quia tenerentur recitare officium paruum Beatæ Virginis.

4 Sciendum itaque est, quod *tribus modis potest imponi pensio* super beneficio. *Primo*. Si quis renunciauit beneficium in alterius vtilitatem, vel illud cum alio permutauit, & sibi certam pensionem reseruauit. *Secundo*. Quando per transactionem, & arbitrio Iudicis beneficium litigiosum consignat alteri, relinquens sibi certam pensionem ex illo. *Tertio*. Quando quis per plures annos seruit beneficio, & amplius illi seruire nequit, & illud resignat alteri, assignata super eo pensione ad suam congruam sustētationem, ne interea dum superstes est, vitam inopem in senio, egenamque trahat.

5 Semper tamen moderatam, & iustam pensionem esse oportet, ne vsque adeò beneficium extenuet, vt eius Rectori non supersit, vnde sustentari valeat. Hinc ferè obseruari solet, vt non maiorem tertia parte beneficij deducant: idest, vt quantitas fructuum, quæ ex beneficio in pensionem detrahitur, tertiæ partis annui reditus beneficij onerati summam ne transiliat. Quod eò sic dictum, & declaratum voluimus, ne cui persuasum sit, posse pensionem per quotas assignari, id enim prohibitum est, quia Simoniæ vitio non careret. Ac in summa id animaduertendum est in pensione imponenda, vt post solutam pensionem tantum beneficio remaneat, vnde possit commodè viuere, iura Episcopalia soluere, & beneficij omnia onera ferre.

6 Potest autem quis ordinari pensionem in titulum donationis habens, si ita Episcopus judicauerit assumendum pro necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ, & si donatio esset vera, & non ficta, quæ deinceps alienari non possit absque Episcopi licentia, donec beneficium sufficiens adeptus fuerit, vel aliunde habeat vnde viuere possit. Potestq. Episcopus ordinare subditos ad Ordines Diaconatus ad titu-

titulum, & pensionem Ecclesiarum matricium, non obstante, quod non participent de fructibus illarum, nisi post susceptum Presbyteratus Ordinem.

7 Illa quoque pensio improbatur, quæ per collusionẽ constituitur, vt cùm Rector Ecclesiæ vltrò patitur, vel etiam procurat sibi litem fieri, vt sub hac litis redimendæ specie, commentitio aduersario aliquam pensionem fictæ, simulatæq. transactionis causa promittat super litigioso beneficio. Nec is tutus erit qui pactione prius inita pensionẽ obtinuerit, nisi Summi Pōtificis sese authoritate munierit.

8 Ante omnia verò pensionis imponi onus vllum non debet, nisi Antistitis accedente authoritate. Sed non Pontifex Romanus solùm pensioni excipiendæ author esse potest, verùm etiã Legatus à latere eius profectus. Alius autẽ Legatus non potest, nisi hoc ei specialiter sit concessum.

9 Item Episcopus pensionem deducere potest, si qua eum iusta causa moueat, quæ euidentem Ecclesiæ vtilitatem importet, vt paulò superius diximus, dummodo neque pensionis transferendæ potestatem eum facere posse, neque post eius mortem, cui concedenda est, posse eam perpetuare intelligamus. Hoc enim ius soli Romano Pontifici competit; contra successores quidem eius, qui ad eã soluendam tenebantur, hoc onus transit.

10 Item, qui aliquam Ecclesiam erigit, vt patronatum eius nanciscatur, potest in eius fundatione pensionẽ de beneficio excipere, alij Ecclesiæ, aut sibi, Episcopi accedente consensu, quotannis soluendam.

11 In primis verò eius Rectoris consensus exigitur in pensione constituenda, qui id oneris subiturus est, quisquis sit is, qui pensionis onus est impositurus, seu Summus Pontifex, seu Legatus, seu Episcopus; quod etiam Regulis Cancellariæ sanciri solet.

12 Sed neque infante minor, neque illegitimus, neque excommunicatus, pensionis illius capaces sunt, quæ vel beneficij loco, vel in titulum datur.

13 Extingui autem pensio potest, etiam sola partium con-

conuētione, licet nulla Antistitis authoritas accedat; nisi in alimenta sit constituta, vel pecunia data redimatur, quemadmodum frequenter vsurpari videmus, quinque fortè aut sex, aut septem ad summum anticipatis pensionibus annuis. Quibus casibus receptum est Summi Pontificis authoritatem desiderari.

TITVLVS VI.

De Permutatione Beneficiorum.

1 PErmutatio beneficiorum fit, quando aliquis cedit interdum beneficium suum, vt ei conferatur, à quo ipse inuicem aliud beneficium per eum resignandum consequatur. Permutatio enim beneficiorum quælibet, non sine resignatione in manibus Antistitis facta celebratur, cum non sit in potestate mea, vt meum tibi propria authoritate beneficium conferam, nec tu, vt mihi tuuum, sed vterque nostrum in manibus Antistitis prius reponere debeat, qui deinde vtrique nostrum alteri alterius beneficium conferet, hocque modo permutatio fiet.

2 Nec est, vt vereantur hi, qui benèficia sua permutationis causa resignarunt, ne propositum eorum eludatur, ac alijs ea beneficia conferantur. Nam, etsi olim hoc liceret, hodie tamen secus est. Quia collatio alteri facta, quam ei, cuius contemplatione permutationis causa facta est resignatio, nullius est momenti. Nec etiam Simoniæ metus aliquem deterreat, vt non ausit de permutando beneficio pactum inire: nam, si ad Apostolicæ Sedis, alteriusue Antistitis authoritatem habentis consensum, & authoritatem hoc suum pactum retulerit, hoc metu liber esse poterit.

3 Author autem permutationi is Episcopus esse potest, cuius iurisdictioni beneficium permutandum subest. Hinc, si in diuersis Diœcesibus beneficia permutanda sita

sint,

sint, vtriusque Episcopi authoritas adhibenda erit: vterque enim beneficiatus in manibus proprij Episcopi suum beneficium resignabit, & alter Episcopus alterius Episcopi subdito Clerico illud conferet. Vel alter Episcopus ex his, alteri Episcopo vices suas committere poterit, vt nomine etiam suo conferat.

4 Alius verò Prælatus Episcopo inferior, quamuis alioqui ius conferendi haberet, permutationi tamen author esse non potest, sed eius duntaxat consensus Episcopo authoritatem præstanti in permutatione erit adhibendus. At Cathedralis Ecclesiæ Capitulum eorum duntaxat beneficiorum permutationes admittendi ius habet, quæ beneficia ipsum pariter Capitulum, vel solùm, vel vnà cum Episcopo conferre poterat.

5 Vicarius autem Episcopi permutationi faciendæ nullam authoritatem præstare potest, nisi hoc ei specialiter ab Episcopo mandatum sit; est enim hoc proprium Episcoporum priuilegium. Nullum verò tempus per Canones deffinitum est, intra quod debeat huiusmodi authoritas permutationi celebrandæ post resignationem factam adhiberi; sed siquidem Episcopus sine causa detrectaret beneficium ei conferre, qui suum beneficium permutationis causa resignarit, esset à suo Antistite ad hoc compellendus.

6 Eorum quoque consensus permutationi adhibendus erit, ad quos ius eligendi ad beneficia permutanda, vel ius præsentandi spectat.

7 Potestque vnum beneficium cum pluribus permutari, & plura cum vno: & beneficium simplex cum curato: & è conuerso. Et simplex cum simplici, & curatum cum curato, nisi aliud impedimento sit. Non debent tamen spiritualia cum profanis permutari. Nec ius, quod quis in re habet, cum iure, quod alius habeat ad rem: quantò minus permutatio illius valebit, qui nullum ius omninò in beneficio habuerit?

8 Causa autem in primis in permutatione facienda legiti-

gitima requiretur: nam, cum præbendarum commutationes de iure prohibeantur, pactione præsertim præcedente, quę circa spiritualia, & his annexa labem continet Simoniæ, idcircò non sine causa necessaria fieri debeat.

9 Postremo sciendum est, quod, si quis permutationis pactum ex parte sua impleuerit, altera parte permutationem exequi in latere suo detrectante, ad suum beneficium is, qui adimpleuit, restituendus est.

TITVLVS VII.

De Institutionibus, & Iure Patronatus.

1 LAtè patet hoc verbum Institutio apud Grãmaticos: & adaptatur à Iureconsultis interdum ad contractus, ad obligationes, ad actiones, & ad vltimas voluntates; quia omnis ferè ordinatio potest appellari institutio. Sed in hac materia beneficiali iuris translatiua, *Institutio secundum Canones est*; Ecclesiæ, seu beneficij ecclesiastici collatio, quasi ius habentem ad beneficiũ; per præsentationẽ intus, vel in beneficium Clericalis personæ statuitiua. Accidit enim sæpe sæpiùs, vt Prælati liberam de vacantibus beneficijs disponendi facultatem non habeant, sed aliquis alius, siue spiritualis, siue laicalis persona, ius obtinet patronatus: tunc enim strictè sumpto vocabulo institutionis, non conferre beneficium, sed instituere ad illud dicentur eos, quibus præsentante patrono, prouidendum erit.

2 *Ius autem Patronatus est*, potestas præsentandi instituendum ad beneficium vacans. Quod sanè varijs modis constituitur, videlicet, Ecclesiæ ædificatione, fundatione, dotatione, & similibus. Quia sicut in carnali matrimonio ad onera sustinenda dos assignari debet; ita etiam qui erigit Ecclesiam de consensu Dioecesani, iuris ordine seruato, debet certos assignare reditus, quæ ad luminaria, & ad custodiam, ad stipendia ministrorum, & ad cætera

sacræ

ſacræ domui neceſſaria ſufficiant, quæ dotis nomine appellantur. Loco autem remunerationis beneficij collati, inſtitutum eſt, vt eiuſmodi benefactores ipſi ad Eccleſias à ſe fundatas, ſeu dotatas, præſentent Sacerdotes loci Ordinario, & *Iure Patronatus*, ſeu aduocatione gaudeant; ſiue Laici ſint, ſiue Clerici, (etſi in Collegiata Eccleſia longè infirmius habeat ius laicus.) Quod ſi verò quis, det & aſſignet certa bona Eccleſiæ, ſed non nomine dotis, non habebit huiuſmodi ius patronatus, nec dicetur Patronus, ſed Benefactor tantùm.

3 Et quia *Ius Patronatus adipiſcitur*, partim fundi largitione pro ædificanda Eccleſia, partim ædificatione Eccleſiæ ſumptibus proprijs, & partim dotatione non ſordida Eccleſiæ iam ædificatæ; ideò ſciendum eſt, quod ſi quiſpiam ſolus hæc tria præſtiterit, vel vnum ex his, ſoli etiam totum hoc iuris integrè quæratur: ſin tria hæc munia, à duobus, vel tribus, pluribuſue diuiſim obita ſint, ambo, vel omnes illius Eccleſiæ acquirent patrocinium.

4 At decreuit ſacroſancta Synodus Tridentina, vt titulus iuriſpatronatus ſit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & alijs requiſitis à iure oſtendatur. Siue etiam ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, aliàſue ſecundum iuris diſpoſitionem. In his verò perſonis, ſeu communitatibus, vel vniuerſitatibus, in quibus id ius plerumque ex vſurpatione potiùs quæſitũ præſumi ſolet, plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur.

5 Nec immemorabilis temporis probatio aliter eis ſuffragetur, quàm ſi præter reliqua ad eam neceſſaria, præſentationes etiam continuæ non minori ſaltem, quam quinquaginta annorum ſpatio, quæ omnes effectum ſortitæ ſunt, authenticis ſcripturis probentur. Reliqui patronatus omnes à beneficijs tam ſæcularibus, quàm regularibus, ſeu parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuſcumque alijs beneficijs, in Cathedrali, vel Collegiata Eccleſia;

ſeu facultates, & priuilegia conceſſa, tam in vim patronatus, quàm alio quocumque iure nominandi, præſentandi, eligendi ad ea, cum vacant; exceptis patronalibus ſuper Cathedralibus Eccleſijs competentibus, & exceptis alijs, quæ ad Imperatorem, & Reges, ſeu Regna poſſidentes, alioſque ſublimes, & ſupremos Principes, iura imperij in dominijs ſuis habentes, pertinent: & quæ in fauorē Studiorum generalium conceſſa ſunt, in totum prorſus abrogata & irrita, cum quaſi poſſeſſione inde ſecuta intelligantur. Beneficiaque huiuſmodi tanquam libera à ſuis collatoribus conferantur: ac prouiſiones huiuſmodi plenum effectum conſequantur.

6 Item ſtatuit, vt Patronatus quicumque in eccleſiis, & quibuſcumque alijs beneficijs, etiam dignitatibus antea liberis acquiſiti, à quadraginta annis citrà, & in futurum acquirendi, ſeu ex augmento dotis, ſeu ex noua conſtructione, vel alia ſimili cauſa, etiam authoritate Sedis Apoſtolicæ, ab ijſdem Ordinarijs vti delegatis, vt ſupra, qui nullis in his facultatibus, aut priuilegijs impediantur, diligenter cognoſcantur. Et quos non repererint ob maximè euidentem Eccleſiæ, vel beneficij, ſeu dignitatis neceſſitatem legitimè conſtitutos eſſe, in totum reuocent, atq; beneficia huiuſmodi ſine damno illa poſſidentium, & reſtituto patronis eo, quod ab eis idcircò datum eſt, in priſtinum libertatis ſtatum reducant, non obſtantibus priuilegijs, conſtitutionibus, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus.

7 Ex iſto autem Iure patronatus, patroni hæc conſequuntur, quòd cum Diœceſani conſenſu Eccleſiam conſtruxerint, fundauerint, vel locupletauerint, non ſolùm ipſi idoneos Rectores in illis Eccleſijs Epiſcopo offerre poſſint inſtituendos, vt ſupra monuimus, quibus ſpretis, ſi Epiſcopus ibi alios inſtituerit, nihil egerit, iſque inſtituendus erit, quem ipſe Patronus præſentarit: ſed etiam honorem præcipuum in ſua Eccleſia habebit, vt ei v.g prius detur, quàm alijs quibuſuis palma in die Palmarum, &

can-

candela in die Purificationis, & primus locus in supplicationibus, atque processionibus. Et si deuenerit ad egestatem, aut eius filij eo inopiæ reducti fuerint, vt suppetijs alienis egeant, ab eadem Ecclesia præsidium vitæ pro têporis vsu percipient.

8 Ipse autem Patronus Ecclesiæ tutelam sic suscipere debet, vt quod possit, eam ab omni iniuria tueatur, reparet, & si collapsa sit, illam reædificet. Et cum presbyterum in ea institutum Ecclesiæ non esse vtilem cognoscit, quia fortè frugi non sit, sed dilapidator, bonorumque inhonestus concoctor, Episcopo denunciare debet.

9 Non tamen credat Clericus, qui Ecclesiæ Patronus est, sibi licere ad eam ecclesiam seipsum offerre instituendum, quamuis alioqui valdè idoneus sit, pluribusque meritis adiuuetur. Nemo enim se ingerere debet ecclesiasticæ Præfecturæ officijs: neque habet Patronus vendendi per se, vel donandi, vel tanquam proprijs vtendi rebus Iuris patronatus. Nec vllum omninò grauamen ecclesiæ imponere potest: nihilque ex ea præter antiquos, & moderatos reditus à locorum Episcopis institutos exigere.

10 Iuris patronatus non tantùm mares, sed fęminæ etiam sunt capaces, ac illud possidere possunt, etiamsi esset Monasterium. Et transit ad fęminas etiam nuptas extra familiam, & descendentes ex eisdem fęminis Nisi aliud cautum sit in fundatione. Similiter si succedat ad ius patronatus, & ipsa nubat, quamuis ad eam propriè, & consequenter ius præsentandi pertineat, tamen honoris causa simul cum marito præsentabit, vt volunt D. D. Successione quoque ius patronatus acquiritur, siue ex testamento, siue ab intestato sint hæredes. Plures tamen ab vno ex patronis ecclesiæ relicti hæredes, vocem dumtaxat vnius habebunt in præsentatione Rectoris, nec iam institutos mutare poterunt. Et si forte in plures partes Patronorum se vota in præsentando diuiserint, ille præficiendus est ecclesiæ, qui maioribus iuuatur meritis, & plurium approbatur consensu. Et quemadmodum à multis, præsentatio

debet

debet fieri concorditer, ita & variatio; nec enim sufficeret illam fieri a maiori parte.

11 Et quamuis non sit habenda differentia inter laicos & personas ecclesiasticas quo ad ius patronatus obtinendum, sunt tamen istæ circumstantiæ in re Patronatus obseruandæ, quæ videntur non nihil differētiæ habere, quod ecclesiastico ad præsentandum sex mensium conceditur spacium, laico verò quadrimestrè spacium datur. Quo sanè tempore elapso Episcopus potest prouidere, & illud cōferre. Sed tamen videtur optima ratione inductum, vt longius præfigatur tempus ecclesiasticis, quippe, quibus semel facta præsentatione, amplius variare minimè licet, quod in laicis diuersum statuitur.

12 Constituit quoque idem sacrosanctum Concilium Tridentinum sub Pio IV. ne Patroni beneficiorum, cuiuscunque ordinis, & dignitatis, etiamsi Communitates, Vniuersitates, Collegia quæcunque Clericorum (etiam Societatis Iesu) vel laicorum existant, in perceptione fructuum, prouentuum, obuentionum quorumcunque beneficiorum, etiamsi verè de iure patronatus ipsorum ex fundatione, & dotatione essent, nullatenus, nullaue causa, & occasione se ingerant, sed illos liberè Rectori, seu beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine, distribuendos dimittant.

13 Item constituit, ne patroni ius patronatus venditione, aut alio quocumque titulo in alios, contra canonicas sanctiones transferre præsumant: sin secus fecerint, excommunicationis, & interdicti pœnis subijciuntur, & dicto iure patronatus, ipso iure priuati existant. Nisi tale ius cum vniuersitate rerum temporalium transferretur.

14 Non licet etiam Clericis Ecclesias à parentibus suis fundatas, propria authoritate retinere, aut laicis, laicorumue filijs concedere. Sed sicut patroni iura per Episcopum minui non possunt; sic è contra non potest patronus sine Episcopi authoritate ius suum exercere. Nam præsentatio Patroni vt institutio subsequatur Episcopi authorita-

ritatem desiderat, cui quidem Episcopo, nullum certum tempus ad institutionem faciendam legibus definitum est, sed Iudicis arbitrio relinquitur. Episcopo autem ex eadem Synodo licebit, præsentatos à patronis, si idonei non fuerint, repellere.

15 Quod si ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen iuxta alias statuta ab eadem Synodo, examinandi sunt. Alioquin institutio ab inferioribus facta, irrita erit & inanis; nihil operante prætextu cuiusuis priuilegij, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præscriptæ; nisi fuerint prius à locorum Ordinarijs examinati, & idonei reperti. Et nullus appellationis remedio se tueri potest, quominus examen subire teneatur: præsentatis tamen electis, seu nominatis ab Vniuersitatibus, seu Collegijs generalium Studiorum exceptis.

16 At laicus Patronus, qui Episcopi neglecta auctoritate Clericos in ecclesia instituerit, possessionesue, aut alia ecclesiastica bona ex sententia sua liberè distribuerit, anathemate est feriendus. Et Clericus, qui ecclesiam per laicos sine proprij Episcopi authoritate acceperit, communione priuatur: si verò in ea etiam persistere non dubitarit, à ministerio ecclesiastico, & ordine deponetur.

17 Si tamen laicus ius patronatus sibi competens eidẽ, vel alteri ecclesiæ, vel alij loco Religioso contulerit, quamuis sine Episcopi assensu, concessio valebit; sed nihil tamẽ per hoc iuri Episcopi derogatũ censebitur. Et tunc, quamuis Patronus laicus, qui ius suum transtulit, quadrimestre duntaxat ad præsentandum tempus habeat, locus tamen pius, in quem tale ius translatum fuerit, semestri potietur. Nam quod ad præsentandi ius attinet, non laici cui successit, sed ecclesiasticorum iuribus locus hic pius vti conceditur.

18 Episcopi autem ius in faciendis institutionibus adeò firmum, & stabile est, vt quamuis ius patronatus ad exẽptos perueniret, nihilo tamen magis Episcopi ius tollatur, vel debilitetur: quinimmò, si Episcopus aliquis sit patro-

nus

nus ecclesiæ in aliena Diœcesi positæ, ipsius sola authoritas non sufficiet, sed ab illius Diœcesis Episcopo instituendus erit ille, quem Episcopus patronus idoneum præsentarit.

19 Cum autem Patronus quempiam virum idoneum coram Episcopo instituendum constituerit, si eo non repudiato, alterum postea æquè idoneum stiterit, vter eorum præferendus sit, iudicio Episcopi relinquetur, si laicus sit Patronus. Si verò Collegium, aut persona ecclesiastica ius patronatus habeat, prior tempore oblatus potior habebitur. At si Episcopus idoneum Clericum sibi à Patrono oblatum admittere noluerit, alterque ab eodem adductus pariter idoneus, & ab Episcopo admissus, corporalem possessionem acceperit, melior possidentis erit conditio, quoniam, antequam præsentatio per Episcopum admittatur, & approbetur, ratum non est, quod à Patrono fuerat inchoatum. Episcopus tamen, qui hominem idoneum ad se à Patrono adductum dolosè recusarit instituere, de beneficio competenti prouidere illi cōpelletur.

20 Episcopus verò solus etiam, ac eo negligente Metropolitanus, alijque superiores immediati successiuè, illis ecclesijs prouidebunt intra nouum sex mensium spatium, de quarum patronatu contentio cum esset inter ecclesiasticas personas, nec constaret, quis Patronus esset, vltra sex menses à vacationis tempore, electio Rectoris sit dilata, vel vltra quatuor, cum laici essent, qui disceptabant. Vt tamen nullum illi in posterum præiudicium fiat, qui superior in lite fuerit, quin ipse eum sistere debeat, quem Episcopus instituendum decreuerit, ac cęteros omnes deinceps, qui in ecclesia erunt instituendi.

21 Interdum etiam contingit, vt ius præsentandi vnà cum Patrono competat etiam ei, qui omninò Patronus non sit: finge enim, gratia exempli, patronale beneficiū in alterius ecclesia, vel parochia esse, hoc casu profectò illius ecclesiæ, vel parochiæ Prælatus vnà cum Patrono instituendum præsentabunt.

22 Aliud

22 Aliud deinde est ius patronatus in multis simile, sed ab eo tamen etiam in multis absimile; id est, cum Religiosi ecclesiam aliquam sibi subiectam habent, tam quoad spiritualia, quàm quoad temporalia, in qua tamen pleno iure instituere non possunt, nec curam populi committere, sed authoritas Episcopi desideratur: nam hoc ius ita à Patronatu differt, quod, qui illud habent, ipsi reditus ecclesiæ illius percipiunt, & congruam portionem Rectori assignant. At, qui patronatum habent, nihil redituum percipere possunt, sed integri prouentus Rectori instituto permittuntur.

23 Et ex his potest facilè cognosci, quæ differentia sit inter præsentationem, & institutionem. Nam præsentatio fit à Patrono, ratione iuris quod habet in Iure patronatus: institutio verò fit ab Ordinario, quando Patroni inter se non concordant. Inter quos, si ita simultates ortæ fuerint, vt Sacerdos ibi suo officio canonicè fungi nõ possit, si aliter prouideri non poterit, pręcipere debet Episcopus, vt ibi Missarum solemnia non celebrentur, donec Patroni ad concordiam redeant. Quibus tamen potest prorogare tempus iusta ex causa, quemadmodum & abbreuiare, si prorogatio respicit præiudicium ipsiusmet Episcopi prorogantis.

24 Quod si necessarium aut expediens esse duxerit, poterit etiam interim ecclesiam alicui commendare, ita tamen, vt si Parochialis sit ecclesia, nemini commendetur, qui non sit in Sacerdotio constitutus. Nec huiusmodi cõmenda, vel intra semestris temporis spatium vires suas porriget, nec in vnius persona, nisi vnica fieri poterit.

25 Erit etiam Episcopo facultas in ecclesijs, in quibus ecclesiastica persona præsentationem non habet, si vel minus idonei præsententur, vel alia de causa, aliquos in eis instituere non valeat, Oeconomos ponere, qui colligant fructus erogandos in ecclesiarum vtilitatem; aut his, qui quandoque instituentur fideliter seruandos.

26 Sunt autẽ Institutiones collationibus in quibusdam

similes, in quibusdã verò dissimiles. Similes sunt, quia quẽadmodũ is, qui seipsum præsentat, instituendus non est; ita etiã is, ad quem pertinet collatio, seipsum nõ potest instituere, cum inter danteur, & accipientem distinctio debeat esse personalis. Item, quemadmodum vacaturæ præbendæ non tenet regulariter collatio, ita etiam promissiones de non vacantibus beneficijs ecclesiarum, in quibus quis ius obtinet patronatus, nullo iure subsistunt.

27 Dissimiles verò sunt, quia etsi Capitulum sede vacante, beneficia, quæ ad collationem Episcopi pertinẽt, conferre non possit, præsentatos tamen à Patronis potest, si idonei sunt, admittere, & instituere. Idem obtinet in Vicario, quia licet sinè speciali concessione conferre non possit, præsentatos tamen instituere minimè prohibetur.

28 Sunt etiam in eo dissimiles, quod in Rectorem Parochialis ecclesiæ, & non in sacris constitutus præsentari potest, dummodò aliàs sit idoneus, & infra tempus à iure constitutum ad Ordines, quos ipsius ecclesiæ cura requirit, promoueri valeat. Collatio autem fieri non potest in persona eius, qui saltem sit in subdiaconatu constitutus.

29 Cum his tamen, qui in minoribus sunt Ordinibus constituti, si tales sint, qui infra breue tempus possint in presbyteros ordinari, dispensari poterit per Episcopum.

30 Tollitur autem ius patronatus cessione; vt puta, cum quis id ecclesiæ, in qua ius habet huiusmodi, conferendum duxerit. Item si quis ecclesiam sine sui reseruatione iuris Collegiatam fieri patiatur. Eo amplius constat, si ædes sacræ incendio consumptæ fuerint, vel etiam terræ motu, vel vitio suo corruerint, extingui ius patronatus necesse est. Sed etsi Patronus ausu nefando Rectorem, vel Clericum ipsius ecclesiæ per se, vel per alios occidere, vel mutilare ausus fuerit, tam alias pœnas, quàm iuris patronatus amissionem sustinere debet. Idem iuris est, si Patronus efficiatur hæreticus: cum enim bona hæreticorum vniuersa sint confiscanda, merito cum ipsa vniuersitate, etiam ius patronatus interibit.

TI-

TITVLVS VIII.

De Clericis non residentibus.

1 Omnes obtinentes beneficia ecclesiastica, tenentur residere,& curam demandati sibi officij per seipsos diligenter exercere. Quod si aliter actũ fuerit, & receptus fuerit ad ministerium ecclesiasticum, quod contra sacros Canones illud acceperit, amittet; & qui dederit, largiendi potestate priuabitur.

2 Quod si ab initio idonei ad residendum reputati, postea ecclesias, vel præbendas sibi concessas, sine iusta & necessaria causa deserant, & moniti congruo tempore expectati non redierint, eis priuari poterunt. Maximè autem ex non residentia Episcopi, Clerici efficiuntur irreligiosi, sæculares irreuerentes, pauperes oppressi, aut neglecti, & munera pastoralia omissa, seu deserta: vnde hæreses, schismata,& omnis impietas Atheistica. De iure igitur Diuino ad residentiam tenẽtur Episcopi,& omnes curata beneficia habentes, ne eorum à quibus probati sunt, fidem fallant, vt monet sacrosancta Synodus Tridentina, & Vrbanus VIII. in Bulla sua, de residentia Episcoporum, vt sciant oues suas cognoscere, proque ijs sacrificium offerre, & verbi Diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum omnium exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere.

3 Quod autem Parochus ante Concil. Trid. poterat studiorum causa per septennium de Ordinarij licentia abesse, hoc sacri Concilij Congregatio sustulit modo, dicens. Obtinentibus Parochiales ecclesias,post Concilium Tridentinum studendi licentia, ac in absentia studiorum causa fructus percipiendi, non datur: ne sub hoc prætextu studiorum, seruitium ecclesiæ defraudetur. Et hinc per concursum idoneus Rector Parochiali ecclesiæ quæritur,

qui iam antea studuerit, nec sit illi necesse studiorum causa absentiam facere.

4 Et quia multi pro obtinenda licentia studiorum causa, vt fructus percipere possint ad Sedem Apostolicam recurrere consueuerunt: Pius IV. fecit quandam Constitutionem, sub data 24. Nouembris 1564. quæ est in Bullario 113. per quam sanciuit, quod tales licentiæ concessæ, nullatenus suffragentur, nisi Ordinarij consensus accedat.

5 Nec potest Episcopus Rectorem ecclesiæ Parrochialis occupare in seruitio suo, aut ecclesiæ suæ Cathedralis; vt exerceat officium Vicarij, Visitatoris, Secretarij, Lectoris in Schola, seu Seminario, aut Monasterio: vt similiter sacra Congregatio Concil. Trident. censuit, nisi pro tempore duorum mensium, donec idoneus aliquis alius ad illud officium deputetur. Imò non excusatur à residentia, exercens officium Inquisitoris, aut officium Subcollectoris Apostolici. Sed nec lis mota super eadem parochiali, in solo petitorio, non autem in possessorio, eum à residentia excusare valet; prout eadem Congregatio Eminentissimorum Interpretum determinauit. Propter necessitatem igitur abeunti dabit licentiam Episcopus ex causa, si relinquat Vicarium idoneum.

6 Iustæ autem non residendi causæ sunt, veluti si quis relicto idoneo Vicario, aut Romano Pontifici, aut proprio Episcopo obsequium exhibeat. Item si iura & negotia ecclesiæ suæ fideliter prosequatur; euidentem Reipublicæ vtilitatem curet; aut speciale indultum habeat absentandi se studiorum causa; aut grauem infirmitatem, & diuturnam, vt lecto affixus venire non potuerit, quamuis monitus à Prælato; vel ob capitales inimicitias latitare debeat; terreaturque metu Tyranni existentis in loco; & alia iusta impedimenta habeat. Sed voluptatibus vacantes peccant mortaliter, & nihil iuris habent in fructibus rerum ecclesiasticarum. Et si dictos fructus recipiunt, restituere tenentur secundum omnes Doctores; quia redditus ecclesiarum sunt stipendia seruientium, non lenocinantiũ.

7 Cano-

7 Canonici verò, quorum seruitio vtitur Episcopus, etiam subtrahendo eos ab officio diuino quotidiano, habentur pro residentibus, & ad quotidianas distributiones pertinent, quia videntur seruire toti Dioecesi: prout seruientes Papæ, videntur seruire vniuersali ecclesiæ. Sed non debent esse plures penes Episcopum, quàm duo: nisi id grauis necessitas exigat.

8 Quod si fortè quis abiens studiorum causa, non attenderet studio, nec intraret scholas, talis non debet gaudere hoc beneficio, vt fructus ecclesiæ percipere posset. Si verò inhonestè viueret, vel reuerteretur ignarus, talis omninò poterit beneficio priuari.

9 Quamuis enim beneficium simplex sit, non minus tamen Clericum, cui id assignatum est, vt resideat, de iuris obligatione, etsi aliud mala consuetudine inductum videatur. Quocirca si quis Clericus à suo beneficio diutius abfuerit, quàm ecclesiæ vtilitas exposceret, monendus erit, terminusque ei statuendus, intra quem commodè reuerti possit: quo lapso, si omninò sine causa probabili sui copiam non fecerit, beneficio priuari poterit, illudque in alium transferri.

10 Cęterum, si incertum sit, vbi nam gentium agat Clericus, vel Prælatus, qui à sua ecclesia desideratur: vel si ita absit, vt non facile ad eum citatio deferri possit, tribus edictis euocari eum oportebit, publicè propositis in eius ecclesia; quibus si minimè audiens fuerit, & sex menses expectatus non redierit, ecclesia illa spoliari legitimè poterit.

11 At si in rem ecclesiæ fortè non sit, vt Clericus hic, vel Prælatus, propter ipsius præstantiam ab ea exturbetur, puta, quia eius opera multis de causis ecclesiæ vtilis noscatur, dum adsit, eamque impigre velit, vt decet, ac sedulo præstare, ideòque melius videatur, eum ad ecclesiæ ministeria iuris remedijs reuocare. Ita poterit procedi, vt per suspensionis, vel excommunicationis remedia redire compellatur; quæ, si nihili se facere ostenderit, tunc verò

etiam

etiam spiritualium administratio interdicetur. Quod si is, qui desideratur Prælatus, in Pontificia dignitate constitutus sit, ad Legati, vel alterius officium hoc pertinebit, vt ex speciali mandato Summi Pontificis, hunc Episcopũ ita meritum ab episcopatu remoueat. Episcopus enim quiuis ab alio, quàm à summo Pontifice episcopatu priuari nequit. Quare nec prior procedendi modus, à nobis supra in hōc titulo traditus, poterit aduersus Episcopum exerceri, sed posteriorem hunc in eum experiri est necesse, nempe, vt suspendatur ab Archiepiscopo, & excommunicetur, & demum Summi Pontificis mandato Episcopatu priuetur.

12 At iura, quibus Clerici ad residendum coguntur, ita procedunt, vt nullum faciant discrimen intra beneficia opulenta, & tenuia: aut inter ordinem, seu dignitatem supremam, & infimum ordinem, & dignitatem. Nam & Clericum habentem beneficium non excedens prouentũ viginti aureorum annuorum, residere nihilominus oportere aiunt. Et Cardinales quoque ipsi, huic sanctioni subiacent Vrbano VIII. sic iubente. Cum & Leo III. Anastasium presbyterum Cardinalem tituli B. Marcelli deposuerit, eo quod Parochiam suam annos quinque desertam iacere passus fuisset.

13 In hanc etiam rem vehementer, eadem sacrosancta Synodus Tridentina incubuit. Nam primum sub Paulo III. constituit, vt si quis à Parochiali, Primatiali, Metropolitana, seu Cathedrali ecclesia quocumque titulo, causa, nomine, seu iure commissa, quacumque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, seu iustis, & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis, extra suam Diœcesim morando absuerit, quartæ partis fructuum vnius anni fabricæ ecclesiæ, & pauperibus loci, per Superiorem ecclesiasticum applicandorum pœnã ipso iure incurrat. Quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseuerarit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandorum, eo ipso amittat. Cre-

scen-

scente verò contumacia, vt seueriori sacrorum Canonum censuræ subijciatur.

14 Metropolitanus, Suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum verò Episcopum absentem, Suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ eo ipso incurrenda, infra tres menses per literas, seu Nuntium Romano Pontifici denunciare teneantur, qui ipsos absentes, prout cuiusque maior, aut minor contumacia exegerit, sua supremæ Sedis authoritate animaduertere, & ecclesijs ipsis de Pastoribus vtilioribus prouidere poterit, sicut in Domino salubrius nouerit expedire.

15 Circa alios, Episcopis inferiores, qui beneficia quæuis ecclesiastica, personalem residentiam de iure, siue consuetudine exigentia, in titulum, siue commendam obtinent, eadem Synodus statuit, vt ab eorum Ordinarijs, quemadmodum eis pro bono ecclesiarum regimine, & Diuini cultus augmento, locorum, & personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis iuris remedijs, vt iam diximus, residere cogantur. Nullique priuilegia, seu indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur; quod eadem sacrosancta Synodus Tridentina sub Pio IV. renouauit, & adiecit,] ne Dominici Aduentus, Quadragesimæ, Natiuitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item & Corporis Christi diebus, Episcopi ab ecclesia sua Cathedrali vllo pacto absint; nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos aliò vocent.

TITVLVS IX.

De Canonica Portione.

1 DIctum est libro superiore, titulo 23. de Sepulturis Christianorum, quæ in locis religiosis fiunt, faciuntque etiam locum religiosum: ac proin-

proinde Canonibus sacris sub anthemate interdictum est, tùm secularibus, quàm religiosis, ne terram pro sepulchro vendere, aut pro hominibus sepeliendis quoquo modo munera exigere audeant. Sed quia pij homines moriendo solent pro animæ suæ salute Ecclesijs, earumque ministris certas de bonis suis portiones relinquere, vt decenter, & Christiano more sepeliantur: itaque de his relictis dicturi Titulo præsenti, pro intelligentia terminorum, primo videbimus, quid sit canonica portio: deinde, quotuplex sit, & cur ita vocetur: ac tandem qualiter taxetur, & in quibus casibus non soluatur.

2 Quemadmodum igitur de legatis secularibus, detrahitur Falcidia, ne hæres nudam successionem accipiat; ita de legatis pijs detrahitur portio canonica, ne mystæ sacrorum, quibus salus fidelium commissa est, absque vtili aliquo ecclesijs inseruiant. Cum autem de iure communi sepulturæ debeant fieri in Parochialibus ecclesijs, & sæpè contingat laicos posthabita Parochiali ecclesia, in alia sibi sepulturam eligere, idcircò in hoc casu Parochialis detrahit quartam partem de relictis ecclesiæ, in qua quis eligit sepeliri, & distribuit ministris, qui ex altari suo viuunt, vt orent pro anima defuncti.

3 *Canonica itaque portio est*, quarta pars obuentuum, quæ debetur ecclesiæ Parochiali, de omnibus relictis pro funere & sepultura ab illis, qui extra Parochiam sepeliuntur. Nempe ad exemplum legitimæ, quæ debetur parentibus in bonis liberorum: quia ecclesia æquiparatur matri, & successiue, dum filij alibi eligunt sepulturam, hæc quarta debetur ecclesiæ Parochiali, ratione onerum, quæ sustinet in administratione Sacramentorum filijs, seu Parochianis suis.

4 *Dicitur verò Portio Canonica*, quia per regulam sacrorum Canonum est introducta, ad compensationem iniuriæ, & oneris, quod sustinent Rectores ecclesiarum. Videntur enim, iniuriam facere matri suæ Parochiali ecclesiæ illi Parochiani, qui baptizati, & Sacramentis muniti

tota vita, alibi eligunt sibi tempore mortis sepulturam, quasi spernentes matrem suam. Iam autem, quod secundum præscripta Sacrorum Canonum fit, id communiter Canonicum dicitur.

5 *Est autem duplex ista Canonica Portio*, Parochialis, & Episcopalis. *Parochialis est*, quæ Parochiali ecclesiæ, vel ipsius Curato, & Rectori debetur. *Episcopalis est*, quæ de relictis alicui ecclesiæ pro anima, ab Episcopo detrahitur. Nam veluti Parochialis ecclesia, pro labore, & cura quam gessit animarum, certam portionem detrahit de relictis alteri ecclesiæ, in qua quis sepulturam elegerit: sic etiam licebit ipsi Episcopo (nisi sibi quadragenaria obstet præscriptio) curæ pastoralis intuitu, quàm Diœcesi superintendens suscipit, de relictis, & pro anima cuiuslibet ecclesiæ oblatis, canonicam sumere portionem; etiamsi testator expresserit, quòd non Episcopo velit esse relictum, sed tantùm ecclesiæ: cum priuata testatoris dispositio generalem Canonis constitutionem immutare nequeat.

6 Item ex contrario, quemadmodum Episcopo sua portio competit, si quid ecclesiæ relinquatur: ita si quid Episcopo relictum fuerit, ecclesia de illo canonicam petere portionem poterit. Sed hoc casu, si testator exprimat, quod velit illud Episcopi tantùm esse, non ecclesiæ, testatoris erit seruanda dispositio.

7 Sed in hac specie multum intererit, qua legandi formula testator vsus fuerit. Nam si simpliciter dixerit: Rem talem relinquo, distinguendum est; Episcopi propinquus leget, an extraneus. Primo enim casu, cum non ecclesiæ relictum præsumatur intuitu (nisi fortè id probetur) sed personæ; de relicto in vita Episcopi ecclesia petere nihil poterit. Contraria obtinet præsumptio, & dispositio, si ab extraneo quid Episcopo relictum fuerit.

8 Quòd si coniunctim dictum fuerit. Relinquo rem Episcopo & ecclesiæ, de ea inter ipsos canonica diuisio facienda erit. Si verò istud Episcopo, & illud ecclesiæ relinquatur, relicta inter Episcopum, & Cathedralem ecclesiã

ad canonicam diuiſionem ſunt reducenda, niſi ambo teſtatoris velint eſſe diſpoſitione contenti, quam propter vltimæ voluntatis fauorem, obſeruare eſt ſatis condecens, vbi neque fraus interuenit, nec alteruter nimium debita portione fraudatur.

9 Secus autem eſt, ſi quid legetur Epiſcopo, & capellis, vel monaſterijs, aut alijs pijs locis: nam hoc caſu, quod Epiſcopo legatur, eius præcipuum eſt, cum eccleſia Cathedrali, & de illis, quæ alijs locis legantur, portionem canonicam nihilominus obtinebit. Et hæc ideò tam variè, quia non tanta inter Monaſteria, aut Capellas eſt cõmunio, quanta inter eccleſiam Cathedralem, & Epiſcopũ, qui Cathedrali ſpirituali copulatus eſt coniugio: vnde & quæ acquirit Epiſcopus, non illis, ſed iſti tantùm acquirit.

10 Hoc autem tunc obtinere oportet, ſi ſimpliciter Epiſcopo legatum factum fuerit. Cęterum, ſi eam adiecerit conditionem teſtator, vt Epiſcopus ſuo ſit legato contentus, & ipſe legatum agnouit, quia per hoc alijs renũciaſſe videtur, de cęteris portionem exigere non poterit.

11 Sed ſi conſtiterit, quod eadem adiecta conditione, in fraudem modicum conſtituit mortuarium, vt Epiſcopus portione debita fraudetur in cęteris; quia dolus cuiquam patrocinari non debet, poterit is etiam ex alijs relictis exigere portionem à Canone conſtitutam; ſaluis tamẽ indulgentijs, quæ à Romano Pontifice quibuſdam Regularibus ſunt conceſſæ.

12 Illud etiam generaliter obſeruandum eſt, circa eum, qui proprium poſſidere poteſt, prælationem, vel adminiſtrationem eccleſiæ non habentem, quod ſi ei aliquid relinquatur ſpecialiter, non ſolùm à ptopinquo, verum etiam ab extraneo, non intuitu eccleſiæ, ſed perſonæ eſſe relictum intelligatur Niſi probatio in contrarium appareret: & idcircò de illo nec Epiſcopus, nec eccleſia poteſt in vita eius ſibi aliquid vendicare.

13 Taxatur autem huiuſmodi quarta iuxta Canones, nam alicubi eſt dimidia, alicubi tertia, alibi verò eſt quinta

talium

talium relictorum, vel funeralium, iuxta consuetudinem loci. Vbi verò eiusmodi consuetudo non adesset, tunc attenditur consuetudo ecclesiæ Metropolitanæ. Et si hæc nō appareat, seruanda est consuetudo vicinarum ecclesiarum: quæ si varia fuerit, attenditur ius commune, vt quarta pars relicti soluatur.

14 Notandum, quod per Rotam Romanam contra Episcopum Syracusanum resolutum est in Anno 1586. die 5. Martij. Non deberi quartam Parochialem, quoties ex priuilegio essent exemptæ aliquæ ecclesiæ, vt sunt Monasteria Clericorum Regularium, Minorum de Obseruantia, & Minimorum Sancti Francisci de Paula. Tum Ordinis Prædicatorum, vt declarauit Pius Papa V. in sua Constitutione 1570. Et postea resoluit Congregatio Eminentissimorum Interpretum. In quibuscunque autem locis soluebatur ista quarta, quæ funeralium dicitur, ante annos quadraginta, Cathedrali, vel Parochiali ecclesiæ, in ijs locis decreuit sancta Synodus Tridentina, vt & deinceps soluatur; non obstantibus concessionibus, gratijs, priuilegijs Mari Magno nuncupatis, aut alijs quibuscunq.

15 Sed etsi nihil quidem testamento quis reliquerit, sed in ægritudine constitutus, cum bonis suis ad loca religiosa se transtulerit, ecclesiæ Parochiali canonica portio debetur; modo ille de eadem ægritudine decesserit. Quod si sanus ad ea loca se transtulerit, de his quæ locis ipsis contulit, cogi non poterit aliquid ecclesiæ, à quo discessit, impertiri, quia liberum est eis, tunc bona sua non solùm Religiosis, sed etiam quibuslibet priuatis conferre.

16 Quod si quis, cuius maiores antiquitus in aliqua ecclesia sepeliri consueuerant, ea dimissa, alibi sepulturā elegerit, num dimissæ Canonica Portio debeatur, an Parochiali? Et statutum est, illi persoluendam, in qua quis audire Diuina, vel Sacramenta recipere debet. Habentis verò duplex domicilium, canonica portio diuidenda erit æqualiter ecclesijs, si in loco tertio sepulchrum eligat.

17 Notandum autem, quod virtute huius priuilegij, non soluitur quarta de candelis, nec de donatis in vita, etiamsi postea testator in illo loco pio, cui fecit donationem, sepeliatur. Hic idem procedit, si re vera esset legatum, vel donatio causa mortis, sed testator adhuc viuens adimpleuit promissum: hæc enim transiret in donationem inter viuos. Tum si quid pro fabrica, pro anniuersario, pro luminarijs perpetuo habendis, pro equis, vel armis contra infideles exercendis, pro subleuandis infirmis, aut redimendis captiuis, dotandis virginibus, vel aliàs ad perpetuum cultum Diuinum, vel particulari personæ legatur; de quibus omnibus, nisi ea machinatione facta fuerint, vt Parochialis ecclesia fraudetur, huiusmodi portio detrahenda non erit.

18 Item notandum, quod de quibus relictis Parochialis portio non detrahitur, nec Episcopalis detrahenda erit. Quæ etiamsi debeatur, non est soluenda, nisi petatur: cũ autem non petitur, & Parochus, & Episcopus tacitè remittere subintelligitur. Et satis est, vt volentes eam soluere, nulla vtantur fraude, quin illam petenti soluant: etiam quia præscriptione, seu consuetudine præscripta potest introduci, vt huiusmodi quartæ non debeantur.

TITVLVS X.

De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.

1 CEnsus appellatio generalis est, habetque varias significationes apud Artistas. *Et primo quidem* census significat, quicquid fortunarum quis habet. *Secundò significat* æstimationem patrimonij, vt sciatur quantum quis possideat, & tributi nomine Principi soluere debeat. Et talis æstimatio, seu census vulgo apud Legistas dicitur *Denumeramentum*. *Tertiò*, significat ipsum tributum ratione fortunarum, per capita, vel focularia impositum. Hinc *Censiti* in Iure dicuntur, qui censibus ad-

adſcripti ſunt, ſeu à quibus cenſus exigitur. *Quarto cenſus ſignificat*, pecuniam, ſeu penſionem, quæ annuatim ſoluitur, ratione perſonæ, vel rei: & talis penſio vocatur *Redditus*, quia redditur alteri, & redit à tempore in tempus, vt ſoluatur. Et ita hic ſumitur pro omni penſione, quæ Prælatis de eccleſiaſticis prouentibus ſingulis annis in ſignum ſubiectionis, vel alterius iuris penditur.

2 Speciali tamen nomine Cenſus hic intelligitur, qui Epiſcopo ab eccleſijs in argumentũ ſubiectionis tribuitur, & *Cathedraticum* appellatur, eò quod ad honorem Cathedræ perſoluatur. Quod tamen non debet temere imponi, niſi canonica cauſa ſuadente, & ab habente legitimam poteſtatem.

3 Conſtituitur autem Cenſus, aut fundationis tempore, aut conſecrationis, aut donationis, aut tempore immunitatis indultæ: quia veluti præter Ordinarij conſenſũ nec fundari, nec dedicari poteſt eccleſia; ita eodem tempore certum cenſum Epiſcopus ſubiectionis ſignum conſtituere poterit. Quod & Sedes Apoſtolica facere conſueuit, cum libertatis priuilegium, vel etiam quibuſdam eccleſijs protectionis indulget præſidium: cenſumque gratis oblatum ſuſcipit, & in literis Apoſtolicis ad futurorum Pontificum memoriam quantitas illius exprimitur.

4 Præter Cathedraticum verò, nullum alium cenſum eccleſijs imponere, aut veterem augere, aut partem prouentuum ſuis vſibus vendicare poterit Epiſcopus. Nec eo etiam caſu exigi aliquid poterit, cum de manibus laicorũ prouentus eccleſiaſticos eripuerit. Simplices verò Sacerdotes, nullo modo poſſunt proprias eccleſias facere cenſuales; & qui de facto id fecerit, ab eccleſia ipſa remouebitur.

5 Cæterùm, ſi non in ſuum, ſed in alterius ſibi ſubiectæ eccleſiæ commodum, & vtilitatem ſumptus aliquis requiritur, poterit Epiſcopus ex iuſta cauſa, vel nouum conſtituere, vel etiam augere, Capituli accedente conſenſu; præſertim, ſi qua de nouo conuerſa prouincia ad ali-

alicuius ecclesiæ iurisdictionem accesserit.

6 Cum verò Apostolico testimonio suffragante, congruum sit, vt à quibus spiritualia recipimus, eisdem temporalia nostra communicemus; rectissime constitutum est, vt cum Prælati Diœcesim peragrãdo diuina nobis exhibent, illi etiam à nobis exhibeantur. Et hoc vocatur *Procuratio*, id est visitãtibus Episcopis necessariorũ sumptuum exhibitio. Quam si visitati exhibere negauerint, si quam in contumaces ritè tulerit sententiam, erit inuiolabiter obseruanda.

7 Visitandi autem sollicitudo, non modo incumbit Episcopis, verùm etiam Archiepiscopis, Patriarchis, Sedis Apostolicæ Legatis, Nuntijs, Archidiaconis, & Decanis: qui quidem ne non tam diuina, quam propria quæsiisse videri possint, cautè prospicient, vt ea quæ Canonibus sacris salubriter constituta comperiuntur, inuiolabiliter obseruẽt, sine grauamine Cleri. Vnde visitando Oratoria, nullam ab eis exigent procurationem, nec alijs quibusuis exactionibus subditos suos grauare debent, sed cum charitate vbique moderatum ab eis, si manifesta extiterit necessitas, postulabunt subsidium.

8 Procurationes verò prædictas nemo nisi præstito visitationis officio iure percipiet, idq; in victualibus, non in pecunia, aut muneribus, sub pœna suspensionis, & interdicti; nisi ea quæ acceperant, infra mensem reddere procurauerint. De qua re plura emanauerunt Pontificum decreta, statuentia, quid vnusquisque Prælatus habita personæ, & dignitatis, omniumq; cautionum ratione accipere possit, alicuius officij, vel consuetudinis occasione; puta, etsi amanuensis, vel à sigillo sit.

9 Tridentinæ etiam Synodi Constitutionibus prouisũ est, ne visitatores inutilibus sumptibus cuiquam graues, onerosiue sint. Neue ipsi, aut quisquam suorum quicquã procurationis causa, pro visitatione, etiam testamentorum ad pios vsus, præter id quod ex relictis pijs iure debetur, aut alio quouis nomine, nec pecuniam; nec munus quodcum-

cumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant: non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili. Exceptis tamen victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, & non vltra, erunt administranda.

10 Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint soluere id, quod erat ab ipsis antea solui certa pecunia taxata consuetum, an vero prædicta victualia subministrare. Saluo item iure conuentionum antiquarum cum Monasterijs, alijsue pijs locis, aut ecclesijs non Parochialibus inito, quod illæsum permaneat. Quod si quisquam aliquid amplius in supradictis omnibus casibus accipere præsumpserit, is præter dupli restitutionem intra mensem faciendam, alijs etiam pœnis iuxta prædictam Constitutionem Concilij Generalis Lugdunensis, nec non, & alijs pœnis in Synodo Prouinciali arbitrio Synodi, absque vlla spe veniæ mulctentur.

TITVLVS XI.

De Decimis.

1 DEcimas à populo Sacerdotibus, ac Leuitis esse reddendas, diuina sanxit authoritas. Exodi 22. Quas si quis dederit, non solùm vbertatem fructuum recipiet, sed etiam corporis, & animæ salutem consequetur. Primitiæ verò in Veteri lege imperatæ, nunc voluntariè offeruntur Deo, de primogenitis gregis, & de primis fructibus agrorum, & arborum, in gratiarum actionem pro acceptis ab eo fructibus, & cedunt in vsum ministrorum Dei; sicut & oblationes reliquæ sponte à fidelibus præbitæ.

2 Sed Oblatio est magis generalis quam Decima: nam decima solùm respicit oblationem externam, vt ex eius definitione patebit; sed oblatio tàm internam, quàm externã oblationem complectitur. *Interna est*, dum quis offert seipsum Deo per interiorem affectum, vel etiam per actum exterio-

teriorem, vt Martyres obtulerunt ſeipſos Domino in ſacrificium laudis, & Religioſi per actum exteriorem profeſſionis, & interiorem voluntatis eidem Deo ſe offerunt. *Exterior verò oblatio eſt*, quando ex noſtris bonis exterioribus, ſiue ſenſibilibus, mediatè, vel immediatè offerimus Deo aliquid in recognitionem dominij, & excellentiæ ipſius, & ſeruitutis noſtræ adipſum.

3 *Decima autem eſt*, bonorum mobilium iuſtè quæſitorum pars Deo, eiuſque Eccleſijs in ſignum vniuerſalis dominij debita, (Et per hoc in Iure Canonico ſæpius Decima, & Oblatio pro eodem ſumitur) cuius perceptio iure communi miniſtris Dei debetur, tanquam in ſtipendium pro ſuſtentatione ipſorum ob miniſterium ſpirituale.

4 Et eſt triplex decima eccleſijs ſolui ſolita: nempe, *Realis*, quæ debetur ratione rei, vt eſt frumentum, oleum, vinum, ſaccharum, linum, canabes, & omnes alij fructus agrorum. *Perſonalis*, quæ debetur ratione perſonæ, nempe ex licita negotiatione, artificio, & hominis induſtria ſolerti. *Et Mixta*, quæ debetur ex animalibus diuerſis, in quibus fouendis, cuſtodiendis, & augendis, & res, & induſtria perſonæ conſideratur. Cæterùm, ex vſuris, furtis, rapinis, latrocinio, pyratica, lenocinio, & quouis alio modo illicito acquiſitis rebus, nec ſoluitur decima, nec ſoluta recipi debet: ne aliàs peccatum approbari videatur per miniſtros Dei.

5 Inter perſonales autem, & prædiales, ſeu reales decimas, hoc intereſt, quod perſonales illi ſolùm Parochiæ debentur, in qua quis eccleſiaſtica Sacramenta recipit, tãetſi lucrum alibi contigerit; reales verò, ſeu prædiales, ſi ex prædijs in aliena Parochia cõſtitutis fructus collecti fuerint, ei debentur eccleſiæ regulariter, in cuius territorio prædia ſunt conſtituta. Quanquam ſi conſuetudo aliud introduxerit, vt in partibus Septentrionalibus perſæpè videre eſt, conſuetudo ſeruanda erit.

6 Item ſi perſonales decimæ, quæ de rebus acquiſitis, vel factis ex pecunia decimata, vendantur, vt puta domus,

ager, vinea, molendinum, grex, aut merces quælibet, expensæ prius, quas quis in rebus parandis fecerit, deduci debent, & de residuo quasi de lucro decimæ præstabuntur. De prædialibus verò decimis impensæ non deducuntur, & fructus non nisi cum onere decimarum alienantur.

7 Illud commune tamen est, tam personalibus, quàm prædialibus decimis, quod expensæ, quæ factæ fuerint pro restaurando detrimento rerum, ex quibus decimæ persoluuntur, vt si pars aliqua moriatur armenti, vinea fiat deterior, mercis depereat, portio de prouentibus decimandis minimè deduci debet. Cuius rei illa est ratio, quod penes Dominum res instauratæ remanent.

8 Sed nec Census, nec tributa fructibus de quibus decimæ soluendæ fuerint, primitus deduci poterunt. Cum enim in signum vniuersalis dominij quasi quodam speciali titulo, decimas sibi Dominus reseruauerit, consequens est, vt in prærogatiuam dicti generalis dominij decimarum solutio censuum, & tributorum præcedat exactionem. Vel saltem hi, ad quos census vel tributa peruenerint, quoniam res cum suo transit onere, decimas soluere per censuram Ecclesiasticam compellantur.

9 Hinc statutum per Pontifices, vt de bonis quæ acquirunt Religiosi à Laicis, onus extradendarum Parochis, & alijs beneficiatis, decimarum ipsi subeant, ac omnino eas ita exsoluant sub pœnis, prout eas soluere, & extradere manipulariter laici tenebantur, priusquam illa bona seu possessiones, in manus & hæreditatem Regularium deuenirent; ne vel laici eorum exemplo deinceps scandalizentur, & decimas Ecclesijs denegent; vel ministri Ecclesiarum debita sustentatione priuati, deserant curam animarum, & administrationem Sacramentorum. Nullo igitur priuilegio, consuetudine, aut præscriptione potest induci, vt aliqui liberentur à solutione decimarum, quando ex alijs redditibus ecclesiasticis non suppetit congrua sustentatio ministris spiritualium.

10 Hinc secutum in Regno Poloniæ (vbi præcipui reddi-

ditus Ecclesiasticorum, maximè autem Curatorum in Decimis frugum sunt) quòd cum Regulares plurimas possessiones nuperrimis temporibus à laicis acquisiuissent, & nullo modo Decimas, suis priuilegijs innixi, Parochis exsoluere voluisent, ad instantiam totius Cleri, S D.N. Innocentius Papa X. causam Congregationi Eminentiss. Card. Interpretum Concilij Trid. examinandam commisit. Qui iuribus, & rationibus vtrinque examinatis, ne Ecclesiæ absque pastoribus desolatæ remanerent, Decretum de soluendis decimis per Regulares, etiam Societatis Iesu, Anno Domini 1645. die 17. Iunij ediderunt; quod in Consistorio die 31. Iulij relatum, Pontifex approbauit: & anno sequenti 1646. die 21. Feb. eade re Breue Apostolicum solemniter publicari mandauit. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac præmissis in eo non parentes, per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo: legitimisq; super his habendis, seruatis processibus, sententias, censuras, & pœnas ipsis, etiam iteratis vicibus aggrauando. Inuocato etiam si opus fuerit, auxilio biachij secularis. Cumq; nihilominus Regulares in soluendo debitas Parochis decimas obstinate se gererent, citati Conuentus Cracouiensis SS. Trinitatis, Fratres Prædicatores, per Rotam Romanam Anno 1651. iussi sunt Præposito S. Nicolai, in Suburbio Cracouiensi existenti, de bonis Promnicensibus decimas in manipulis extradere, & pro præteritis summam pecuniæ certam exoluere. Similiter Collegium Clericorum Societatis Iesu ad S. Petrum Cracouiense, cum itidem contra Breue Apostolicum proterue ageret, exq; agris hæreditatis Osmolicensis (quam paucos ante annos acquisiuerat) infra limites Duzazgouiensis ecclesiæ, eiusdem Rectori debitas decimas in manipulis extradere denegaret, Rota Romana vigore huius Breuis, & aliarum constitutionem antiquarum Regni Poloniæ, per Pontifices approbatarum, tribus conformibus Decisionibus, eidem extradēdas adiudicauit.

11 Sed quia decima, quoad eius substantiam est de iure diui-

Diuino, per quod debet ab omnibus prædia, & villas possidentibus solui: quo verò ad quotam, est de iure humano, per quod potest etiam super ea fieri compositio, vt non tantùm in manipulis, aut grano soluatur, sed etiam in pecunijs, aut alijs rebus valorem eius repræsentantibus; id tamen fieri debet cum superioris authoritate, & cautione, vt non excedat vitam componentium; eo quod laici perfractis omnium diuinarum atque humanarum legum, quæ decimas statuunt, repagulis, persoluere eas recusant; vel cum euidenti Rectorum, & Ecclesiæ damno transactiones de eis statuum, quas etiam perpetuare student, non attendentes ad carestiam & mutationes temporum. Ideo Pauli Papę V. sanctione, Pastoralem Macieiouij Cardinalis epistolam approbante, prohibitum in Regno Poloniæ est, decimas manipulares pensione pecuniaria pro perpetuis temporibus commutare. Præsentes tamen atque separatas à solo, liberum est Clericis pro suo arbitrio, cui, & quomodo voluerint vendere; dummodo æstimationem illarũ consulto, aut enormiter in damnum Ecclesiæ consequenter futurum, deteriorem non faciant. Quod Vrbanus quoque Papa VIII. cum Sinodo Prouinciali, sub Ioanne Venzik Primate Poloniæ celebrata, seruandum in praxi assidua approbauit, & præcepit.

12 Eadem ratione constitutum est, vt non solum de vino, saccaro, grano, fructibus arborum, & hortorum, decimæ persolui debeant, sed etiam de pecoribus, de venationibus, de negotiationibus, de ipsa etiam militia, & denique de omnibus bonis, & prouentibus omnibus bonis, itaut qui de his eas cum integritate soluere neglexerint, Ecclesiastica districtione percelli debeant. Soluere autem debent non tantùm Christiani, sed etiam Iudæi, & omnes infideles, licent sint extra gremium Ecclesiæ, modo agros, & bona predialia possideant: idque sub renũciatione possessionis; quod Ecclesia fuisset perceptura ab alio Christiano, qui inhabitasset in eius Parochia.

13 Vbi notandum est, quod Iudæi, & infideles omnes, prædiales tantum decimas soluere debent, Christiani verò & prædiales, & personales. Prædiales verò non tantum de agris antiquitus conseminari solitis, sed, etiam de noualibus, & pratis, vbi consuetudo & vsus à quadraginta annis est. Extatque in Regno Poloniæ Constitutio Synodales, à Ioanne XXIII. Martino V. & Gregorio XIII. approbata præcipiens Religiosis omnibus, vt decimas Ecclesijs antiquitus debitas extradant & de prædijs nouiter acquisitis, aut proprijs manibus, sumptibusue excultis, præcipue vero de noualibus & pratis soluant: nisi quis specialiter priuilegio ab ipsarũ præstatione doceatur exemptus. Et si in decimatione defraudauerint, omnes ipsis ad hoc opem, vel operam in præmissis dantes, & ipsorum seruitijs intendentes, decernuntur ipso facto excommunicationis sententiam incurrisse.

14 Sed nec semper eis priuilegium suffragabitur. Nam si res iudicata obsistat, vel priu legio muniti, decimas per quadraginta annorum spatium soluerint, cum liberũ sit vnicuique iuri proprio renunciare, præstatione tanti temporis proprio priuilegio detrahere voluisse præsumitur, & eapropter ad decimarum præstationem, tam de antiquis, quàm de noualibus agris compelli poterunt. Est autem nouale, ager nuper ad culturam redactus, pratis videlicet coaratis, aut lacubus exsiccatis, vel syluarum dumetis, vepribusque extirpatis, de quo, quod aliquando cultus fuerit, memoria non extat.

15 Item, si post initam inter aliquos super decimis conuentionem, certi temporis priuilegia obtenta fuerint, nisi conuentioni per ea derogetur expresse, illis non obstantibus erit inuiolabiliter obseruanda. Ita enim huiusmodi priuilegia sunt accipienda, vt nemini læsionem, præcipuè enormem inferre debeant. Proinde Ordinarius de eiusmodi exemptorum priuilegijs cognoscere debet, & prouidere, vt Rectores de reditibus ecclesiarũ congruè sustentari, & onera persoluere possint: puta, procurationes

Lega-

Legatorum, & Nuntiorum Sedis Apoſtolicæ, Cathedraticum, collectarum pro defenſione Patriæ, & ſimilium. Tali enim caſu priuilegium, non ſolùm redigitur ad modificationem, ſed tollitur etiam in totum.

16 Super decimis quoque non ſoluendis priuilegiati, ſi aliena prædia conduxerint, priuilegio minimè obſtante, de conductis prædijs ſolitas decimas Parochis ſuis integras perſoluent. Idemque erit de locatis prædijs, ſi priuilegiatus ſuper laboribus, quos proprijs vel manibus, vel ſumptibus excoleret, terras ſuas alijs locauerit.

17 Cum autem nulla ſit laicis de ſpiritualibus diſponendi facultas, ideò Imperator, Rex, aut Princeps abſolutus, nullam habent facultatem concedendi priuilegia ſuper decimis non ſoluendi. Immo ſacrilegij crimen incurrit, qui de manu laicorum rem eccleſiaſticam recipiet: niſi huiuſmodi immunitatum priuilegia ab Apoſtolica poteſtate obtenta fuerint. Quapropter præcipit ſancta Synodus Tridentina omnibus cuiuſcumque gradus, & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, vt eas, ad quas de iure tenentur, in poſterum eccleſijs, vel perſonis, quibus legitimè debentur, integrè perſoluant. Qui verò eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluantur.

18 Ex contrario quoque, laicus etiam à clericali poteſtate decimas recipere, & in alium velut hæreditario iure tranſmittere non poterit: & ſi ſecus actum fuerit, & qui conceſſerit à ſtatu ſuo deijcietur: & qui receperit, & eccleſiæ non reddiderit, & viuens quidem excommunicationis vinculo innodabitur, & mortuus eccleſiaſtica ſepoltura carebit. Si quis tamen, cum eccleſiæ ſuæ conditionem meliorem facere poſſit, decimarum ſuarum prouentus alicui locare velit; dummodò huiuſmodi locatio ad fæudũ, vel alienationem non videatur extendi; id facere minimè impedietur.

19 Poſtremo ſciendum, quòd veluti Parochialibus eccleſijs

clesijs (secundum ea quæ proximè apposuimus) decimæ debentur, ita etiam decimarum ipsarum quarta Episcopo à Rectoribus ecclesiarum, nisi legitima obstet præscriptio, persoluenda erit, (vna autem ecclesia contra aliam, decimas quadraginta annorum spatio præscribere potest) Romano quoque Pontifici interdum ecclesiæ decimas soluere compelluntur, si pro vniuersalis Ecclesiæ vsibus sit necessarium, vt Bonifacius VIII. sua constitutione hoc fusius declarauit, & postea addidit nonnulla Clemens V. vt ex ipsius constitutione patere potest.

TITVLVS XII.

De Rebus Ecclesiæ abalienandis, vel non.

1 QVamuis Leges Pontificiæ curent, ne Clericis facultates idoneæ ab ecclesia desint, & propterea illis prębendas suggerant; ea tamen bona Clericorũ ipsorum in dominio censeri nemo existimet, vel quòd illis possint suo arbitrio vti, & ad quoscumque vsus transferre: nam præterquam, quod supra docuimus, quibusnam vsibus sint illæ facultates destinatæ, præterea etiam cauendum est, ne alienentur, ne patrimonium Petri prodiga Prælatorum, & aliorum Clericorum libidine exhauriatur; quo facto inæstimabile damnum ecclesiæ inueheretur, si opes deinde non suppeterent, quibus subleuari possent, qui ministerijs diuinis omnem operam suam dicarunt.

2 Quapropter à Concilijs, & Summis Pontificibus diuersis statutum est, ne cui liceat alienare rem immobilem ecclesiæ, nec mancipium, neque specialis hypotheeæ titulo cuiquam addicere. Alienationis autem titulo diffinitũ est contineri *conductionem*, *donationem*, *venditionem*, *permutationem*, *&* *emphiteuticum contractum perpetuum*. Qui verò hancConstitutionem fuerint transgressi (nisi duobus principaliter interuenientibus, videlicet solemnitate, & iusta

causa

causa alienandi) Leoninæ constitutionis vigore, officio priuentur, & omne damnum illatum ecclesiæ restituant ipsi, qui contractum inierint, aut eorum successores. Tabelliones autem de alienatione instrumenta conficientes relegentur; & Iudices authoritatem alienationi præstantes, bonis, & dignitatibus priuentur.

3 In primis igitur sciendum est, nihil Episcopum regulariter, sine consensu sui Capituli, vel consilio, posse super alienatione statuere. Cum velut caput ad membra, ita sese Prælatus habeat ad Capitulum. In eo autem totius videtur esse consensus Capituli, cui & maior, & sanior fratrum accesserit sententia. Aliàs, absque clericorum subscriptione, ecclesiæ vtilitate, & Romani Pontificis cōsensu, ab Episcopo facta alienatio, vel donatio, non tenet: quia procurator tantummodo rerum ecclesiasticarum est, non dominus, & conditionem ecclesiæ meliorem quidem facere potest, deteriorem non potest. Quod si secus factū fuerit; nec quod gestum est, vires vllas sortietur, & Canonum temeratores, tam sæcularium, quàm ecclesiasticarum legum poenis subiacebunt.

4 Sed nec commissam sibi ecclesiam pro alienis grauare debitis; aut literas alicui, vel sigilla concedere, quibus ecclesia possit obligari, aliquis audere debet: alioqui nec ecclesia ad talium debitorum solutionem tenebitur; & qui id ausus fuerit, à spiritualium, & temporalium administratione suspensus erit.

5 Nec licet etiam Episcopo, vel Abbati, terram vnius ecclesiæ ad aliam vertere, quamuis ambæ ecclesiæ in eius sint potestate. Si tamen eam commutare voluerit, cum ambarum consensu hoc faciat. Et permutationes rerum ecclesiasticarum ab antecessore inconsultè factæ, à successore emendari poterunt.

6 Synodus etiam Tridentina constituit, vt omnes locationes bonorum ecclesiasticorum, quæ repræsentata pecunia in successorum præiudicium fiunt, nullatenus validæ intelligantur in ipsorum successorum præiudiciū, quocumque

cumque

cumque indulto, aut priuilegio non obstante. Nec, vt huiusmodi locationes in Romana Curia, aut extra eam confirmentur, concedit. Ac locationes rerum ecclesiasticarum etiam authoritate Apostolica confirmatas, eadem Synodus irritas decreuit, quas à triginta annis citra ad longum tempus, seu, vt in nonnullis partibus ad viginti nouem, seu bis viginti nouem annos factas, Synodus Prouincialis, vel deputandi ab ea in damnum ecclesiæ, & cõtra canonicas sanctiones contractas fuisse iudicare debent.

7 Debita tamen à prædecessore suo pro ecclesiæ necessitate contracta, soluere successor proculdubio tenebitur, est enim quasi hæres ipsius, & in vniuersum ius ecclesiæ succcedit. Debet tamen in hoc casu probare creditor, pecuniam in vtilitatem ecclesiæ versam. Idem si clericus de mandato fideiusserit; aut si non de mandato, in rem tamen ecclesiæ mutuum verterit. Alias ecclesia tenetur solum illud refundere, in quo est meliorata, non autem quantum esset expensum. Quod intellige, quando particularis, qui contraxit, nullam habebat administrationem, vel peculium.

8 Excipiuntur tamen nonnulli casus, in quibus donãdi, permutandi, locandi libertatem, fæudum, & emphiteusim dandi, aut aliter alienandi iure licentia conceditur. Nã si quid Prælatus non magni valoris alicui fortè ob benemerita donauerit, præsertim suadente consuetudine, iure sustinebitur donatio. Multo magis idem erit statuendum, si quid forte soli ad Ecclesiæ fabricam erigendam concessum fuerit; quo casu tantum donare licet, quantum Ecclesiæ parietes concludere possunt.

9 Idem iuris erit, & de redditũum, fructuumque venditionibus, ad tempus modicum faciendis. Et de precarijs, quæ quandoque de Ecclesiarum possessionibus fieri solent, quæ ne temporis longinquitate iuris Ecclesiastici pereat memoria, de quinquẽnio in quinquenniũ renouãdę erũt.

10 Distat autem precarium à precaria, quia precariũ tamdiu

tamdiu conceditur, quoad is qui concessit patitur. Precariæ vero non sunt pro voluntate concedentium reuocãdæ, sed elapso tempore assignato ad vtendum, nisi sint irrationabiles; quo casu poterit successor à prædecessore concessam precariam rescindere & reuocare. Differtque precaria concessio à donatione, quia donans sic dat ne recipiat, concedens verò precario, dat recepturus retro cum sibi libuerit, (iusta tamen ex causa) etiamsi precariam concessionem habens finito vtendi termino assignato, continuauerit possessionem per longissimum tempus.

11 Ruinæ quoque, quas Ecclesia reficere non valeat, & inculta prædia, aut extirpatæ syluæ in emphyteusim sub anno censu his concedi poterunt, à quibus vel suo, vel parentum suorum sumptu constiterit extirpatas. Nisi forte possint alijs ad maiorem Ecclesiæ vtilitatem, cum eodem onere conferri. Qui tamen si per biennium in solutione canonis cessauerint, nisi celeri satisfactione postmodum sibi consulere studuerint, iure expelli poterunt.

12 Terrulas etiam ac vineolas exiguas, & Ecclesiæ minus vtiles aut longe positas, vel domos quæ Ecclesiæ plus incommodi, quam vtilitatis afferunt, si necessitas fuerit, distrahendi potestatem Episcopus habet. Simili ratione fugitiuos seruos, & qui de fuga reuocati teneri non possunt, si voluerint, aut illi ex alio meruerint, Episcopis distrahendi potestas erit.

13 Item feudum à vassallo alienatum, & difficilis recuperationis potest Episcopus alteri sub conditione recuperandi concedere; sed vt in feudum ab Ecclesia recognoscat. Quinimmo etiamsi talis necessitas non immineat, nihilominus alienantis filium, vel consanguineum, vel eiusdem feudi consortem potest Episcopus inuestire: nam licet delictum patris priuet filium feudo, tamen illum non inhabilitat ad feudum, vt veniat iure successionis. Idem erit si per obitum vasalli feudum ad Ecclesiam remeauerit: nam & eo casu inuestire Prælatus alium liberè poterit; si Ecclesiæ viderit expedire. Si verò Ecclesia tempore

primæ conceſſionis feudi erat diues, &;nunc ſit depauperata, tunc Prælatus res ſolitas concedi in feudum, infeudare amplius non poterit.

14 Illud etiam Toletano Concilio definitum reperitur, quod ſi ſacerdotes aliquid Eccleſiæ ſuæ relinquunt, vel nihil habentes, aliqua prædia, vel familias Eccleſijs ſuis acquirunt, liceat eiſdem aliquos iuxta collatæ modum rei de familia eiuſdem Eccleſiæ manumittere illa conditione, vt manumiſſi cum peculio, & poſteritate ſua ſub Eccleſiæ remaneant patrocinio. Quod ſi qui nihil de proprio Eccleſiæ contullerunt, libertati ſeruos Eccleſiæ donare auſi fuerint, ex eodem Conciliò, Epiſcopus ſucceſſor ad Eccleſiæ ius reuocare poterit. Impium eſt enim, vt qui lucrum de rebus ſuis Eccleſiæ non contulit, damnum inferre valeat.

15 Princeps autem ſupremus poteſt rem ſuam æqualem, vel maiorem, (ſi cauſa probabilis id popoſcerit) cum Eccleſiaſtica re permutare, pragmatica ſuper hoc præcedente forma; Eccleſiaſtica tamen mancipia quæ frui fuerint, præterquam ad libertatem commutari non poterunt.

16 Epiſcopus quoque duarum ſuæ Diœceſis Eccleſiarum, terras inuicem, ambarum partium accedenre conſenſu, iuſta ex cauſa, permutare poterit; & ſi alterius partis prædium valore præponderet ad æqualitatem inducendam ab altera parte pecuniam refundi iubebit. E contra res ſuas Eccleſiæ ad inuicem permutare ſine ſuperioris licentia non poſſunt. De temporalibus autem ad ſpiritualia permutatio conſiſtere non poteſt; quia ſpiritualia gratis conferri debent, ac ob id abhorrent omne genus conuentionis.

17 Præterea, & ſi quis per tempora ſacris Canonibus definita, rem eccleſiaſticam iuſto titulo & bona fide ita poſſederit, vt nullo tempore rei conſcentiam habeat alienæ, completa præſcriptione, res poſſeſſa à iuribus Eccleſiæ, dubio procul intelligitur eſſe auocata. Prouentus tamen Primitiarum & Decimationum præſcriptione tolli

non

non poterunt,quamuis eas poſſidendi ius ab Epiſcopo laici haberent, quia alieno nomine eas poſſident. Et etiamſi à Romano Pontifice laicus aliquis ſuper his reſcriptum impetrauerit, ſi poſſeſſionem interuertere voluerit, incipiet ſtatim malæ fidei poſſeſſor eſſe, & ita non poſſet eas præſcribere.

18 Cum igitur ex ſupra dictis appareat, ne eccleſiaſticis quidem perſonis licere eccleſiaſticas res alienare, quo deteſtabilior eſt iudicanda Principum ſecularium temeritas; qui falcem in meſſem alienam inijcere, reſque eccleſiaſticas prophanis, ſacrilegiſque manibus contrectare, eaſque iure ſuo, quaſi earum domini ſint,alijs donare non dubitarint;atque ita egentium Clericorum aut Monachorum ſubſtantiam rapere: vel, qui ab eis hæc petere auſi fuerint: quippe hoc modo tentata irrita eſſe omnia ex Cõcilio Lugdunenſi iubentur. Hocque impium, & temerarium hominum genus à communione Eccleſiæ excludi.

19 Sed & Sacroſancta Trident. Synodus, in hanc rem ſub Pio IV. vigilantiſſimè animaduertit,vt ſi quis Clericorum, aut Laicorum, quacumque is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali præfulgeat, alicuius Eccleſiæ, ſeu alicuius ſecularis aut regularis beneficij, Montium Pietatis, aliorumque piorum locorum iuriſdictiones, bona, cenſus, ac iura etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcunque obuentiones, quæ in miniſtrorum & pauperum neceſſitates conuerti debent; per ſe, vel per alios, vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas, Clericorum aut Laicorum; ſeu quacumque arte, aut quocumque quæſito colore, in proprios vſus conuertere, illoſque vſurpare præſumpſerit: ſeu impedire, ne ab his, ad quos iure pertinent, percipiãtur;is anathemati tamdiu ſubiaceat, quamdiu iuriſdictiones, bona, res, iura, fructus & reditus, quos occupauerit, vel qui ad eum quomodocumque etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ peruenerint, Eccleſiæ, eiuſque adminiſtratori, ſeu beneficiato integrè reſtituerit; ac deinde à Romano Pontifice abſolutio-

nem obtinuerit. Quod si eiusdem Ecclesiæ Patronus fuerit, etiam iure patronatus vltra prædictas pœnas eo ipso priuatus existat.

20 Clericus verò, qui nefandæ fraudis, & vsurpationis huiusmodi fabricator exstiterit, seu consentiens, eisdem pœnis subiaceat; necnon quibuscumque beneficijs priuatus sit: & ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur: & à suorum ordinum executione, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem, sui Ordinarij arbitrio suspendatur.

TITVLVS XIII.

De Peculio Clericorum, Relictis, & Successoribus eorum.

1 TRactatum de rebus ecclesiasticis temporalibus, & earum administratione, concludere volentes, necessario debuimus tractare, etiam de rebusq uas Clerici acquirunt; vel per contractum, vel per vltimam voluntatem: & quomodo eas ab obitu suo disponere poterunt, cum bona reperta penes Clericum præsumantur esse Ecclesiæ: nec omnibus permissum est facere testamentum, & peculium suum successoribus legare. Ecclesiasticas autem res intelligimus non modò quas Ecclesiæ rationibus Sacerdos comperit adscriptas, sed etiam eas, quas ipse em rit, cum tempore suæ promotionis nihil haberet.

2 Cum igitur Clericus pauper ad Ordines promotus, de bonis Ecclesiæ acquisiuisse præsumatur, quicquid habuerit, ne quando ius ecclesiasticũ imminuatur, curabit vt de his, quæ superemerit, & ad ipsius Ecclesiæ nomen scripturam conficiat, & moriens Ecclesiæ relinquat: alioqui ab eius ordinatione discedat. Qui verò prætextu proprij, vel alieni nominis fraudem facere voluerit, sacrilegij nomen incurret, vt Iudas, qui sacras oblationes asportabat & furaba-

rabatur. Quo exemplo & Episcopus res, quas Ecclesiæ occasione post consecrationem acquisierit, propriæ Ecclesiæ relinquere tenetur. Quod si verò acquisierit nomine proprio, ex re proprij matrimonij, tunc iam non Ecclesiæ acquisiuit, sed sibi, vel cui voluerit legare. Similiter, si Prælatus acquisiuit ex industria, aut gratia Principis: Sacerdos verò ex aliquo licito artificio (puta, pingendo imagines, scribendo libros, construendo organa, horologia, citharas) tunc iam eo casu non acquiritur Ecclesiæ, sed hæredi.

3 Sed si quispiam pro anima, intuitu Ecclesiæ, Sacerdoti reliquerit, censetur relictum esse Ecclesiæ. Congruit enim, vt quemadmodum Sacerdos habet, quod Ecclesiæ dimissum est, ita & Ecclesia id habeat, quod relinquitur Sacerdoti. Siquid tamen per fideicommissum, aut Sacerdoti, aut Ecclesiæ, relictum fuerit, alteri postmodum profuturum, id inter ecclesiasticas facultates computandum non erit. Generaliter autem bona quælibet ob Ecclesiam acquisita Sacerdotibus, siue mobilia, siue immobilia, post illorum obitum debent apud eandem remanere, nec super his vllum testamentum fieri poterit.

4 Nomine autem Ecclesiæ, vbi Clericorum est Collegium, non Episcopus, vel morientis Clerici successor, sed congregatio communis intelligitur, quæ rerum illarum curam, & canonicam debet habere distributionem. Vbi autem in locum defuncti vnus tantùm substituendus erit, in ea bona, velut & alia dispensabit.

5 Licet autem Clerici, nec de mobilibus ipsi testamentum conficere possint, cõsuetudinis tamen est non improbatæ, vt de his pauperibus, & religiosis locis, atque his qui viuenti seruierint, siue sint consanguinei, siue extranei, aliqua iuxta seruitij meritum conferantur; non testamenti ratione, sed eleemosynæ duntaxat intuitu. Item, si tantundem de proprij iuris facultate contulerit Ecclesiæ, quantum de ecclesiasticis bonis legauerit ad pia opera & eleemosynas, legatum sustinebitur.

6 De his verò, quæ vel paternæ successionis, vel cogna-

gnationis intuitu, seu consanguineorum, vel amicorum munere, respectu non habito ad Ecclesiam, ad Clericos peruenerint, liberè testari poterunt Idem si ex aliquo condecenti artificio Clericus lucraretur, vt superius attigimus; puta, si lecturam assumeret; vel prædicationem; si libros ederet & à Patronis muneraretur; si alicuius Magnatis filium institueret, & pręmio cōdigno honoraretur: si donatione, legato, pensione, aut successione aliquid assequeretur, vel artificio aliquo, personalique industria acquireret. Quod si verò Clerici decesserint intestati, nec aliqui fuerint inuenti, qui iure cognationis ipsis succedere valeant, si ingenuis gaudeant natalibus, in integrum tunc Ecclesia succedet, nec cuiquam ex rebus eorum aliquid præsumere licebit. Aliud si egentes essent, & paupertate pressi.

7 Si verò seruus ad sacros Ordines promotus libertatem nactus fuerit, idemque postea decesserit intestatus, nihil olim dominus de bonis eius vendicare poterit; sed eius peculium in quatuor partes diuidetur: quarum vna Episcopo, altera Ecclesiæ, tertia pauperibus assignabitur, quarta parentibus. Et si non sint capaces parentes, Episcopus eam recipiet, & in vsum Ecclesiæ diligenter distribuet.

8 Et quia hic de Testamentis & vltimis voluntatibus Clericorum tractamus, sciendum est, Testamentum esse, iustam sententiam voluntatis de eo, quod quis post mortem suam facere voluerit. In quo condendo, quamuis leges ciuiles maiorem testium numerum, nempe septem requirant; Ius tamen Canoicum ea quoque testamenta recipit, quæ coram proprio presbytero, & duabus vel tribus alijs personis idoneis facta sint, & executionem eis concedit, omni consuetudine reiecta, quæ maiorem testium numerum desideraret.

9 Item hoc iure, qui extremam voluntatem suam in alterius dispositionem confert, non videtur intestatus decedere: quamuis ius ciuile absurdum existimat eiusmodi dispositionem in alienum arbitrium conferre. In iure attamen Pontificio non minus executionem ad pias causas,

quam-

quāuis per verba enunciatiue ad aliud prolata scriptū sit.

10 Et quia *in Testamentis hæc tria communiter fieri solent.* Hæredis videlicet institutio, Legata, & Fideicommissa: sciendum est, quòd sine institutione hæredis testamentum nullum esset, quia hic debet legata & fideicōmissa exequi. Legatum itaque est, donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præstanda: præstarique debet etiam nudis verbis relicta. Fideicommissum verò est duplex, aliud singulare, & aliud vniuersale. *Vniuersale est*, cum hæres de restituenda hæreditate, vel eius parte rogatur. *Singulare autem est*, cum singulas res quis alij restituere grauatur, vt fundum, hominem, vestem, argentum, pecuniam numeratam. Si igitur hæres nimium legatis grauatus fuerit, vel fideicōmissis particularibus, legis Falcidiæ beneficio, vel de fideicommissis vniuersalibus, Senatus consulti Trebelliani ope detrahere vel supplere: in his tamen quæ ad pias causas relicta sunt, Falcidia cessat.

11 Et quamuis leges sæculi hoc habeant, vt hæres ad soluendum cogatur, si author eius rem legauerit alienam, lége tamen Dei, qua secundum ius nostrum in primis viuitur, iniustum videtur, vt res, quæ alienæ sunt, à legatario teneantur. Idcirco in omnibus pijs voluntatibus per locorum Episcopos prouidendum est, vt secundum defuncti voluntatem vniuersi procedant, executoresque testamentorum huiusmodi, absque vllius iniuria, bona ipsa fideliter & plenè in vsus pios erogent. Quod si verò executor monitus intra annum piam Testatoris voluntatem exequi neglexerit, Episcopus ipse has partes supplebit.

12 Non omnibus autem permissum est facere testamentum. Nam religiosus quilibet, & Prælatus monasterij, qui tria substantialia professus sit vota, scilicet paupertatem, obedientiam, & castitatem, testari non potest: quia sicut seruus simpliciter acquirendo acquirit domino, ita Prælatus incapax, etiamsi nomine suo proprio acquirat, acquirit Ecclesiæ.

13 Item hæreticus (cum nihil habeat, bonaque omnia

sua

ſua fiſco debeantur, etiamſi poſt mortem tantum eius labes detecta, ſit) merito factionem teſtamenti non habet. Nec etiam publicus vſurarius; niſi præſcriptam à lege cautionem præſtiterit. Nec ſeruus. Nec furioſus; niſi cũ habet lucida interualla. Nec mentecaptus. Nec mutus: Nec ſurdus à natura: ſecus ſi ex accidenti, & ſcribere ſciãt Nec qui articulatè hæredis nomen exprimere neſcit. Nec impubes, videlicet maſculus minor anno quartodecimo, fæmina duodecimo. Nec filius familias, niſi de peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi. Nec prodigus, poſtquam ei bonis à iudice interdictum eſt. Nec qui damnatus ad mortem naturalem, vel ciuilem, fuit. Nec qui ad perpetuum carcerem, ſiue Clericus ſiue Laicus, damnatus eſt. Nec de ſtatu ſuo dubius & incertus. Nec apud Paganos captiuus. Nec criminis læſæ Maieſtatis reus. Nec damnatus ob crimen famoſum. Nec qui vtroque lumine orbatus eſt; niſi formam quandam à iure traditam obſeruet. Nec is denique, quem publicè notum eſt excommunicatũ eſſe.

14 Sed non omnes tamen ſupradicti, ad pias cauſas teſtari prohibentur, ſed hi tantum, quibus ideo teſtamenti factio adimitur, quia iudicium non habent; vel quia nihil proprij habere poſſunt, vel in aliena poteſtate ſunt. Ad prius exemplum pertinet furioſus, mentecaptus, prodigus, impubes. Ad poſterius, ſeruus, religioſus, hæreticus, reus læſæ maieſtatis, captiuus, & ſimiles.

15 Ab inteſtatis verò Clericis, illud quod venit applicandum fiſco, non applicatur fiſco Papæ, ſed Epiſcopo loci, vt diligenter diſtribuat ad vſum Eccleſiæ: quia Epiſcopus & Clericus tenentur arctiſſimo vinculo charitatis & miſericordiæ, erogare ſuperfluum Eccleſiaſticorum in vſus pios, & egenorum ſubleuationem. Sed iam reſtat, vt videamus de Iudicijs.

LIBER QVINTVS.

De Iudicijs Ciuilibus, ad forum Ecclesiasticum spectantibus.

TITVLVS I.

De Diuisione Iudiciorum.

1 EXplicito tractatu personarum altioris gradus in Ecclesia Dei libro primo, & inferioris gradus libro secundo: itemque rerum Ecclesiasticarum spiritualium libro tertio, & rerum secularium libro quarto: restat iuxta partitionem initio factam, tractare de Iudicijs Ciuilibus prius, quorum materia est ampla, & admodum diffusa, postmodum de Criminalibus, deque Censuris deinceps Ecclesiasticis, illa perstringentibus. Sed hoc sequentibus libris. Modo videndum est, quid sit Iudicium, vnde sic dicitur, & quomodo inter se diuidatur.

2 *Iudicium itaque*, prout hic sumitur pro instantia causæ discutiendæ, *est actus legitimus trium personarum in iudicio contendentium*, videlicet, Actoris, Rei, & Iudicis. Diciturque iudicium, quasi ius dictum; quod veteres inquisitionem appellabant; iudiciorumque auctores, præpositos quæsitores. Quod quidem nomen inquisitionis adhuc retinemus in ea specie iudicij criminalis, in quo iudex procedit ex officio.

3 Diuisio autem iudicij est trifaria in iure Canonico. Prima desumpta à materia & potestate. Secunda à qualitate iudicis. Tertia denique ab ordine procedendi. Humanum etenim genus, non tantùm legibus, sed etiam potestate regitur: hinc ius Ciuile originaliter dependet à potestate Cæsarea: & ius Canonicum à potestate Pontificia. in tantumque Clerici sunt ab ecclesiastico iudice iudicandi, vt nec Papa subijcere possit Clericos potestati seculari.

4 Atque hinc, *prima diuisio iudiciorum hæc est*, quòd aut sunt secularia, aut ecclesiastica. *Iudicia secularia sunt*, quæ coram iudice laico inter personas seculares exercentur. *Ecclesiastica verò sunt*, quæ coram iudice ecclesiastico inter personas ecclesiasticas agitantur. Et sicut ciuilium non nisi ciuilis esse debet executor dependens à potestate Imperiali seu Regia: ita etiam ecclesiasticarũ iudex est administrator dependens à potestate Pontificia.

5 Sunt tamen casus plurimi, in quibus iudex Clericus cognoscit inter laicos, & è contra laicus inter Clericos: & tale iudicium vocatur mixtum, vbi agitur de re quæ participat de vtroque: videlicet, in causa matrimonij, vsurarum, periurij, sodomiæ, decimarum, pupillorum, viduarũ miserabilium, sortilegiorum, *hæreseos*, blasphemiæ, & omnes aliæ controuersiæ, quæ aliquando oriuntur inter Laicos & Clericos, considerando quis gerat personam rei cõuenti, & rem ipsam quæ in iudicio est proponenda: quia semper actor sequitur forum rei, & qualitatem obseruet negocij.

6 Semper autem est competens ecclesiasticus iudex inter laicos vbicumque agitur de materia peccati: & vbicumque delinquitur contra miserabiles personas, quæ semper sunt sub protectione Papæ & Episcoporum. Similiter vbi delinquitur cõtra libertatem & immunitatem ecclesiasticam, & vbi iudex secularis non potest prouidere, aut non auditur in iudicio, spectat ad iudicem ecclesiasticum declarare peccatum, & res determinare, inhibere, atque etiam punire, si delictum est punibile de iure Canonico, vel de iure Ciuili & Canonico simul. Et tunc erit mixti fori, & præfertur ille qui præuenit.

7 Habent igitur Clerici priuilegium, ne coram iudice laico conueniri valeant, cui non potest vllo pacto renunciari, aut priuatorum consensu iuramentoque illicito derogari. In iudicem tamen non suum, si is persona sit ecclesiastica, & Episcopi Diœcesani consensus accesserit, Clerici consentire poterunt. Sed in laicum arbitrum nequaquam

com-

compromittere poterunt, etiamsi renunciassent foro cum consensu & licentia proprij Episcopi. Episcopus enim non potest delegare laico criminales causas Clericorū, etiamsi essent simul delegati Clericus & Laicus; quia ille laicus adhuc nō posset cognoscere: nec posset verberare seu torquere Clericum, etiam accedente mandato Episcopi, quia adhuc incideret in excommunicationem.

8 Potest tamen Episcopus delegare laico causam ciuilem Clericorum, sed circa potestatem imponendi censuras. Et Pontifex potest in priuilegium concedere Principi laico (quod tamen sine maxima causa facere non debet) cognitionem certarum causarum inter Clericos: non verò certorum Clericorum: quia per illud verbum Domini, *Nolite tangere Christos meos*, sunt exempti à potestare seculari.

9 Regulariter tamen receptio Clericatus, beneficij, vel seruitij in Ecclesia post delictum commissum, nihil proficit assumenti, ad effectum exemptionis à iudice seculari; & sic ab ipso poterit puniri absque eo, quod delinquens fori priuilegio gaudet. Dummodo constet ipsum ordinem ecclesiasticum suscepisse in fraudem, vt se eximeret à iurisdictione seculari. Secus tamen si constaret absque vlla fraude post commissum delictum aliquem assumpsisse Clericatus ordinem, quia huiusmodi ordo eum liberat à iurisdictione iudicis secularis. Nam laicus iudex quoquomodo Clericum condemnaret, ab Ecclesia, cui iniuriam irrogasse noscitur, tamdiu sequestrandus erit, quousque reatum suum cognoscere emendet.

10 Dubitari tamen cōtingit, si iudex laicus delinquentem captum detineat, & is se Clericum asserens ad Curiam ecclesiasticam remitti postulet; vel illum Curia ipsa ecclesiastica tanquam Clericū repetat; si iudex laicus illum esse Clericum inficiatur, & propterea minimè remittendum contendat, quis sit huius dubitationis legitimus futurus iudex? Et cum de re ecclesiastica & spirituali sit controuersia ad iudicem ecclesiasticum huiusmodi cognitio pertinebit. Iudex tamen secularis, vel alius, cuius intersit,

dum res huiusmodi cognoscitur vocandus erit.

11 Sed si notorium fuerit, vel fama publica extiterit reum captum talem esse Clericum, qui huiusmodi priuilegio gaudere debeat, aut ipse pro Clerico communiter habeatur; statim ante vllam de Clericatu cognitionem ecclesiasticæ Curiæ restituendus erit. Idem dicendum est, si ante deprehensionem pro Clerico publicè se gerens tõsuram & clericales vestes deferens deprehensus fuerit: donec enim contrariũ constiterit, talis, qualem eum demonstrat habitus, præsumendus erit.

12 Aliud obseruandum: si antequam deprehenderetur, publicè se pro laico gerebat, & quasi laicus communiter habebatur: nam quanquam deprehensionis tempore in habitu Clericali repertus fuerit, ob præsumptionem, quæ aduersus captum ex præcedenti laicalis habitus delatione orta est, non antea restituendus erit, quam de Clericali titulo fidem fecerit. Interim tamen quiuis processus iudicis penitus conquiescet.

13 *Secunda iudiciorum diuisio est.* Quòd quædam sunt ordinaria, & quædam extraordinaria siue delegata. *Iudicium ordinarium est*, quod corã iudicibus ordinarijs exercetur. Ordinarius verò iudex est, qui suo iure, vel superioris beneficio vniuersalem iurisdictionem exercere potest, vt Episcopus, Archiepiscopus, Legatus, & similes. Constituitur autem à Lege, à Principe, Consuetudine, vel Vniuersitate. *Extraordinarium siue delegatum iudicium est*, quod coram iudice delegato exercetur. Iudex verò delegatus est is, cui ab eo, qui demandare potest, causa committitur.

14 *Tertia iudiciorũ diuisio est*, quod quędam sunt Summaria, quædam ordinaria & solemnia. *Summaria sunt*, in quibus subtili & solemni ordinis iudiciarij obseruatione prætermissa proceditur. Vt sunt causæ electionũ, postulationũ, prouisionum, matrimonij, vsurarum, decimarum, beneficiorum: item in causis hæresis, & similibus; in quibus nec solemnis libelli porectio, nec litis contestatio est necessaria: sed simpliciter de plano, sine strepitu ac figura iudiciali

ciali proceditur. Itaque de his iudex etiam tempore feriarum, ob hominum necessitates indultarum cognoscet, & litem, dilationes amputando, exceptiones dilatorias & frustratorias repellendo, quanto poterit faciet breuiorem; prout hæc duabus Clementis luculentissimis Constitutionibus latius continentur. *Iudicium verò Ordinarium & solemne est*, in quo exquisito & solemni iuris ordine seruato proceditur: vt puta, libellum porrigendo, litem contestando, & alia faciendo, de quibus infra latius visuri sumus.

15 Sciendum autem est, quòd tam in seculari, quàm in Canonico iudicio, siue ordinariè siue extraordinariè procedatur, & siue summariè siue solemniter in terminis ordinarijs causa discutiatur, aliud est iudicium Ciuile, & aliud Criminale. *Ciuile est*, cuius finis respicit priuatum cõmodum: & de hoc libro præsenti tractabimus. *Criminali est*, quod publicum interesse, vindictamque publicam respicit; & de hoc infra libro sexto tractabimus, cum aliqua adhuc ad iudicium delegatum pertinentia titulo sequenti tradiderimus.

TITVLVS II.

De Iudicijs Delegatis.

1 CVM Episcopus in tota sua Diœcesi iurisdictionem ordinariam à Summo Pontifice sibi traditam noscatur habere, poterit in quolibet loco suæ Diœcesis non exempto, per se, vel per alium pro tribunali sedere, & ea quæ ad ipsius spectant officium libere exercere; & cum opus fuerit, auxilium publicum, si non habet iurisdictionem temporalem, implorare. Hinc statim collige, quod non solum Princeps Supremus, aut Papa, sed etiam alij Ordinarij possunt ad bonum publicum iurisdictionem mandare. Is tamen, cui ab Imperatore, aut Papa mandatur, cæteris longè præstat. Nam & alteri ex causa subdelegare (nisi illius electa fuerit industria) renitentemque compellere, & propriam sententiam exequi, & con-

contra ipsum Ordinarium procedere potest; quæ in cæteris delegatis non obtinent.

2 Non tamen in ciuili iudicio (secus autem in causa criminali) alterutri parti, vt coram se personaliter compareat, iudex à Principe delegatus, iubere poterit, nisi vel mandatum ad hoc speciale receperit: vel nisi pro veritate dicenda, vel pro iuramento calumniæ exhibendo; vel alia iuris necessitas partes coram exigat specialiter præsentari.

3 Sed nec omnibus promiscuè vices suas demandare poterit, delegatus Papæ, sed illis duntaxat, quibus auctoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel Legatorum eiusdem causæ committuntur: hoc est, non nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, vel Ecclesiarum cathedralium Canonicis. Licet alias extra iudicium simplex religiosus possit esse Commissarius Papæ.

4 Potest autem vnà cum pluribus delegari: sed si in rescripto non fuerit adiecta clausula. *Quod si omnes interesse nequiuerint, vel voluerint, reliqui exequantur:* Nisi simul omnes coniunctim processerint, quidquid aliqui fecerint, nullam iuris habebit efficatiam, non solum quoad sententiam definitiuam, sed etiam quoad interlocutorias. Quod si verò is, qui interesse non potest, coniudici, vel alij vices suas commiserit, perinde res accipienda est, atque si omnes simul procedant.

5 Aliud iuris est, si illud adiectum sit, Nam nec impeditorum Collegarũ subdelegatos admittere cogendi erunt; & quod pars illorum fecerit, ratum habendum erit. Hoc tamen ita demum obtinebit, si reliquis procedere volentibus, quosdam interesse non posse, vel omnino nolle legitimè constiterit: alioqui procedentes nihil agent.

6 Porrò, vno illorum commissum negotium inchoante, alij vlterius se intromittere non poterunt, nisi aut infirmitate, aut alia iusta causa, illi qui causam tractare inceperit, contigerit impediri: aut idem nollet, vel dolo malo in eo procedere recusaret; tunc poterit alius, vel alij procedere. Non sic in procuratoribus datis in solidum,

quia

quia vno occupante & postea impedito, alij non possunt procedere; nisi dictum fuisset in Constitutione, quod non fieret melior conditio occupātis. Iurisdictio verò per vnū, viuo mandatore, perpetuata, quod omnes condelegatos iudices perpetuata intelligitur.

7 Sed siue vni, siue pluribus: siue à Principe, siue ab alio mandata fuerit iurisdictio; mandati forma diligenter custodienda erit, nec aliquid contra quam sibi mandatum fuerit, delegatus sibi tentare audebit. Quia potestas delegati à voluntate delegantis in mandato contenta regulari debet: quæ voluntas delegantis, vel alterius constituentis cognosci non potest, nisi vel ab ipsamet scriptura, vel à natura rei in mandato contentæ, quia declarare aliquid contingit aliquando expresse, & aliquando virtualiter.

8 Planè iurisdictionem impedientes, vel in iudicium venire detrectantes, delegatus à Papa ecclesiastica districtione, etiamsi literæ commissionis id non contineant, coercere potest. Vel pro delicti, & causæ qualitate secundum arbitrium suum, si certa pœna Canonibus non exprimatur, mulctare: quia ex eo, quod alicui causa committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenam recipiet potestatem.

9 Rationabiles quoque & honestas excusationes, à iuris æquitate non abhorrentes, licet id expressè mandato non contineatur, admittet. Nisi quod nullæ debeant exceptiones admitti, litteris expressum fuerit.

10 Sed etsi literas aduersus Albertum ab Apostolico impetraueris, & is, vt mandatum eludat, antequam literæ ad iudicem datum perueniant: vel etiam postea antequam citetur, de possessione, de qua controuersia vertitur, communicationem fecerit, eum qui in possessionem se se ingesserit delegatus cogere, vt coram se iuris pareat æquitati, nec quod rescriptum contra Albertum impetratum fuerit, opponi poterit: generaliter enim omnis venditio, cessio, alienatio iudicij mutandi causa facta, vtroque iure prohibetur. Alias delegata iurisdictio ad personas rescripto

non

non comprehensas, etiam ipsis volentibus prorogari non potest.

11 Simili ratione statutum est, vt is, per quem ab Apostolica Sede, certo loco inquisitio, vel quid aliud expediri mandatur, ob illius potentiam, vel malitiam, contra quem inquiri vel procedi mandatur, vel fautor eius, eo loco secure mandatum executioni mandari nequeat, ad id exequendum locum securum, & idoneum eligere valeat, ne quis scilicet ex proprio dolo vel fraude cõmodum reportet. Quinimò idem faciat, si alia probabilis causa subsit, propter quam in loco decreto perfici commodè nequeat, quod mandatur, ne tali prætextu impediri cõtingat mandatum Apostolicum, vel differri. Si autem delegatus Ordinarij in loco exequi non potest, insinuet Ordinario, qui super hoc prouideat, vel expressè committendo eidem, quod extra locum statutum id prosit, vel alio modo. Iam autem quia nõ sic de facili à delegato Papæ per vniuersum Orbem recurritur ad Papam, sicut ad Ordinarium de prouincia, vel diocesi; ideo delegatus Papæ excusatur, cum statim loco commodo mandata Papæ exequitur.

12 *Soluitur autem delegatio multis modis*, puta, reuocatione, morte, impotentia delegati, executione sententiæ, propria renunciatione, temporis fluxu, excusatione delegati, & aliquando eiusdem suspensione, & similibus modis, qui vel à natura mandati oriuntur, vel à qualitate causæ delegantis & delegati.

13 Reuocatione soluitur delegatio, cum is, qui mandauit iurisdictionem, antequam is cui mandata fuerit, ea vti cœperit, mandatum reuocat. Cum eo casu iurisdictio in eum efficaciter transisse non censeatur: siue illa reuocatio fuerit facta expressè, siue tacitè. Quod si iam iudex delegatus vti sua delegatione cœpisset, necesse est vt ei reuocatio intimetur, vt processus coram eo factus non teneat.

14 Morte autem extinguitur delegatio, tam eius qui mandauit, si re integra decesserit, quam etiam eorum, qui delegationem susceperunt. Quod quidem adeo obtinet, vt

vt si pluribus iudicibus datis, vnus rebus eximatur humanis, delegatio etiam quo ad superstites expiret: nisi aliud in delegatione comprehensum fuerit; aut sub dignitatis nomine non proprio, facta fuerit. Quia tunc mortuo eo, qui est in dignitate constitutus, iurisdictio transit in successorem etiam re integra.

15 Et quia mors & absentia æquiparantur re integra, idcirco si ab Apostolica Sede datus iudex quoties eum abesse contigerit, vices tibi suas commiserit, & interim rebus humanis eximatur ipse, tu commissum tibi negotiũ libere poteris definire, si illo viuente iurisdictione vti cœperis, non secus ac si is viueret & abesset. Idem iuris est, si tibi vices sub ea forma committat, donec eas reuocandas duxerit.

16 Sed etsi delegatus mortuus quidem non fuerit, ita tamen impediatur, vt omnino delegationis negotio interesse non possit, extinguitur delegatio. Impedimentum autem intelligitur, tam iuris, quàm facti. *Iuris*, vt si infamis factus, excommunicatus, vel suspensus, aut alio legitimo impedimento detentus fuerit. *Facti*, vt si ineuitabili necessitatis articulo, puta infirmitate, præpediatur; aut captus à barbaris in seruitutem deducatur.

17 Idem iuris est, si delegatus à Principe, per se, vel per alium, sententiam executioni mandauit, vel mandari præcepit. Tunc enim eius iurisdictio cessat: quia semel est officio suo functus, Quod si mandauit per alium, & non est paritum, ipsemet postea exequetur. Et ideo per sententiam solam non videtur iudex officio suo functus, nisi & exequatur. Vnde iudex delegatus habet iurisdictionem post definitiuam intra anum integrum: post annum verò secus; nec potest iam exequi sententiam suam. Et propterea non potest iudex delegatus absoluere excommunicatum à se, nisi intra annum. Nisi esset appellatum à sententia, vel ab excommunicatione: quia tunc annus non currit, & potest absoluere post annum.

18 Quod si verò iudex delegatus interloquendo, pronun-

nunciauerit se super aliqua causa procedere non debere, esseque se iudicem ad hoc incompetentem, vsque adeo iurisdictionem amittit, vt etiam ex litigatorũ consensu illam reassumere non possit. Si verò pronunciat se competentem, & non appellatur, sententia transit in iudicatum, & acquirit iurisdictionem, & valet iudiciũ coram eo, quamuis in veritate non esset iudex competens.

19 Sed & cum causa intra certum terminum deducenda committitur, termino transacto mandatum expirat: nisi tempus communi partiũ consensu prorogatum fuerit. Terminus autem tunc incipit currere, cum iudicis literas recepisse contigerit.

20 Non absimili ratione constitutum est, vt si quis Apostolicas literas impetrans intra annum, postquam iudicum copiam habuerit, dolo, vel negligentia eis vti distulerit, auctoritate posteriorum literarum, quas postea forsan eius aduersarius impetrauerit, conueniri valeat: licet in posterioribus nulla mentio de prioribus habeatur. Alias non data impetratione secundi, valet primum rescriptum perpetuò.

21 Recusatione quoque extinguitur delegatio, quod eo casu accidit, quo iudex datus, altero litigatorum petente, ob probabilem aliquam suspicionis causam, à iudicio remouendus pronunciatur: vt puta, si iudex datus dicatur dominus litigatorum aut consanguineus, aut aduocatus, aut cum altero immodicam contraxisse familiaritatem: aut ab eodem in alia causa partem appellasse: aut nondum iudicem ad legitimam ętatem peruenisse: aut aliquo alio modo excusasse, quia materia recusationis iudicum latissimè patet. Semperque extinguitur delegatio, cum iudex datus suspectus postulatur & pronunciatur. Vnde sciendum est, quod iudex allegatus suspectus & recusatus nulliter procedit, quando recusatio facta est legitimè, videlicet dato libello recusatorio coram ipso recusato, cum specificatione causarum recusationis, & petitis arbitris confidentibus, coram quibus obtulerit se probaturum

turum dictas causas. Alias recusatio non releuat.

22 Dominus quoque, vt diximus, habens iurisdictionem in subditum, si fiat ei inimicus, & vassallus protestetur, & appellet, etiam extra iudicium coram honestis personis, eximitur à iurisdictione, & non potest Dominus contra eum procedere, siue sit laicus, siue ecclesiasticus.

23 Recusationis autem causa variè cognoscitur, ne contra vnum ex duobus ab Apostclica sede delegatis suspicionis causa proponatur, si quidē illa clausula apposita sit. *Quod si ambo interesse non possunt, alter in causa procedat*, coram non recusato coniudice expedienda erit. Vbi verò non est dicta clausula in rescripto, debet super hoc ad arbitros recursus haberi, prout Gregoriana Constitutione latius continetur. Cum autem delegatus Episcopi recusatur, recusationis causa coram Episcopo probanda erit, licet coram ipso, qui recusatur, sit alleganda.

TITVLVS III.

De Procuratoribus.

1 EXpositis generibus iudiciorum, consequens nunc est, vt videamus, per quas personas illa exerceri possint. Et quia non solùm per nosmetipsos solemus in iudicijs litigare, verum etiā per procuratores nostros aut Syndicos; ideo titulo præsenti adnotabimus, quid, & quotuplex sit procurator, qualis eius auctoritas, & quomodo finiatur. Itemque an vnus, vel plures esse possint; vel qui procuratores esse non possint.

2 Cum autem secundum Canones omnes, administrator communiter vocetur Procurator, propterea hic propriè Procurator intelligi debet, qui aliena negocia mandato Domini, vel quasi Domini, administrat. Syndicus verò, est vniuersitatis seu communitatis alicuius defensor & procurator.

3 Porrò procuratorum duæ sunt species. Alij enim

dantur ad iudicia. Alij ad negotia extra iudicium explicanda. *Primus* non poteſt alium ſubſtituere, niſi poſt conteſtationem litis. Non poteſt eſſe minor viginti quinque annis, nec furioſus; nec ſurdus, nec mutus, nec accuſatus de crimine, ſeruus, excommunicatus: vel conſtitutus ab excommunicato. Nec Clericus in quolibet gradu conſtitutus quoad ciuiles cauſas, niſi pro miſerabilibus perſonis. Nec Regularis, niſi in caſu ſui Monaſterij iubente Prælato. *Alter*, vocatur etiam Oeconomus & Actor, & poteſt ad certa negotia alium ſubſtituere, quandocumque ei opus viſum ferit; quamuis ipſe nondum ſit in ætate matura, vt latius infra patebit.

4 Poteſt autem ad iudicia, non ſolùm Paterfamilias, verùmetiam filiusfamilias, nullo intercedente Patris conſenſu, fieri procurator, ſi legitimam ætatem compleuerit. Licet enim quis poſt decimum ſeipſum annum procurator ad negocia licitè conſtituitur: ad iudicia tamen, vt ſupra diximus, niſi maior viginti quinque annis fuerit, conſtitui non poterit.

5 Aliud tamen iuris eſt in principali: nam ſi is ad quartum decimum ætatis annum peruenerit, in cauſis beneficialibus, & alijs ſpiritualibus, nec non ab eiſdem dependentibus, ad agendum, defendendumq; per ſe, vel procuratorem, perinde admittendus erit, atque ſi vigeſimum quintum ætatis annum natus eſſet. Nec vlla patriæ poteſtatis, vel voluntatis erit habenda ratio: quamquam alias regulariter filiusfamilias, ſine Patris aſſenſu in iudicio eſſe non poſſit.

6 Nominatim verò filiusfamilias abſq; Patris aſſenſu, in ijs rebus, & cauſis in iudicio verſari non poteſt, in quibus Pater habet vſumfructum. In quibus verò non habet vſumfructum, & prouiſionem ſuam ad vitam, poteſt filiusfamilias agere, & procuratorem conſtituere abſque Patris conſenſu: prout in caſtrenſi, & quaſi caſtrenſi. In cauſa verò criminali, nedum ſine conſenſu Patris conſtituere procuratores, & agere poteſt filiusfamilias accuſando, ſed

etiam

etiam Patre contradicente; licet contrarium nonnullis videatur.

7 Quod si quartum decimum annum natus non fuerit, in huiusmodi causis, nec agere, nec defendere per se poterit: sed vel per Episcopum, vel eiusdem Officialem, ad has lites, curator sibi dandus erit. Vel si maior infante fuerit, cum auctoritate alterius eorundem procuratorem constituere poterit.

8 Quin etiam Sedis Apostolicæ delegatus, vel ab eodem Subdelegatus, ad eas duntaxat causas, quæ coram ipso ventilandæ fuerint, vel procuratorem dare, vel procuratoris instituendi auctoritatem prestare poterunt. Constitui autem poterit non solùm Clericus, verùm etiam laicus qui nullum pœnitus habeat ordinem, nec sit ecclesiastica persona. Regulariter enim omnis qui non prohibetur ad procuratoris officium idoneus habetur.

9 Possunt autem & plures in vna causa constitui procuratores, & vnus. Si tamen duo simul, non adiecto, quod in solidum sint procuratores, constituantur, vnus sine altero non admittetur. Sicut si sint in solidum constituti, tunc enim illius melior erit conditio, qui per litis contestationem negotium primus occupauerit. Et dominus litis factus alterum excludet, nisi constituens dixerit, quod occupantis conditio melior esse non deberet. Tunc enim si eum qui occupauit, aut legitimè impediri contingat, aut prosequi fortè nolit, poterit alter negotium ab alio inchoatum suscipere, ac perficere, dum tamen ab alio alius non fuerit substitutus.

10 Sed siue vnus sit procurator, siue plures, fines mandati diligenter custodiendi erunt, vsque adeo, vt si generaliter quis ad omnia, etiam speciale mandatum exigentia constitutus procurator fuerit, ex vi generalitatis huiusmodi ad aliquem articulum, in quo mandatum speciale exigitur admitti non debeat; nisi clausulam generalem, quorundam articulorum, speciale mandatum exigentiam subsequatur expressio, puta transactionis, & iusiurandum

dum deferendi. Tunc enim & non expressos casus mandatum complectetur.

11 Crimina tamen, vel defectus in persona electi, vel eligendi, siue eius cuius fauore, vel facienda, vel iam facta est prouisio, nec huiusmodi generalitatis, vel expressionis obtentu, opponendi facultas competit; nisi super hoc aliud mandatum habeat. Nam huiusmodi generale mandatum grauiora, vel maiora quam in ipso procuratorio sint expressa, non complectitur.

12 Sed & illud non est omittendum, quòd licet procuratori ad negotia liberum sit alium quandocumque cõstituere, vt paulò supra attigimus: Iudiciario tamen procuratori minimè id concedi; nisi aut lis fuerit intestata, vel in rem suam datus sit, vel à Domino substituendi fuerit concessa facultas: quo casu etiam non expressam personam poterit in procuratorem eligere. Aliud enim videtur esse, si post litem à Domino contestatam fuisset quis datus procurator, quia tunc non posset substituere.

13 Non tamen in omni iudicio procurator interuenire potest. In criminalibus enim causis, neque accusator, nec accusatus, nisi per seipsos impetere vel defendere permittuntur: nisi vel ab illustri propulsanda sit iniuria: aut rei contumacia sit excusanda: vel contra accusatorem sit excipiendum: aut de leui crimine tractetur: aut si de graui agendum sit, ciuiliter agatur.

14 Sciendum autem, quòd licet procurator regulariter constitui soleat aliquis idoneus amicus, non omnes tamen ad procutationis officium temere admitti debent. Ideo Episcopus & vniuersi Sacerdotes, cum ad solam Dei laudem, piorumque operum actiones sint constituti, ab huiusmodi ministerio excludendi erunt. Imò, nec tanquã principales possunt, vel debent interuenire, nisi fortè per procuratores. Seruos enim Dei pacificos, & ab omni discordia auersos esse oportet.

15 Idem quoque obtinet in Monachis: nam illos, cum mundo mortui solitariam vitam degere profiteantur, à forensi

renſi ſtrepitu ac litigijs ſummoueri conuenit. Planè Monaſterij exigente vtilitate vel neceſſitate,& Abbatis accedente imperio, ad procurationis officium accedere minimè prohibentur. Præſertim ſi monaſterium ob paupertatem non habet vnde ſalarium commode ſoluere procuratori poſſit. Nomine vero lites exercentes, videntur quodammodo eſſe infames.

16 Poſtulandi quoque officium Clericis, qui ſtipendijs ſuſtentantur eccleſiaſticis, coram ſeculari iudice, in ſecularibus negotijs interdicitur (niſi propriam cauſam, vel Eccleſiæ ſuæ proſecuti fuerint: vel niſi vrgente neceſſitate pro coniunctis, aut miſerabilibus perſonis poſtulare velint: quod tamen gratis & ex pietate facere debent.) Quia dedecus & opprobrium Clericalis dignitatis eſſet, ſi Clerici ſe ingererent diſceptationibus forenſibus: & aliter faciens debet deponi, vel excommunicari, poſt trinam admonitionem Epiſcopi; vel vnicam Synodi Prouincialis.

17 Hi verò, qui excommunicationis vinculo innodati ſunt, non ſolùm procuratorio nomine iudicio intereſſe non poſſunt, verùm etiam nec proprio. Actore tamen impugnante, excommunicato reo legitimę defenſionis copia non eſt adimenda. Et quamuis cogatur procuratorē dare ad defendendum, non tamen poteſt eum dare ad agendū. Similiter non eſſe repellendum procuratorem vniuerſitatis alicuius ex eo, quod maiores illius & iurati, qui regunt prędictam vniuerſitatem, tempore quo iniunctum fuit procurationis officium, erant excōmunicationis ſententia innodati. Niſi vel illi ipſi excommunicatì in literis procurationis eſſent expreſſi, vel alias eorum auctoritate procurationis inſtitutio facta fuiſſet: aut ipſa vniuerſitas excommunicationis cōſcientia ſimul cum eis eundem procuratorem conſtituiſſet.

18 Tandiu autem durat quis procurator, quamdiu is qui eum conſtituit, reuocat: ſiue expreſsè, ſiue etiam tacitè. Vnde ſi tu Petrum ſimpliciter procuratorem conſtitueris, iſque in iudicio procuratorio nomine eſſe cœperit; dein-

deinde si tu, siue ante litem contestatam, siue post, ad causam ipsam venias, non vt ipsi assistas, sed vt causam eandem tractes; tractando causam Petrum procuratorem reuocare censeris. Nisi quod non animo reuocandi facias, vel expresse professus fueris; vel ex aliquibus appareat cõiecturis.

19 Sed si eundem Petrum, sub ea forma: *Quoties te abesse contigerit, procuratorem constitueris:* & postmodum per teipsum causam tractes, non proprerea tamen procuratorem reuocare videris. Quinimmo Petrus quandocumque abesse te contigerit, procuratoris assumet officium. Hæc autem de reuocatione domini intelligenda sunt. Nam si à procuratore tuo, alius procurator legitimè substituatur post mandatum susceptum, etiamsi eo substitutus vsus non fuerit, ab illo reuocari (nisi etiam potestas reuocandi fuerit eidem concessa) non potest.

20 Sed si cum ad plures, vel ad omnes causas Petrum generaliter procuratorem constituisset, is in vna, vel altera substituerit, in reliquis procuratoris officium execere minimè prohibetur. Quod si ignorante iudice, vel aduersario, post contestatam litem mandatum reuocatum fuerit, ratum esse debet iudicium, in quo quis post ignoratam reuocationem quasi procurator versatus fuerit.

21 Non sic tamen in matrimonio statuitur: nam si procurator ad contrahendum specialiter constitutus, antequam contrahat, à domino reuocatus fuerit, contractum postmodum matrimonium, licet tam procurator, quàm ea cum qua contraxit, reuocationem huiusmodi penitus ignorauerint, nullius momenti penitus existet; cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nõ potuit. Idem censendum licet Dominus iurauerit non reuocare vel pœnitere; quamuis periurus sit, & de eo debeat sibi pœnitentia imponi.

22 Quod si scientibus iudice & parte mandatum reuocatũ fuit, & nihilominus est in iudicio processum per procuratorem reuocatum, tam alia acta, quàm ipsa sententia

nullum

nullum afferet domino præiudicium. Cum falsi procuratoris exceptio non solùm ante sententiam, verùm etiam posteam possit obijci, qua probata iudiciũ prorsus nullum redditur.

23 Non idem iuris statuetur in eo, qui absens procurator constitutus, præsentatum sibi mandatum suscipere nolle dixerit. Is enim refutatione huiusmodi nequaquam obstante, quamdiu constituens in eadem voluntate perstiterit, ad libitum mandatum accipere poterit.

24 A literis, vel instrumento, quibus te aliquis in causis suis procuratorem constituens pro te debito modo cauit, simpliciter nulla facta protestatione, à te scienter, receptis, non potes postea recusare illius defensionem: imò cogi poteris illum defendere in omnibus causis & negotijs, ad quæ prædicta instrumenta seu literæ se extendunt: cum per hoc ad omnia tuum præstitisse videaris assensum. Secus si ignorares quid cõtineretur in instrumento vel literis, nec enim ignorans vel errans consentire videris.

25 Denique morte constituentis desinit quis esse procurator, quod interdum obtinet, etiam re non integra. Nam si Prælatus, vel Rector, te pro beneficio suo, vel Ecclesia procuratorem constituat, & tu viuente illo litem cõtestatus fueris, aut negotium aliter attigeris, post mortem tamen illius, etiam quo ad cœpta procurator esse desinis. In causa tamen pia, quia in illa mandatum morte mandantis non finitur etiam re integra, potest mandatarius adimplere mandatum mandante mortuo. Similiter procurator vulnerati ad pacem faciendam constitutus, pacem facere potest post mortem vulnerati. Prout etiam non soluitur morte mandatum, vbi principalis satisdedisset pro procuratore. Nec procuratorium mandatum expirare morte domini, quando procurator effectus est dominus litis.

TITVLVS IV.

De Pactis, & Transactionibus.

1 QVia litis euentus persæpe solet esse incertus, ideo partes metu iudiciorum concordiam spectant, & interdum veniunt ad pacta & transactiones, aut ad arbitros & cõpromissa. De pactis & transactione titulo præsenti dispiciamus; de arbitris verò, & conuentione per compromissum, videbimus titulo sequenti.

2 *Pactum igitur est*, nomen generale, comprehendens in se omnem conuentionem seu contractum. Specialiter verò pactum vel pactio à paciscor dicitur, & est, duorum pluriumue in idem placitum seu consensus ad aliquid faciendum, vel dandum. Et eiusmodi consensus seu pactum inter quoscunque quacumque de initum, regulariter debet suam habere firmitatem: neque enim quisquam (vt diuinum monet oraculum) ea, quæ de labijs suis procedunt, irrita facere debet.

3 Diciturque pactũ quandoque nudum, & quandoque vestitum. *Vestitum dicitur sex modis*: primo re: secundo verbis stipulando: tertio scripto: quarto consensu; vel in societate, mandato, emptione, venditione, vel locatione, in quibus non requiritur scriptura vel præsentia, sed sufficit consentire per se, vel per nuncium, aut scripturam. Quinto, cohærentia contractus: puta, quod vendidi tibi domum cum pacto, quod morer in ea per annum. Quod quidem valet, quia vestitur cohærentia contractus venditionis, alias esset nudum. Sexto, interuentu rei, puta, si promisi tibi facere aliquid, vt faceres mihi vel dares aliud: vnde statim cum dedero tibi sponsum, vestitur pactum ex parte mea, ideoque interuentu eius obligatus es mihi ad promissum. *Nudum verò pactum dicitur*, quando non vestitur aliquo prædictorum, sed meris & puris finibus conuentionis. v. g. Promisi tibi dare centum sine aliqua interroga-

tione

tione præcedente, vel chirographo & huiusmodi, & consentis; alias si non consentires, non esset pactum, sed pollicitatio.

4 Tantæ igitur firmitatis pacta esse debent, vt Apostolicis etiam indultis derogare possint. Inde cùm monasterio ab Apostolica Sede libera sepultura cõcessa esset, pactumq; esset cum Rectore Parochialis Ecclesiæ, ne parochiani ipsius ad sepulturam reciperentur. Responsum est, in dicto monasterio sepeliri eligentes, obstante conuentione, voti sui fieri non posse compotes. Sed quia pactum inter Ecclesias non debet nocere alijs non paciscentibus, ideo eiusmodi pacta nõ seruantur hodie post designationem quartæ funeralis per Concilium Tridentinum.

5 Eodem etiã spectat, quod pactum à filia, dum nuptui traditur, cum patre factum, vt dote contenta, ad bona paterna nullum habeat regressum, si iuramento firmatum sit (licet lege ciuili improbetur) seruari debet, cum tale pactum non vergat in æternæ salutis dispendium. Quod si seruatum in animæ tendat detrimentum, quia fortè fit pactum de re turpi, veluti quod post mortem Titij Clerici, Seius in beneficio succedat, vel aliter de iure, vel de facto sit impossibile; nullam inducet obligationem.

6 Transactiones quoque similem iuris firmitatem obtinent, vsque adeò, vt iuribus omnibus, quæ partibus, aut obtentu præscriptionis, aut priuilegij, seu quocumque modo suffragari poterant, vires adimant. Est autem sciendum, quod transactio est de re dubia, & lite incerta, & nec dum finita, non gratuita pactio; sed aliquo dato, vel retento, vel promisso. Vnde dicitur transactio, quasi transitio actionis, eo quod transiens ab actione transit & discedit. Et differt à pacto & compositione, quia illa fieri possunt amicabiliter, nullo dato vel retento; hæc autem dato aliquo, vel retento, vel promisso.

7 Intelligendum tamen transactiones tenere, quæ non sunt iuri contrariæ. Alioqui, si aut super re sacra, litigiosa, aut in causa matrimonij interpositæ sint, nullum robur

obtinent. Scut & ob metum trasitio facta non valet: quod dicendum est & de omnibus contractibus metu reuerentiali mariti, patris, domini, vel Prælati factis, minis interpositis. Similiter transactio facta super re iudicata, non valet: sicut & per nouam repertionem instrumenti rescinditur, maximè quando instrumenta essent de solutione.

TITVLVS V,

De Arbitris.

1 ARbitri dicuntur propriè, qui nullam potestatem à lege habentes, consensu litigantium in iudices eliguntur, in quos compromittitur, vt eorum sententie stetur. Possunt autem in arbitros eligi & illi, qui legitimam potestatem habent in partes, siue ordinariam iurisdictionem exercentes, siue delegatam; modo in eos concorditer compromittatur.

2 Sed serui, monachi, & religiosi cuiusuis ordinis seu societatis, arbitrium in se recipere non possunt. Ad hos enim quies, oratio, lectio, & manuum labor, non autem causarum spectat cognitio. Similiter hæretici, apostatæ, schismatici, infideles, & excommunicationis vinculo ob delictum proprium innodati, arbitrorum in se officium assumere non poterunt.

3 Sed nec in laicum de re spirituali compromissum fieri potest. Si tamen is, aut Clerico sit adiunctus, aut Apostolica authoritate comptomissum susceperit, arbitri partes exequi minimè prohibetur.

4 Fœminæ quoque licet illæ summæ opinionis existant, ab omni iudiciali examine vsque adeo sunt separādæ, vt ex illarum sententijs nulla pœna aduersus illius contemptores, nullaque pacti exceptio oriatur. Nisi regionis probata consuetudo talium munerum, participes illas redderet: quod tamen intelligendum est de mulieribus præcellentibus, habentibus dignitatem, vt sunt Abbatissæ habentes iu-

iurisdictionem ; & Reginæ, quarum principatus pertinet ad virum ; vel quæ proprium principatum habent, & sunt iure communi munitæ. Cæteri verò, quos neque sacrorum Canonum, nec secularium legum statuta specialiter arcent, omnes ad tractanda arbitria admittendi erunt.

5 Sicut autem ij,quos supra recensuimus arbitria exercere prohibentur, ita etiam reperiuntur quidam, qui non possunt compromittere: & causæ quædam natura sua sunt eiusmodi, vt super illas non possit compromitti. Quia illa quæ sub compromisso continentur, debent esse in nostra potestate, quod nonnullis causis & præsertim criminalibus non contingit. Et qui compromittunt, necesse est vt sui iuris sint,quod non omni conditioni hominum conuenit. Nam & causæ nonnullæ,quæ in iudicio examinantur, licet pertineant ad nos, non tamen sunt in nostra potestate: & personæ quæ litigant, non semper sui iuris esse possunt: proinde videtur necessarium in iudicio examinare, quæ causa sit compromittibilis, & qui compromittere possint. Pleræque enim causæ arbitrorũ notionem effugiunt, nam liberales, matrimoniorum, filiationum, monachorum, conuersionum, in integrum restitutionum; item criminales, & quæ maiores iudices exigunt, per arbitros cognosci non possunt.

6 Quod autem dictum est de matrimonijs, compromitti non posse, de carnalibus intelligendum est: nam quod de spirituali matrimonio compromitti possit (secundum ea quæ supra dicta sunt) nulla est dubitatio.

7 Finiuntur autem arbitria, vel sententiæ prolatione (cum ista sit compromittentium intentio) vel temporis lapsu, vel denique morte. *Sententiæ prolatione finiuntur arbitria*, cum de omnibus, de quibus cõpromissum fuerit arbiter pronunciauit. Nam si de quibusdam tantùm sententiam tulerit, nisi talem pronunciandi potestatem à partibus habuerit, compromissum non expirat. *Lapsu temporis expirat arbitrium*, cum terminus compromisso comprehensus re infecta labitur. *Mortis denique interuentu compromissa*

irri-

irritantur, tam arbitrorum, quàm etiam litigatorũ. Compromissum enim in compromittentis hæredes non extenditur: nisi de his quoque specialiter caueatur.

8 Lapso autem termino, possunt eum partes prorogare; licet arbiter non cogatur in se compromissum assumere, quando per eum non stetit, quominus pronunciaret in primo termino.

9 Ita si in plures arbitros compromissum fuerit, morte vnius tantùm expirat compromissum: nisi expresse cautũ fuisset, quod non deberet expirare. Similiter diu absente arbitro, vel expirat compromissum, vel ab alijs coarbitris, si ita cautum, sententia expectatur.

10 Sed an, quod dicitur hic de ipso compromisso, obtineat etiam in actis gestis coram arbitro, scilicet vt eorum virtus expiret vna cum compromisso? Et dicendum videtur, quod quædam sunt acta litis, vt citatio, litis contestatio, satisdatio, & similia: & ista pereunt vna cum compromisso, sicut quando perit instantia iudicij. Quædam verè sunt acta causæ, puta attestationes, partium confessiones, & similia concernentia merita causæ: & ista non expirant, etiam quod expiret compromissum non solùm morte, verùm etiam alio quocumque modo. Idem intelligas de effectibus compromissi productis de præterito, nam non extinguuntur. Vnde si fuerit coram arbitris interrupta præscriptio per contestationem litis, vel alio modo legitimo, non expirat ille effectus expirante compromisso. Sed iam ad cœptum iudiciarij ordinis propositum festinemus.

TITVLVS VI.

De in Ius vocando.

1 CVM itaque partes neque pactionibus, neque transactionibus, neque compromissis ad aliquam concordiam venire queunt, recurrendum erit ad Iudicem, qui imprimis habere debet Notariũ, per-

personam publicam & iuratam, qui vniuersa acta iudicij conscribere debet, ne falsitas præiudicet veritati, cum vel iudex ipse in euidens partis damnum aliquid inique proloquitur, vel pas aliqua calumniosè in causa procedit, & litigator veram negatiuam contra huiusmodi assertionem probare ostendereque non posset. Quare iudex non habens notarium iuratum, aut duos viros idoneos & probatos, qui conscriberent acta, tam in ordinario, quam in extraordinario iudicio, per Superiorem debita pœna puniri debet.

2 Omnium autem iudiciorũ instituendorum principiũ & fundamentũ sunt citationes, sine quibus omnia, quæ aduersus absentes in omni negotio aut loco aguntur, viribus carent. Nam neque naturalis, neque ciuilis ratio quemquam indefensum iudicari permittit. Quicumque igitur cum altero, iudicio contendere voluerit, ante omnia curare debet aduersarium ita moneri, vt sese coram iudico exhibere teneatur.

3 Et cum contumacia sit punibilis, sciendum est quod interdum ex quatuor capitibus redditur citatio elusoria, & is qui in ius vocatus fuerat, vocationi de se factæ parere non compellatur: scilicet ex personarum qualitate, loci conditione, temporis ratione, & forma citationis.

4 *Personarum qualitas inefficacem reddit citationem*, tam ius dicentis, quam etiam in ius vocati. Nam si te is in ius vocet, quem tibi iudicem non esse competentem manifestum sit, dubio procul ad comparendum vocatio talis te minimè coarctabit. Si tamen contigerit eum, qui legitimè citatus fuerit, alterius postmodum fieri iurisdictionis, quasi præuentus ius reuocandi forum non habebit; sed cogitur vsque ad finem persistere, etiamsi mutauerit forum. Idem iuris est, si iudex quidem tuus sit, ex eo tũ te mandet vocari, vt in iudicio cum spoliatore tuo stare compellaris: nec enim antea comparere cogeris, quam ad omnia canonice restitutus fueris.

5 Licet igitur in omni negotio & causa citationem esse necessariam sciamus, reperiuntur attamen nonnulli casus

in quibus aliqua citatio non exigitur. Et primus eſt, vt iam attigimus, cum tractatur de eijciendo à poſſeſſione iniuſtum notorie poſſeſſorem, quia ipſo minimè vocato eijci poteſt. Secundus, quando citandus eſt præſens in iudicio, quo caſu citatio aliqua non requiritur. Tertius caſus erit in debitore ſuſpecto de fuga: in quo fiunt duo ſingularia, vnum quod proceditur ad capturam perſonæ, & eſt realis citatio. Alterum verò, quod recipere teſtes, vt poſſit capturam cõmittere, abſente & non citata parle, fieri poſſunt. Quartus caſus eſt in ſententia ſupremi Principis, in quo nulla requiritur citatio, vt volunt DD. Quintus caſus eſt, quando eſt commiſſa cauſa, vt procedat ſecundum ſuam conſcientiam, quia eo caſu partem citare non tenetur. Sextus caſus in executore Apoſtolico, qui citare partem aduerſam non tenetur; quia cum ſit merus executor non procedit per via diſceptationis. Septimus caſus eſt, cum notoriè conſtat iudici, citando aliquam defenſionem non ſpectare, ac nullum ius ei competere. Octauus caſus eſt, in caſibus in quibus non requiritur cauſæ cognitio, quia in eis nulla citatio eſt neceſſaria.

6 *Ex qualitate verò loci citatio non arctat ad comparendum*, cum aut incertus eſt, aut citantis non ſubeſt iuriſdictioni. Idem etiam dici poterit, ſi citandus extra iudicis territorium moram trahere comperiatur. Tunc enim ius dicenti impunè non paretur. Quemadmodum & ſi locus citationi deſignatus peſtilens ſit, aut alias prò citato male tutus.

7 *Temporis etiam ratio vitiat citationem*, ſi vel inter anguſta nimis tempora iudex iuſſerit adeſſe, vel diebus feriatis in honorem Dei. Quamuis enim non prorogare, ſed expedire deceat quæſtiones; vſque adeo tamen his diebus iudiciorum ſtrepitus debet conquieſcere; vt niſi vel neceſſitas cogat, vel pietas ſuadeat, conſentientibus etiam partibus proceſſus habitus non teneat. Secus ſi fuiſſet dictum, compareat vſque ad talem diem, quia licet illa dies eſſet feriata, tamen poteſt comparere ante diem feriatam: vel ſi res tempore ſit peritura, tunc ob hominũ neceſſitates acta

cuncta

cuncta tenent etiamsi feriæ indultæ fuerint, si de partium processerint voluntate, vel si causa miserabilium sit personarum: nec enim in operibus misericordiæ est habenda dierum distinctio. Hinc illi versus.

Nec faciunt causas festis tractare diebus.
Pax, scelus admissum, manumissio, res peritura.
Terminus expirans, mora testis abesse volentis.
Cumque potestati patriæ ius filius exit.

Ita quoque proceditur in causis fiscalibus & publicis, & in omnibus actibus voluntariæ iurisdictionis.

8 Iam verò multum interest, delegatus ne citet, an ordinarius. Ille enim cum aliena vtatur iurisdictione, longè remotus, non nisi literis commissionis suæ tenorem continentibus, & intra certa spatia, quem vocare poterit. Et cum propriũ non habeat auditorium certum huiusmodi literis locum, vbi se citatus exhibere valeat, designare illum oportebit, cum in ordinario nulla subsit huiusmodi necessitas.

9 Item in delegato quæri potest, si peremptoriè partes is citauerit, & earum altera (die data) sese absentat contumaciter, an saltem circa vltimã diei partem sit in negotio procedendum: & vtrum, si duxerit expectandum, sit iterum citandus contumax. Et in hac specie multum interest, duret iurisdictio post peremptorium terminum, an expiret. Primo enim casu, in diem alteram æquitate suadente iudex expectare poterit: nec propterea peremptorio elapso pars contumax citanda erit: nisi gratiam eidem facerit benignitas iudicantis. Posteriore verò, ne frustra iudicialis instantia euanescat, si pars cum id nouerit, sese iudici non prę́sentauerit, hora, qua congrue procedi possit ad exequendũ, propter quod eis legitimè terminũ perẽptorium assignauerit, ad executionẽ libere procedere poterit.

10 Aduerte, quod licet iudex possit parcere contumaci in præiudicium alterius, in ferendo sententiam tempore constituto, nõ tamen potest ei parcere in expensis & sumptibus, alioqui ipse de suo restituet expensas. Quapropter

 cita-

citatus pro certa die, hora tamen non determinata, debet comparere hora, qua congruè possit iudex incipere & finire actum incumbentem: nam secundum qualitatem actus tacitè videtur hora diei præfixa mane, qua iudex non solum potest, sed solet iudicare.

11 Iudex quoque in citatione peremptoria det congruum tempus & dilationem ad comparendum: nam de iure communi fiunt tria edicta, quorum quodlibet durat decem diebus; ita quod currunt triginta dies ad cõparendum. Si tamen citatus tardè arripiat iter, non excusabitur ob impedimentum post tarditatem contingens. Alias poterit ex legitimo impedimento non comparere, sed nihilominus debet mittere ad iudicem ad faciendam fidem de impedimento legitimo, vt puta, si facto aduersarij impeditus, aut ad maius tribunal vocatus, vel vinculis, bello, aut infirmitate detentus, aut alijs similibus causis implicatus non accesserit, & tunc excusabitur. Qui tum cessante impedimento, quanto potuerit citiùs iudici sui copiam facere debet.

TITVLVS VII.

De Dolo & Contumacia, & in Possessionem missione.

1 CVM *iuridice vocatus, nulla legitima causa impeditus*, sæpèsepius non intendat, nec velit comparere in iudicio, sed dolo & fraude subtrahit se à iudicis sententia & proximo interim infert damnum, & molestiam propterea aduersario accusante contumacię: crimen committit, & multiplici pœna per iudicem puniri solet.

2 Est autem dolus in homine duplex; scilicet bonus & malus. *Bonus dolus*, est licitus, & sumitur pro solertia seu indole bona, qua quis ingeniose iuuat proximum suum, & seruat eum indemnem ab iniuria seu violentia aduersarij.

Do-

Dolus malus autē est, omnis calliditas, fallacia, & machinatio ad circumueniendum & decipiendum alterum. Et calliditas quidem cōmittitur in animo tantum, tacendo quæ in præcustodiam alterius dicenda erant; v.g cum venditor domus aut fundi, tacet coram emptore onera, seruitutes aut obligationes domus vel fundi illius quem vendit. Fallacia verò fit mentiendo in verbis, cū rem aliquam vendit dicendo esse suam propriam, quam tamen alij furto nuperrime abstulerat. Machinatio demum fit & arte verborum & occulta insidiatione operis, cum intentione nocendi; quando videlicet rem sibi prohibitam & alienam vsurpat falsificando scripturas, inuadendo fraudulenter vt vim occultet, & protrahendo litem, vt illa saltim fruatur diutissime, si iudicis sententia eam restituere cogatur, & non se sistit foro, & propterea incidit in contumaciam.

3 *Contumacia itaque est*, delictum fictum, commissum ex inobedientia erga iudicem, seu Prælatum, & æquiparatur dolo, quia occultè intendit per id damnificare seu deludere aduersarium. Quapropter varie iuribus coercetur & punitur, nunc litis damno, nunc mulcta, nunc expensarum refusione, nunc rei sequestratione, atque demum Ecclesiasticæ sententiæ innodatione. Quia de iure naturæ & diuino tenemur obedire Superioribus legitimè constitutis, dicente Apostolo. Obedite superioribus vestris; &c.

4 Nota, quod licet contumacia delusorium sit crimen interdum capitale, (præter quod semper est peccatum mortale) nihilominus non est deueniendum in ea ad pœnā excommunicationis, iuxta doctrinam Concil. Trid. nisi cum non potest aduersus reos, realis, vel personalis executio fieri.

5 Sed illud videtur ordinarium esse, vt contumace aduersario tuo existente, in possessionem earum rerum, de quibus quæstio vertitur, vel quæ alias sunt in patrimonio rei, pro modo debiti, si personalis instituitur actio, custodiæ causa inducaris, vt tædio affectus reus, veniat aliquando responsurus. Quod si adhuc per annum in sua contu-

macia perseuerauerit, iudice decernente verus possessor efficieris, super proprietate duntaxat aduersæ parti defensione reseruata.

6 Sed si missus in possessionem fructus dilapides, sequestrandi erunt, & quod distractum est, in pristinum statum reuocandum. Vbi sciendum est, quod ille qui mittitur in possessionem causa custodiæ, siue reali actione agatur, siue personali, infra annum non facit fructus suos; sed custodire eos debet, vt si intra annum reus recuperare velit possessionem, ei fructus restituantur; expensæ tamen necessariæ pro fructibus percipiendis seu colligendis factæ, primo debent deduci. Anno autem elapso lucratur omnes fructus.

7 Si tamen propter rei potentiam, siue dolum contigerit, vt intra annũ rem custodiendam nancisci non possis, vel etiam acquisitam amittas, ne contumax melioris quam obediens conditionis existat, de canonica æquitate sancitum est, vt hoc etiã casu elapso anno verus possessor actor constituatur. Hoc tamen tunc obtinet, cum reus nullam cautionem præstitit: nam si de stando iuri cauerit, nec mulctandus, quod in possessione actorem esse passus non fuerit: missionem passus illicò restituendus erit. Nisi missus in possessionem sit necessario & causa Reip. absens, quia tunc non est restituenda possessio, præsertim si contumacia fuerit manifesta.

8 Quod si annus lapsus esse proponatur, & per reum non steterit, quominus ante terminum, & possessionem receperit, & cautionem dederit, actor nihilominus possessor esse non reputatur, cum ille voluerit cauere & offerre cautionem, sed defuit qui reciperet. Idem etiam esset, vbi plures conueniri possunt, & vnus tamen esset contumax: quia non est facienda missio, nisi omnes vocentur.

9 Excommunicatus propter cõtumaciam manifestam à delegato Pontificis, qui petitorem causa rei seruandæ in possessionem induxit, etiam delegato mortuo non potest ab Ordinario, aut aliquo alio absolui, & possessionem recuperare, præterquam in mortis articulo, siue mandato

to Summi Pontificis; vbi & absolutionis gratiam obtineret & possessionem recuperaret. Nisi alius ei in onere delegationis successerit, & honore; qui quoad causam sibi commissam haberet ea quæ sunt meri & mixti imperij.

10 Sed ne missus in possessionem verus efficiatur post annum possessor, missionem passus coram ordinario, vel (si eius copiam habere nequiuerit) coram publicis & honestis viris, vt quasi cõscriptionem interrumpat annalem, offerre ac præstare poterit de parendo iuri cautionem: vt sic etiam post annum per Apostolicam Sedem possessionem recuperare mereatur.

11 Sed ista tunc quidem procedent, cum de profanis rebus erit disceptatio: nam qui super dignitate, personatu, vel beneficio Ecclesiastico obtinendis cum aliquo litigat possessore, ob partis aduersæ contumaciam in possessionem mittendus non erit: ne per hoc ad ea ingressus vitiosus pateat. Verum hęc missio habet locum & in ecclesiasticis rebus, si agatur de Ecclesia, vel rebus Ecclesiæ, non tanquam de beneficio, sed tanquam de proprietate.

12 Licebit tamen iudici hoc casu (etiam litè non contestata) diligenter examinato negotio, ipsum fine debito terminare, contumaciã absentis diuina replente præsentia. Et hoc videtur tradi pro regula, quod vbi de remedio in possessionem missionis non est prouisum contra contumacem absentem, posset procedi ad sententiam definitiuam lite non contestata. In beneficialibus autem, vbi vertitur periculum animæ, iudex semper ex officio supplere debet pro absente adducendo probationes.

13 Quod interdum etiam in profanis obtinebit, vt puta si cõtestata lite reus cõtumax fuerit, & de causa liqueat, & vel actor ipse contumaciæ crimen incurrat, quo casu etiam lite non contestata, instante reo, iudex, & testes recipere, & sententiam ferre debebit; quia maior est contumacia actoris quam rei, vnde seuerius etiam cũ eo agitur. Et licet de iure ciuili actori contumaci dentur quædam dilationes, tamen id non videtur necessario seruandum de iure Canonico.

14 Quod

14 Quod si vero actor non venerit termino, ad quem reum citari fecerit, venienti reo in expensis propter hoc factis legitimè cōdemnabitur, & ad aliam citationem admitti non debet, nisi de fideliter in posterū comparendo idoneam cautionē dederit: præsumitur enim malitiosè abesse, nisi probetur legitimum impedimentum.

15 Debet autem iudex vna contentus esse pœna ex pluribus, quæ aduersum contumacem competunt, ea præsertim quæ magis timeri debeat, ad aliā nihilominus processurus, si hoc meruerit proteruitas contumacis.

TITVLVS VIII.

De Vsucapionibus & Præscriptionibus.

1 QVia communissime solet in iudicijs, siue in personam agatur, siue in rem, vsucapionis, vel præscriptionis exceptio opponi, quapropter de eis quoque aliquid hoc loco tractandum est, præsertim quia litis finitæ est exceptio, ac non secus, quàm exceptio transactionis, aut rei iudicatæ ad impediendam litis constitutionem opponi solet.

2 Et vsucapionis quidem vocabulo etiam præscriptio contineri potest, licet frequentius vsucapio in rebus mobilibus, præscriptio in immobilibus proferatur. Sed generaliter intellecta vsucapio sic definiri, aut describi potest. *Vsucapio est*, adiectio, seu acquisitio dominij, vel iuris per continuationem iustæ possessionis temporis à lege definiti. Mobiles autem res vsucapiuntur triennio, immobiles decem annis contra præsentes, viginti contra absentes.

3 Atque vt procedat vsucapio, necesse est hæc infrascripta adesse, nempe, *titulum*, *bonam fidem*, *possessionem continuatam*, & *quod res eiusmodi sit*, *quæ præscribi non prohibeatur*. Ac titulus quidem est iusta causa posidendi, quod nostrū non est; isque iustus titulus dicitur, qui, si à domino habitus fuisset, dominium potuisset transferre; eiusmodi

est,

est, titulus solutionis, emptionis, transactionis, hæreditatis, occupationis, & apprehensionis rei pro derelicta habitæ, titulus legati, dotis, pro suo.

4 *Pro soluto vsucapit*, qui rem debiti causa accipit, & non tantum quod debetur, sed & quodlibet pro debito solutũ hoc titulo vsucapi potest. *Pro emptore possidet*, qui reuera emit, nec sufficit tantum in ea opinione esse eum, vt putet se pro emptore posidere, sed etiam debet subesse causa emptionis. *Pro transacto vsucapit quis* rem sibi traditam, vel dimissam, vt à lite discederet. *Pro hærede titulus in eo locum habet*, qui existimans se hæredem, cum non esset, rem quam defunctus tenebat, longo tempore possedit. Item si hæres sim, & putem rem aliquam ex hæreditate esse, quæ non sit, possum eam vsucapere; suis autem hæredibus existentibus, id est filijs seu liberis in potestate, quos nemo gradu antecedat, nihil pro hærede vsucapi licet. *Pro donato vsucapit is*, cui donationis causa res tradita est, nec sufficit opinari; sed & donatum esse oportet. *Pro derelicto titulus ei cõpetit*, qui rem per derelicta à non domino habitã occupat vel ab alio occupatam, sibique traditam posidet. Nam si is, qui eam dereliquit, verè dominus esset, non de vsucapione, sed de dominio ex ipsa apprehensione acquisito ageretur.

5 *Legatorum nomine is videtur possidere*, cui legatum est, pro legato enim possesio, & vsucapio nulli alij, quàm ei, cui legatum est, competit: sed etsi non iure legatum relinquatur, vt legatum ademptum est, pro legato vsucapi post magnas varietates obtinuit. *Item qui in dotem rem accipit*, vsucapere potest spatio solẽni, quo solent, qui pro emptore vsucapiunt: & nihil refert, an singulæ res, an pariter vniuersæ in dotem dentur.

6 *Pro suo possessio talis est*, vt cum dominium nobis acquiri putamus, & ex ea causa possidemus, ex qua acquiritur, hoc modo possidemus omnia, quæ mari, terra, cœloque capimus; aut quæ alluuione fluminum nostra fiunt. Item, quæ ex rebus alieno nomine possessis possidemus, veluti

par-

partum hæreditariæ, aut emptæ ancillæ: item fructus rei emptæ, aut donatæ, aut quæ in hæreditate inuenta est. Item locus erit pro suo vsucapioni, vt puta, si hominem, quem ex stipulatione mihi deberi falso existimabas, tradidisti mihi, idque ego nescirem, nihil videlicet mihi deberi, cum vsucapiam, quia ipsa traditio ex causa, quam veram esse existimo, sufficit ad efficiendum, vt id, quod mihi traditum est, pro meo possideam.

7 Bona fides adeò in vsucapionibus seu præscriptionibus iure nostro necessaria est, vt etiam in actionibus personalibus, quæ nonnisi annorum triginta spatio præscribuntur, bonam fidem exigi frequentioribus sententijs traditum sit, quamuis alia Bartholo fuerit sententia.

8 Sine possessione quoque aut quasi possessione præscriptio, seu vsucapio non procedit. De quasi possessione autem idcirco mentionem fecimus, quòd incorporalia proprie nō posside antur, sed quasi.possideri potius dicantur. Et tamen ea quoque præscribi certum sic: vt est *seruitutes, iura eligendi, instituendi*, aliaque eiusmodi.

9 Et seruitutes quidem, si continuam causam habent, decennio præscribuntur, sin minus, tantum tempus eis præscribendis requiretur, quod supra hominum memoriā sit. In his tamen titulus non desideratur, quia, cum de rei dominio non agatur, haud ita magnū præiudicium versatur, quemadmodū cum de rebus temporalibus pręscribendis agitur. Nonnunquam tamen longissimi temporis possessio ad pręscriptiones requiritur, vnde merito solent perpetuæ appellari: vt ecce actiones personales non minori tempore triginta annorum amittuntur: hypothecaria contra debitorem competens quadraginta annis demum præscribitur: quamuis extraneus possessor hypothecæ decem annis inter pręsentes, viginti inter absentes cum titulo, triginta sine titulo præscribat.

10 Religiosis quoque domibus, neque decennalis, neque vicennalis, vel triginta annorum præscriptio, sed sola quadraginta annorum curricula opponi possunt, non so-

lùm

lùm in cæteris rebus, ſed etiam in legatis & hæreditatibus.

11 Ac de quarta decimæ, & oblationis defunctorum Clericus ab impetitione Epiſcopi ſola quadragenaria temporis præſcriptione ſe tueri poſſe videtur. Et nō poteſt vna Eccleſia decimas in aliena Parochia præſcribere, niſi hac quadragenaria poſſeſſione cum titulo ſe munierit; vel titulo deficiente, non niſi tanto tempore, cuius initij nulla extet memoria. Cum enim huic præſcriptioni, iuris communis obſtet diſpoſitio, eo fit, vt vel titulus, vel tempus immemorabile præter bonam fidem ei ſint neceſſaria. Quamuis olim creditum ſit, minimè titulum fuiſſe neceſſarium.

12 Contingit etiam interdum, vt quæ temporalis erat præſcriptio, deinde perpetua fiat, id eſt, vt ad trigeſimum, vel quadrageſimum annum extendatur; quod fiet; ſi interrupta fuerit; nam, ſi quidem per naturalem detentionem, vt per occupationem æquè, ſimileſque modos poſſeſſio interrupta fuerit, à die recuperatæ poſſeſſionis noui triginta anni in omnibus præſcriptionibus numerabuntur, ſi per litis conteſtationem, ex die, quo nouiſſima proceſſit cognitio, poſtquam vtraque pars ceſſauit, computebuntur.

13 Romana autem Eccleſia hoc priuilegio fulta eſt, quòd non niſi centum annorum ſpatio contra eam præſcribi poteſt.

14 Plures etiam res ſunt, quæ nullo tempore præſcribi poſſunt: vt ecce, priuatus primitias, & decimas, neque etiam cum titulo præſcribit: item liber homo, quamuis etiam vltra quadraginta annorum curricula pro ſeruo detentus ſit, ſola temporis longinquitate libertatis iura non amittit.

15 Item publicæ functiones non præſcribuntur, quo exemplo etiam Eccleſiam, Rempublicam, primitias, decimationes non præſcribi traditum eſt, quòd ciuilium functionum inſtar obtineant.

16 Item Prouinciæ, Parochiæ, Diœceſes, quæ certis limitibus diſtinctæ ſunt, nullo modo præſcribi poſſunt: aliæ

vero,quæ non ſunt certis limitibus diſtinctæ, & de quibus certa diffinitio olim nō proceſsit,præſcriptione tolluntur. Nec etiam à viſitatione, ſubiectione, aut procuratione ſoluenda quis immunitatem præſcribere poteſt.

17 Item nec colonus fundum, nec emphiteota,nec vaſallus feudum præſcribit. Prout nec res ſacra, nec religioſa à laico, nec ſeruus fugitiuus, nec res fiſci, poſtquam fiſco nunciata fuit, nec res furtiuæ aut vi poſſeſſæ, aut aliter vitioſæ vſucapiuntur.

18 Qui vero à fiſco, aut à Cæſare, vel Auguſta emit, ſtatim ſecurus eſt; ſed, qui ad eas res actionem habet, non poteſt, niſi vſque ad quadrigennium cōtra fiſcum,aut Cæſarem, vel Auguſtam agere. Sed poſtquam vidimus in procedentibus titulis, qualiter reus legitimè citatus debeat coram Iudice comparere,ſequitur nunc videre ad quid teneatur actor in principio iudicij, quod libelli conceptione & oblationes auſpicatur.

TITVLVS IX.

De Libelli conceptione & oblatione.

1 QVia iudicis officium eſt iura partium litigantium audire, & poſtea inter eos iudicare, quapropter vt iudex intelligat de qua re partes inter ſe litigant, inprimis neceſſe eſt vt auctor libellum iudici offerat, reo in aſſignato termino cōparente, ita clare & plane conſcriptum. vt ex eius inſpectione deliberare reus valeat, vtrum cedere velit, an contendere, atque vt ſi contendendum ſit, diſpicere valeat iudex quemadmodum à ſe concipienda ſit ſententia. Nihil enim aliud eſt libellus; quam breuis ſcriptura clarā actoris intentionem continens, & contra aduerſarium neceſſario concludens. In cauſis vero vilioribus nulla ſcriptura requiritur.

2 Vt autem libellus ſit clarus & planus,cauendum primo

mo erit à nimia generalitate; & vt non sit alternatiuus; non conditionalis; nec habens verbum prægnans aut duplex; aut simile aliquid vnde obscuritas oriatur, vt facile iudex essentiam percipiat, & sententiam libello cõformem facere queat, siue controuersia sit ciuilis, siue criminalis.

3 Porro libellorũ duæ sunt species: alij enim sunt accusatorij, aut cõuentionales. *Accusatorij sunt*, quibus quis aliquos ad iudicem alicuius criminis reos defert. (de quibus quidem in præsenti nobis non est institutus sermo, sed infra suo loco & ordine dicetur.) *Conuentionales sunt*; quibus in ciuilibus disceptationibus vtimur, dum rem nostram, aut quam nobis deberi putamus, in iudicio petimus.

4 Exprimet igitur oblatus libellus non solum agentis, & conuenti nomina, sed & iusdicentis, & petitę rei, & actionis qualitatem. Et si personali experiendum sit actione, petendi quoque causa exprimenda erit; alioqui nec conuentus respondere tenebitur. Et iudex libellum non legitimæ conuentionis formam continentem conscerpere ac destruere poterit.

5 Dicitur vero libellus ineptus, quem iudex ex officio reijcere debet, varijs modis vt volunt DD. Primò quando cõtinet defectũ apparentem requisitarũ solemnitatũ: item quando petitur debitũ conditionale: quãdo causa est ordinaria, & pars petit procedi summariè: si contra ius, vel vtilitatem publicam: quando non apte, sed male concludit: quando continet malam & ineptam causam, non qui continet malam actionem intentatam. Ex libello enim inepto omnia acta corruunt & nulla fiunt, ac propterea poterit iudex actori iniungere vt alium libellum clarum & concludentem exhibeat, vt posit inde nasci pronunciatio petitioni conformis, ex quo sola narratio non sufficit, nisi etiam debita conclusio in illa sit.

6 Sunt tamen casus, in quibus solẽnis hæc libelli oblatio minime est necessaria, veluti in quibus de plano, ac siue strepitu, & figura iudicij procedendum erit, & in quibus etiam non contestata lite testes recipi possunt, & alij plu-

res; vt in causa alimentorum, in causa executiua, vigore rei iudicatæ, in causa depositi, in causa reuocationis attentatorum, &c.

7 In his quoque casibus, in quibus libelli est necessaria porrectio, probè iudex fecerit, si principales personas, vel in subsidium etiam aduocatos, factum ipsum proponere iusserit, & sine tela iudiciaria controuersiam terminare tentauerit.

8 Oblato tamen secundũ iuris ordinem libello, certæ reo conuento indulgendæ sunt induciæ, quibus deliberet cedendum sibi sit, an contendendum: acceptandus, an recusandus iudex: denique vt proponat, si quas habet exceptiones. Quæ propterea cōparatæ sunt, vt ij, aduersus quos instituuntur actiones, defendantur. Harum vero quædam ante litis contestationem opponendæ erunt: quædam vero etiam post contestatam litem. Sed ne diuersarum rerum commixtio pariat aliquam obscuritatem, videamus nunc generaliter de exceptionibus.

TITVLVS X.

De Exceptionibus & Replicationibus.

1 QVia reus conuentus debet libello sibi oblato, vel consentire, vel aliqua exceptione ipsum reijcere, vel simpliciter, vel ad tempus: Exceptio igitur nihil aliud est quam actionis vel intentionis exclusio. Et est duplex: quædam quæ dicitur *dilatoria*, eo quod causam differre solet, non principale negotium perimere: & opponitur regulariter ante litem. Sed aduerte, quia non satis est eam opponere, sed debet probari, aliàs non impediret. Quædam vero dicitur *exceptio peremptoria*, & opponitur post litis contestationem.

2 *Dilatoriæ exceptiones sunt in triplici differentia.* Quædam enim respiciunt personam Iudicis, & dicitur declinatoriæ fori, seu exceptiones incompetentiæ, seu recusationis.

Quæ-

Quędam respiciunt personam litigantium, vt puta si opponatur, quod comparens caret mandato, pupillus tutore, & quid simile, & istæ dicuntur exceptiones legitimationis personæ. Quædam vero respiciunt libellum, seu causam ipsam, vt puta, quia llbellus arguatur de ineptitudine: vel de litis pendentia: vel quod actio intẽtata fuerit ante diem obligationis.

3 Declinatoriæ itaque exceptiones regulariter omnes ante litis contestationem proponi debent, & ante omnem aliam dilatoriã exceptionem. Alioqui si aliam primò proposuerit, cũ per hoc in iurisdictionem eius, coram quo proponitur consensisse videatur, eiusdem iurisdictionem serio declinare conabitur. Igitur recusatio iudicis, vti diximus omnibus alijs exceptionibus præponenda. Cæteræ vero post oblatum libellum, ante litem contestatam intra terminum à iudice assignatum, quandoque opponi, & probari poterunt.

4 Sed lite contestata quandoque eas opponere licebit: veluti, si qua nuper reo competens exorta fuerit, vel is qui eam opponere voluerit, se postmodum ad eius notitiam deruenisse iureiurando fidem faciat: vel esset huiusmodi, quæ retroactum processum nullum redderet, vt est ea, quæ vel mandati, vel iurisdictionis defectum arguit.

5 Ducuntur autem huiusmodi exceptiones non solum ex suprapositis causis, sed etiam ex loco, ex tempore, & ex alijs pluribus, vt tam Pontificij, quam Cæsarei Iuris libris facile est legentibus cognoscere.

6 His annumeranda est etiam excommunicationis exceptio, quæ licet & ipsa dilatoria sit, à cæteris tamen dissimilem naturam sortita esse deprehenditnr: nec enim post oblatum tunc libellum, ante contestatam litem velut cæteræ, sed in qualibet partè litis opponi poterit, peremptorio termino ad proponendum exceptiones declinatorias, præfixo minimè obstante. Quod est in hac exceptione specialiter obseruandum; ne quisquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare compellatur; quod si

eam

eam reus omiserit, vt actor sumptibus & laboribus fatigetur, in expensis legitimis condemnandus erit.

7 Hoc autem quod dixi, exceptionem excommunicationis in qualibet parte iudicij opponi posse, solum habet locum, quando opponeretur in vim dilatoriæ, non autem in vim peremptoriæ Quia peremptoria exceptio litem non differt, sed tollit. Dicitur igitur dilatoria exceptio opponi ad effectũ protractionis intentionis agentis, vel ex causa excommunicationis ipsius agentis, vel ex causa excommunicationis iudicis, aut procuratoris. Peremptoria vero opponi dicitur, quando opponitur ad perimendam electionem, vel alium similem actum, propter excommunicationem eligentium, vel electi, vel alterius excommunicati qui talem actum celebrasset. Quæ quidem exceptio coram quocumque iudice opponi potest, ordinario vel delegato, ecclesiastico vel seculari.

8 Sed cum per malitiam hæc exceptio excommunicationis in iudicio opponeretur, seruanda est certa forma ex constitutione Innocentiana. Hoc est, quando eiusmodi exceptio opponitur in vim peremptoriæ, sufficit opponere simpliciter de excommunicatione, licet non exprimantur species excommunicationis, aut nomen excommunicatoris, causa hoc nullibi cautum reperiatur. Quando autem talis executio maior opponitur in vim dilatoriæ, debent opponentes ipsius excommunicationis speciem, & nomen excommunicatoris exprimere, vt per expressionem causæ appareat, an pro illa, vel pro alia causa excõmunicatus sit. Et an ab homine, vel à Canone: vtrum maiori vel minori sententia sit ligatus, quod quælibet illarum diuersos producat effectus. Minor enim non repellit à communione hominum, sed solum à receptione Sacramentorum. Maior autem & à Sacramentorum perceptione & administratione illorum, nec non consortio hominum priuat.

9 Hæc tamen exceptio excommunicationis in prima tantũ instantia sibi locum vendicat, non in secunda. Quod si succumbens actor appellauerit prætextu excommunicationis

tionis oppositæ, à prosequutione appellationis minimè excludendus erit, quod & in cæteris dilatorijs, multo magis locum obtinet.

10 Reus autem nullo obstante excõmunicationis vinculo, velut recte conuenitur, ita ad legitimas defensiones semper admittitur. Satis enim absurdum esset, si actore impugnante defensionis copia reo denegaretur. Quia sit multoties condemnaretur absoluendus. Reconuentionis tamen potestas eidem minimè permittitur.

11 Cæterùm, quæ supra de excõmunicatione diximus, non de quacumque excommunicatione sunt intelligenda; sed de ea tantum, quæ à perceptione Sacramentorum, & à fidelium communione separat; id est de excommunicatione maiori, vt etiam ipsa Innocentianæ constitutionis verba demonstrant.

12 *Peremptoriæ, seu elusoriæ exceptiones sunt*, quæ in totum ius agentis perimunt, & semper agentibus obsunt: qualis, est doli mali, metus, pacti conuenti, solutionis, iurisiurandi, præscriptionis, transactionis, & rei iudicatæ, & si quid contra leges factum esse dicatur.

13 Harum quædam dicuntur peremptoriæ litis finitæ, quædã simpliciter peremptoriæ. Peremptoria litis finitæ sunt, quæ litis impediunt ingressum, & aduersus agentem omni tempore opponi possunt: qualis est exceptio transactionis, iurisiurandi, & rei iudicatæ, quæ vel in ipso limine iudicij proponi poterunt. Cum enim super negotijs, transactione, iureiurando, & sententia decisis, aliàs lis inchoata terminata fuerit, valde absonum visum fuit, super eisdem nouum assumi debere iudicium, & quasi in infinitum forensia iurgia pertrahere. Inde quoque litis finitæ exceptiones appellantur, quòd vt aliquis esset finis litium, institutæ fuerint. Idem iuris est, in alijs etiam peremptorijs exceptionibus, quæ vulgo manifestæ sint, & notoriæ habeantur.

14 Debet tamen esse cautus is, qui opponit exceptionem litis finitæ, tanquam declinatoriam, vt offerat se paratum

ratum in continenti probare: alias si aduersarius negaret dictas exceptiones esse veras, tunc non impediretur litis contestatio, sed deberet reseruari post litis cõtestationem.

15 Cæteræ verò exceptiones peremptoriæ, litis contestationem minimè impediunt, neque ante sententiam erunt regulariter proponendæ: quas quidem si dolo malo, suo tempore in prima instantia reus proponere distulerit, etiam in causa appellationis opponendi sibi facultas denegabitur.

16 Sunt etiam quædam *exceptiones*, quæ *præiudiciales* appellari possunt, ex eo, quod alteri cognitioni præiudicium afferunt: vtpotę, si qua mulier Titium in virum petat, qui ad mulieris intentionem elidendam, consanguinitatis obijciat exceptionẽ: qua probata, cum quæstio principalis perimatur, de ipsa est cognoscendum, antequam ad definitionis articulum procedatur. Idem si petenti hæreditatem, natalium obiecta sit exceptio. Cum enim successionis causa, à causa natalium dependeat, posteriore quoque loco cognoscenda erit.

17 Sed etsi quæstio spolij in modum exceptionis petentibus obiecta fuerit, probationes super spolio primitus erunt audiendæ. Eoque legitimè probato, reus non cogetur respondere positionibus, donec integrè restitutus fuerit. Quia nec nudi contendere, nec inermes inimicis nos opponere debemus.

18 Sed quia huiusmodi exceptionem nonnunquam in iudicijs calumniosè propositam, causas Ecclesiasticas contingebat impedire, & per interpositas appellationes principalis causæ cognitionem perimere, consultissime Innocentiana constitutione decretum fuit, vt in ciuilibus negotijs spoliationis obiectu ab alio quam ab actore factæ, iudex in causa principali procedere non postponat. Iniquum enim esset, quod reus exciperet contra actorem spolio facto à tertio; cum in hoc non deliquerit actor, & ideo factũ alterius non debet sibi obesse.

19 In criminalibus verò, etiãsi à tertio spoliatus fuerit, dum

dum tamen vel tota ſua ſubſtantia, vel maiori parte ipſius, ſe per violentiam priuatū affirmet, obiecta exceptio proceſſum differet pœnis ſtatutis, ſi eundē intra certa tempora (ſcilicet quindecim dierū) non probauerit obijcens. Eo quoque ſalubriter obiecto, vt rerum priuatarū ſpoliatio, agenti ſuper Eccleſiaſticis, vel ex contrario, non opponatur.

20 Accuſato verò excipienti de ſpolio à tertio facto, debet indulgeri tempus, intra quod reſtitutionem petat, & cauſam ſi poteſt finiat, quo elapſo non obſtante tali exceptione, accuſari poterit.

21 *Sunt & aliæ exceptiones*, quas propriè neque dilatorias, neque peremptorias appellaueris, cuiuſmodi eſt, quæ aduerſus productos teſtes opponatur: vt puta ſi quis Mæuium examinatum, infamem, excommunicatum, vel alias criminoſum eſſe dicat. Quæ tamen cum ad peremptoriarum naturam accedere videantur, ipſæ quoque ante ſententiam proponendæ erunt.

22 Multum tamen intereſt, an per exceptionem tantum teſtibus opponantur crimina, de quibus nunquam accuſati fuerunt; an verò ea de quibus alias conuicti, vel confeſſi fuerint. Primo enim caſu obiectorum criminum probatio ante exhibenda erit, quā cauſa per ſententiā terminetur; & ſi conuicti, vel confeſſi fuerunt, ordinaria ceſſante pœna, ſufficiet, quod à perhibendo teſtimonio repellantur; præſertim cum obiectū crimen minimè cauſam contingat. Poſteriore verò, cum non ſit cuiquam contra alios credendum, niſi ſe prius probauerit innocentem, à ferendo teſtimonio penitus repelli poterunt.

23 Cauebit autem reus, ne quam contra aduerſarium ſuum exceptionē porrigat, cuius ipſe nexibus implicetur. Cum ſcire debeat nullum hunc eſſe iuris effectū habiturū; veluti, ſi plura beneficia poſſidens de eadem pluralitate aduerſus alium excipiat, vel ſi periurium, aut excommunicationem is obijciat, qui peierauit, vel Eccleſiaſtica ſententia innodatus fuerit. Quia delicta mutua compenſatione tolluntur: & contra exceptionem criminis, non datur replicatio criminis.

24 Hoc tamen ita accipiendum est, cum proprio nomine conuentus excipit: cæterum, si suam defendens Ecclesiam, tales exceptiones opposuerit, audiendus erit, nec quod opponens eisdem sit obnoxius replicari poterit.

25 Postremo sciendum est, quòd qui excipit non confitetur agentis intentionem, cũ eidem possit plures etiam, quanquam contrarias exceptiones opponere: Non quidem pure, sed sub conditione & disiunctiue: vt si vna non processerit, proponat aliam. Quæ si legitimæ fuerunt, & iudex non admiserit, reo quidem per appellationis remedium succurretur, & iudex ipse meritis pœnis coercendus erit.

26 Aduersus autem exceptiones dantur replicationes, & duplicationes, suntque eiusdem naturæ cum exceptionibus, quia aduersus actiones opponuntur. De quibus si quis plenius velit intelligere, ex his quæ superius diffusè de exceptionibus posita sunt, mutuari poterit.

TITVLVS XI.

De mutuis petitionibus.

1 CVM mutua petitio seu reconuentio sapiat etiam naturam exceptionis, ideo post descriptionem exceptionum, ponitur titulus de mutua petitione, quæ ex parte rei fit, prout conuentio ex parte actoris. Post oblationem igitur libelli ab actore, si reus conuentus nulla sit exceptione munitus, quæ vel iudicium differat, vel litis ingressum impediat, mutuis petitionibus aduersarium suum fatigare poterit, & agentem coram eodem iudice, antequam litem contestetur, reum cõstituere. Cuius enim quis in agendo obseruat arbitrium, eundem habere contra se iudicem in eodem negotio dedignari non debet.

2 Proposita ergo actoris intentione, responsione facta super quæstionibus, rei monitione præmissa, incontinenti actor respondere compellendus erit, vt vicissim postea rationes

tiones partiũ iudex audiens, cõcordia vel iudicio vtriusque negotium terminet. Atque ita in vno eodemque termino aliud erit iudicium conuentionale, & aliud reconuentionale. *Iudicium conuentionale est*, in quo prima conuentio deducitur. *Iudicium autem reconuentionale est*, in quo deducitur secunda conuentio, quæ fit ex aduerso per reum contra actorem. Et proponitur in principio litis, ante litis contestationem in causa conuentionis. Vbi si actor non vellet respondere super reconuentione, denegatur ei audientia; quia non proceditur in causa conuentionis, donec respondeat super reconuentione.

3 Nec solum coram ordinario iudice reconuentio talis sibi locum vendicat, verum etiam coram delegato: vnde nisi reus literas impetrare maluerit, actorem sibi obnoxiũ, eodem durante iudicio, coram datis iudicibus reconuenire poterit. Vtriusque autem, tam actoris, quàm rei reconuenientis æqua debet esse conditio: vnde cum causa appellatione remota committitur, si reus actorem reconuenerit, vno eodemque iure circa appellationis remedium, vterque censendus erit.

4 Coram iudice appellationis reconuentio locum non habet, sicut & coram arbitris, qui non nisi de his iudicare possunt, super quibus in eos compromissum fuit, ex communi voluntate partium. Secus in arbitro iuris electo ex necessitate statuti ad totam causam, quia tunc coram eo haberet locum reconuentio.

5 Interdum etiam accidit, vt nec coram ordinario, nec coram delegaro iudice reo actorem reconuenire sit potestas: vt puta, si coram iudice laico conuentus actorem super causa iuris patronatus, decimarum, matrimonij, aut alia spirituali reconuenire velit: quia laicus de spiritualibus cognoscere non potest.

6 Idem iuris est, si conuentus excõmunicationis maioris vinculo innodatus existat: huic enim, licet alioqui excipiendi facultas minime sit interdicta, actorem tamen reconuenire non conceditur: ne quod (vt supra dictum est)

in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur. Nisi quod excommunicatio debeatur ex eodem contractu ex quo conuenitur, puta, si ab eo petatur res vendita, poterit ipse pretium petere.

7 Sed an possit excommunicatus saltem compensare? Respondent DD. aut conueniens debitum confitetur, & compensationi acquiescit, & tunc admittitur compensatio: aut aduersarius negat, & compensationi non acquiescit, & tunc non audiretur reus super compensatione. Licet quidam dicant æquum sibi videri, vt etiam hoc casu audiatur excommunicatus.

8 Illi quoque, qui coram iudice criminaliter conuenti fuerint, vel super deposito, nisi se prius innocentes probauerint, & depositum restituerint, alios criminandi vel conueniendi licentia non conceditur.

TITVLVS XII.

De restitutione spoliatorum.

1 DIctum est superiore titulo, quòd reconuentio in quibusdam causis locum non habet, inter quas cum etiam spolium reperiatur, sciendum est duplex iudicium communiter in causis ciuilibus esse, aliud possessorium & aliud petitorium. Petitorio quidem iudicio agitur de re, dominio, & proprietate. Possessorio verò agitur de possessione propter ius, quod quis in ipsa possessione habet, idque tribus ferè modis, id est: Vel vt retineatur; vel vt quæratur; vel vt recuperetur possessio. Consultiusque est ei, qui rem petere destinauit, vt, si possit, aliquo possessorio remedio agat: quia longè commodius est, ipsum possidere, & aduersarium ad onera petitoris compellere; quàm alio possidente petere.

2 Cōmodum autem possidendi in eo est, quòd etiam si eius res non sit, qui possidet, si modo actor non poterit suam esse probare, remanet in suo loco possessio: propter

quam

quam causam, cum obscura sunt vtriusque iura, contra petitorem iudicari solet. Hinc est, quod plerumque, & ferè semper ingens existit contentio de ipsa possessione, ac maxime iura fauent ei, qui ad recuperandam possessionem agit. Præsertim, si traditum à Ioanne Pontifice Romano remedium exerceat, quo cautum est, reintegranda esse omnia expoliatis, vel eiectis, & in eo loco, vnde abscesserant, funditus reuocanda, quacumque conditione temporis, aut captiuitate, aut dolo, aut violentia malorum, & per quascunque iniustas causas res Ecclesiæ, vel proprias, id est, suas substantias perdidisse noscuntur. Qui Canon laicis non minus, quàm ecclesiasticis hominibus prodesse cõmuni Iuris consultorum sententia existimatur.

3 Is itaque, qui se quibusdam rebus, aut iuribus spoliatum conqueritur, ab aduersario suo conueniri non poterit: nam super spoliatione conuentus, aduersus restitutionem petentem, non est, nisi super quæstione spolij audiendus. Restitutionis enim petitio in hoc priuilegiatum esse noscitur, vt ipsam intentans, non cogatur ante restitutionem spoliatoribus respondere.

4 Vnde cum quis, se de beneficij possessione violenter eiectum apud iudicem conqueritur, si aduersarius eundem non canonicè dicat institutum, de violenta prius eiectione, quam de canonica institutione cognoscendum erit. Et expulsus contra expulsorem tam ciuiliter quam criminaliter agere potest.

5 Sed etsi spoliatus non primus coram iudice super spolio sibi illato consistat, sed criminali iudicio ab aduersario lacessitus spoliationis causam proponat, ita demum super petitione iudex procedere poterit, si prius restitui spoliatum sua sententia iusserit. Omnes enim leges, tam ecclesiasticæ, quam sæculares ante omnia, cuncta spoliatis vel eiectis reintegrãda, & damna sarcienda esse pręcipiunt. Fructus quoque non tantum à violento possessore perceptos, sed etiam qui à veteri possessore percipi verisimiliter potuissent, restituendi erunt.

6 Nec

6 Nec restitutionis solum sententia sufficiet, nisi re ipsa omnia iudicis officio restituãtur, ita vt eiectus vel spoliatus, etiam naturalem possessionem recipiat, cunctaque quæ sibi ablata fuerint, eodem vnde surrepta fuerunt, reuocentur.

7 Quod si ciuiliter conuentus aduersario spolij quæstionem per modum reconuentionis regerat, cum mutuæ tunc intelligantur petitiones, in idem iudicium deductæ, vicissimque tractatæ, vnica simul erunt sententia terminandæ.

8 Sed hæc quidem obtinent cum in modum actionis spolij quæstio proponitur: sed si circa litis contestationem de spolio quis excipiendum duxerit, super ipsa quidem exceptione probationes primitus recipiendæ erunt: ea tamen legitimè probata, nulla restitutionis erit ferenda sententia. Sed tamen diu spoliatori super petitionibus suis respondere cogendus non erit, donec ab ipso restitutus fuerit. Quemadmodum enim si in modum exceptionis aliquod crimen testi obijcitur, vt à testimonio repellatur, etsi crimen contra eum ciuiliter probatum fuerit, sibi pœna non infligetur ordinaria, sed eius duntaxat testimonio non creditur: sic spoliatione in modum exceptionis tantũ probata, restitutionis sententia, minime ferenda erit.

9 Spoliatus autem non solum is intelligitur, qui à priuato quocunque homine rerum quarundam possessione indebite priuatus fuit, sed etiam ille, quem iudex ipse sententia sua spoliauit, si non seruauit iuris ordinem in iudicando, vel si nulliter pronunciauit, aut iudex erat incompetens. Secus si processit iudicialiter, & sententia allegatur iniusta, ex iniustitia causæ: quia tunc proculdubio contra iudicem possessorium non competit, sed necesse est venire per viam appellationis; alias sententia transiret in rem iudicatam, etiãsi esset iniusta, nec vlterius reus audiretur.

10 Aduertendum tamen est, quod aut processit merè extraiudicialiter, & sibi incumbit onus probandi legitimitatem causæ: aut processit iudicialiter, sed allegatur pro-

cessus

cessus nullus, & fit, quod iniustè & violenter spoliauit. Et tunc dicens debet probare, nisi appellauerit; quia pro iudice præsumitur, ex quo processit in figura iudicij, & non fuit appellatum.

11 Potestque condemnatus de facto resistere aduersus executionem sententiæ nullæ, immo ingrediens possessionem virtute sententiæ latæ parte nō audita sine causæ cognitione, priuatur iure suo. Est enim in lata culpa, qui vtitur sententia nulla, nimirum si tenetur de violentia. Hinc est, quod statutum puniens ingredientem possessionem alterius, de facto, locum habet contra ingredientem possessionem alterius virtute decreti iudicis inualidi.

12 Is quoque spoliasse intelligitur, qui licet ipse non spoliauerit, per alium tamen spoliari mandauerit, aut spolium suo patratum nomine ratum habuerit. Vnde & is restitutioni obligabitur, quemadmodum & ille, qui rem indebitè occupatam scienter recipiendo spoliatori succedit in id vitium. Licet enim non is spoliauerit; cùm tamen quoad periculum animæ non multùm intersit, vtrum quis iniustè detineat, an alienum inuaserit, contra huiusmodi possessorem spoliato per restitutionis beneficium, non obstante iuris ciuilis rigore succurritur.

13 Hinc prouenit vt reperiens rem alterius, & non restituens, tenetur furti, veluti si ab alio subtraxisset, cum sciat rei illius dominum proprium, cui debeatur. Nisi timeatur de salute animæ, aut scandalo aliquo notabili.

14 Illud quæsitum est, si post spolium Ecclesiæ renunciasse quis dicatur, an ob huiusmodi renunciationem spoliato sit deneganda restitutio: & cum non sit verisimile quòd spontè propriò iuri renunciauerit, qui renunciat spoliatus, huiusmodi non obstante renunciatione, restituendus erit. Nisi renunciatio fiat spontanea in manibus Superioris. Quando autem renunciatio fit in manibus non Superioris, non perditur ius, quod renuncians habet in beneficio, nec tenet talis renunciatio quamuis spontanea fuerit. Nec Superior ipse in odium renunciantis posset talem renunciationem ratam habere. 15 Te-

15 Testes etiam partis alterius de iuramento, & renunciatione sponte facta, non ante admittendi erunt, quam spoliatus plenariè fuerit restitutus. Quod si ante spolium Ecclesiam sponte abiurasse reperiatur, perpetuum ei super negotio silentium imponendum erit.

16 Sunt & alij casus, quibus iure denegabitur spoliatis restitutio: vt puta, cùm agenti per modum exceptionis de alia spoliatione opponitur: aut tam super proprietate, quàm super spolio eodẽ tempore disceptari spoliatus ipse consenserit; aut ante restitutionis postulationem petitoria actione iudicium expertus succubuerit. Vnde cautela est, vt spoliatus protestetur, quod non consentit vt spolians probet de suo dominio.

17 Quod si quæras, an iudex possit impedire consensum? Et videtur quod non debet, nisi ob periculum animæ, & timorem peccati. Quod si vero spoliatus non consenserit, expresè tamen non replicauerit contra exceptionem proprietatis, tunc censetur tacite consentire, & talis consensus valet. Quia ita se habet replicatio ad exceptionem, sicut se habet exceptio ad actionem: sicut ergo actio non excluditur, nisi exceptio proponatur, ita non debet excludi exceptio, nisi proponatur replicatio.

18 Item, si spoliatore non per contumaciam, vel per dolum absente, ab Apostolica Sede ad iudices spoliatus literas obtinuerit: vt si eum spoliatum iudicibus constiterit, intra certum temporis spatiũ restituatur, si reus intra præfixum terminum sese iudici exhibere non possit, quamquam temporis lapsus immineat, & actor sit suam possessionem & deiectionem probare paratus, nihilominus restituendus non erit.

19 Sed etsi talis opponatur exceptio, quæ agentem minimè possedisse concludat, tam diu sustinenda erit restitutio, donec super tali exceptione cognitum fuerit. Vt ecce, nec laici spiritualia possidere, nec Sacerdotes vxores habere possunt. Vnde si vel illi se beneficijs spoliatos, vel hi ab vxoribus se destitutos coram iudice conquerantur, &

ab

ab aduersarijs de sæcularitate,vel de Sacerdòtio agentibus opponatur, proculdubio differenda erit restitutio.

20 Quinimmo & cum sola iuris præsumptio pro spoliatione contra spoliatum militat, impedienda erit restitutio. Ex quò apparet eum, qui (exempli gratia) restitui postulat, ad decimas, quas intra alienæ parochiæ limites possedisse asserit, nequaquam restituendum esse, nisi euidenter docuerit, quod earum possessionem legitimè assequutus fuerit, quia eas occupasse iniustè verisimiliter præsumitur; cũ ex prædijs perueniãt intra alienam parochiam constitutis; manifestumque sit eas iure communi ad eandem Ecclesiam pertinere, nisi aliud ostensum fuerit.

21 Exceptio ergo notoria ex defectu proprietatis obstat agenti possessorio recuperandæ, licet regulariter exceptio dominij non obstet; cum etiam prædo sit restituendus ad suam possessionem.

22 Plures præterea sunt casus, quibus spoliatus illico non restituitur: veluti cum hęresis labe pollutus deprehenditur, vel facta restitutione animæ periculum immineret, vel scandalum timeri possit. Et alij, qui non minus sæcularibus, quam Pontificijs legibus continentur.

23 Postremo sciendum est, in spoliantis odium constitutum esse, si spoliatus proprietatis litem ingressus fuerit, nullam de illata sibi violentia mentionem faciens, antequam renunciatum sit, aut conclusum in proprietatis iudicio, vt idem debeat super possessorio (etiam petitorio suspenso) audiri. Quod si renunciatum fuerit, vel conclusum, vt iam possit causa proprietatis sententia terminari, ne lites litibus inculcentur, & via possit fraudibus aperiri, causa non decisa possessorio non erit vtendum; nisi iudex, qui de causa cognoscit, hoc ipsum ex iusta causa viderit expedire: puta cum ex perspicuis indicijs iniquitas inuasoris facile arguitur, & spoliato, casu siue dolo spoliatoris, dominium probandi facultas subtracta fuerit.

TITVLVS XIIII.

De litis contestatione.

1 HActenus præparatoria iudiciorum complexi sumus,quę plerunque ante causarum discussionem vertuntur; nunc autem peruenimus ad ea quibus ipsum iudicium constituitur, videlicet ad ipsam litis contestationem, quæ quasi fundamentum quoddam iudiciorum est. Quia non semper ante discussionem, causæ contingit locum esse pœnis statutis contra contumaces: nec semper proponuntur exceptiones & replicationes: aut semper mutuæ petitiones fiunt ante litem contestatam. Nec spoliati denique ante litem contestatam semper restituuntur, vt titulo superiore mostrauimus. Ideo actor debet procedere ad vlteriora in iudicio proposito, causam nimirum ipsam, quæ semper incipi debet à litis contestatione. Quæ, si à partibus prætermissa fuerit, proculdubio omnia,quæ sequuta fuerint, corruent: seque ipsos litigatores inanibus laboribus, & sumptibus vexabunt. Vnde nec testes recipi,nec ad sententiam per iudicem procedi poterit.

2 *Est igitur litis contestatio*,principalis negotij apud competentem iudicem facta narratio, & ad eadem subsequuta responsio. Vel *litis contestatio est*, negotij hinc inde narratio apud iudicem. Quia fit per petitionem in iudicio propositam, & congruam responsionem sequutã, animo contestandi litem factam, cum iudex per narrationem negotij causam audire cœperit. Vnde si quis positionibus simpliciter respondeat, aut peremptoriam exceptionem proponat, nequaquam per hoc esse facta contestatio litis intelligitur.

3 Fit vero litis contestatio non solum per principales, sed etiam per procuratorem, tutorem, & personas similes, (puta actores & syndicos) in iudicio præsentes. Absente enim actore litis contestatio fieri non potest:quia litis contesta-

testatio dicitur, quasi simul testatio: & ideo ambæ partes debent esse præsentes coram iudice pro tribunali sedente.

4 Hinc etiam aduocati responsio, nisi statim reuocata fuerit, facit litis contestationem, & sic præcludit viam dilatorijs proponendis. Et tunc oportet, quod pars illam reuocet anteaquam aduersarius faciat aliquid, quod soleat fieri post litem contestatam, infra triduum. Alioquin oritur contra nos præsumptio vt per nos sit tacite responsio aduocati approbata. Ad reuocandam verò aduocati responsionem, necesse est docere de errore aduocati, qui non habet mandatum ad confitendum, vel ad procedendum in causa, sed solum patrocinandi; nec est dominus litis.

5 Nec solum, cum per actionem Iudicium instituitur, erit litis contestatio necessaria, sed etiam vbicumqne iudicis actio pro ipsa proponetur actione: veluti cum restitutio in integrum non incidenter, sed principaliter postulatur.

6 In nonnullis tamen casibus hæc litis contestatio non requiritur, v.g. quando petitur declarari incidisse in Canonem excommunicationis latæ sententiæ ob violentam manuum iniectionem in Clericum. Item non requiritur in causa, vbi proponitur nullitas constans ex actis: similiter in liquidatione publici instrumenti; in causa hæresis; in causa depositi; in causa exequutionis sententiæ; in causa matrimoniali, & in omnibus denique causis illis, in quibus pœna ipso iure infligitur.

7 Contestatione autem litis sequuta, sequuntur etiam huiusmodi effectus, quod reus & iudici subijcitur, & actori obligabitur, dilatorijs exceptionibus via præcluditur, actiones perpetuantur, præscriptio interrumpitur: & denique alij effectus emanant diuersi, vt tam ciuilibus quam ecclesiasticis constitutionibus suis locis traditur.

8 Admonendi tamen sumus, quod traditum est, lite non contestata non posse testes recipi, aut ad sententiam perueniri, non esse perpetuum. Nam si forte de morte testium timeatur, vel absentia diuturna, vel ingressu ma-

ris, cum ciuiliter est agendum, ne veritas occultetur, & probationis copia fortuitis casibus subtrahatur, (curare enim debet iudex, vt salua sit rerum probatio) senes, & valetudinarij, & alij testes, de quibus ex probabili causa timetur, etiam lite non contestata, sunt admittendi: Seu pars conuenta sit contumax, seu sine dolo sit absens, vt conueniri non possit. In criminalibus vero nunquam recipiuntur testes lite contestata; cum enim tunc agatur de maximo præiudicio, non est aliquid faciendum inordinatè.

9 Debet tamen actor intra annum, ex quo facultas sibi data fuerit, aduersarium conuenire, aut saltem huiusmodi testium receptionem eidem denunciare. Alioquin attestationes sic receptæ non valebunt, ne forte hoc procuretur in fraudem, vt scilicet progressu temporis exceptiones legitimæ ad repellendum testes, vel aliæ, locum habere non possint.

10 Sunt & alij casus, in quibus absque litis contestatione legitimè possent testes produci, & lis sententia terminari; quos tam ex his, quæ supra de contumacia diximus, quam etiam ex aliis locis cognoscere licebit. Et generaliter vbicunque libellus non exigitur, aut ius agendi contra certam personam non dirigitur, litis contestatio non est necessaria.

11 Sed si reus respondet libello cũ protestatione quod non animo litem contestandi, an talis protestatio aliquid operetur, vt lis non habeatur pro contestata, communis conclusio est, quod lis non sit contestata, & quod talis protestatio releuet: nisi iudex prius iusserit litem contestari: nam tunc cum simus in casu necessario, protestatio nihil releuat.

TITVLVS XIV.

De iuramento calumniæ.

1 FActa litis contestatione, necessario deueniendum est ad probationem: verum quia in iudicio sæpissimè à litigantibus fraus committi soleat circa probationes, propterea post titulum præcedentem de litis cõtestatione, proponitur iste de iuramento calumniæ. Vbi primo quæritur, quid iuris sit, si quis noluerit iurare; deinde, quis, quando, & quomodo hoc iuramentum sit præstandum: ac tandem, quid iuris si non sit præstitum.

2 Cum itaque in iudicio quęlibet pars intendat victoriam consequi, vt veritate præuia iudicia expendantur, institutum est, quod litigatores statim in exordio litis, de calumnia vitanda iuramentum præbeant. Quod si quis præstare recusauerit, actor quidem ab instituta cadet actione, & pro confesso reus habendus erit. Quod si vero præstitum sit iuramentum ante litis contestationem super tota causa, non est opus quod denuò præstetur. Item si iuretur longè post litem contestatam, non per hoc vitiatur iudicium.

3 Continet autem hoc iuramentum quinque capitula. Scilicet, quod credit se iurans bonam causam habere: quod interrogatus non negabit: quod verum credit: quod non vtetur scienter falsa probatione: & quod dilationem non petet in fraudem: nec dabit, nec dedit, nec promisit, nec promittet aliquid pro causa, nisi quibus leges dari permittunt. Vnde versus.

Illud iuretur, quod lis sibi iusta videtur.
Et si quæretur, verum non inficietur.
Nil promittetur, nec falsa probatio detur.
Vt lis tardetur, dilatio nulla petetur.

4 In hac tamen parte quibusdam casibus Clericis iura pepercerunt. Vetuerunt enim ne dum propriæ Ecclesiæ causa peragitur, inconsultis illorum Prælatis (quod tamen

men si non faciant non propterea vitiatur iuramentum) huiusmodi subire iusiurandu cogantur, licet in proprijs causis huiusmodi priuilegio minimè gaudere noscantur.

5 Sed & quo casu hoc iuramentum subire, vel permittuntur Prælati, vel iubentur, non tactis, sed tamen propositis scripturis id implebitur (id est Euangelijs.) De consuetudine tamen est, vt testis tangat Euangelia.

6 In causis spiritualibus olim de calumnia minime iurabatur: sed quia & in illis litigatores frequenter calumniari compertũ est, nouissime sancitum est, vt in eis id, quod in cæteris constitutum est, obseruari debeat. Sed maxime in causis criminalibus necessarium est iuramentum, & in causis appellationis, vt suo loco dicemus.

7 Et non tamen principales, verum etiam procuratores & syndici huiusmodi iuramentũ suscipere compellendi erunt (& idem erit in tutore & curatore) etiamsi quid ponere, aut respondere debeant à dominis instructi fuerint; nec enim illud intra certa iudicij tempora coarctatum reperitur: sed poterit iudex exigere, quoties expedire viderit. Sed hoc in patronis causarum de consuetudine non seruatur: cum tamen optimum esset si etiam aduocatis deferretur hoc iuramentum calumniæ, temperarent enim à patrocinio causarum iniustarum, quas vel propter munera, vel propter amicitias suscipiunt.

8 Procurator tamen, licet habeat specialissimum mandatum ad iurandum nomine Domini, vel respondendum, vel agendum, tenetur nihilominus iurare etiam in animam suam de calumnia, non tamen in animam domini: quandocunque iudici videbitur, quia non debet causam iniustam suscipere.

9 Præterea, quanquam in prima instantia partes iurauerint, non tamen propterea in causa appellationis huiusmodi iuramentum declinare poterunt, cum rursus & de calumnia vitanda, & dicenda veritate iurare partes sint compellendæ.

10 Illud postremo admonendi sumus, quod propter

omissum

omissum tacitè in tota causa calumniæ iuramentum, iudicialis processus alias factus legitimè, nec est nullus, nec ob eam causam venit annullandus; cum huiusmodi iuramenta præstari de substantia ordinis iudiciarij non existat. Et ideo poterit huiusmodi iuramentum remitti per rescriptũ supremi Principis, dum tamen in eo dicatur non obstante tali lege. Verum si hoc iuramentum fuerit petitum ab aliqua parte, & omitteretur, processus esset nullus: nisi tacitè remitteretur, vt volunt. DD.

TITVLVS XV.

De litis pendentia.

1 INstituta ergo lite, & solemnibus præstitis satisdationibus, atque calumniæ iuramento exhibito, ad probationes, & merita causæ descendendum erit: & interim pendente lite nihil innouari poterit. Quod intellige de his, quæ pertinent ad iudicem, & causæ processum: quia ius nouum impetrare, non est attentare.

2 Lis autem pendere hoc respectu tunc dicetur, non modo cum lis contestata fuerit, verum etiam postquam à iudice competenti citatio emanarit, & ad partem citatam peruenerit: vel per eam factum est quo minus ad eius notitiam perueniret, dum tamen in citatione ea sint expressa, per quæ possit quis instrui, super quibus in iudicio conuenitur.

3 Competentem hoc loco iudicem appellamus, qui causa iurisdictionem habet cum exercitio, dato quod illa possit per exceptionem elidi; siue exceptio contingat vt quia suspectus: siue iurisdictionem, vt quia rescriptum surreptitium: valet in hoc casu processus in principali, si non excipiatur. Sicut autem requiritur competentia in iudice, sic & in citatione.

4 Et quia ad probationem & merita causæ acceditur coram iudice competenti, competentibus præstitis satisda-

tisdationibus, sciendum est, quod harum aliquæ præstantur ex parte rei conuenti, partim ab actore. *A reo satisdatur* de iudicio sisti, quæ satisdatio fuit inuenta suspicione fugæ. Et propterea possidens immobilia releuatur ab hac satisdatione, cum tunc non sit probabilis suspicio fugæ. Item ex parte rei est illa fideiussio de iudicato soluendo, quam licet non præstet reus conuentus, præstant tamen defendentes rem alienam: nisi dominus releuet procuratorem in mandato ab hoc onere, vt inoleuit communiter practica. *Ex parte actoris præstatur satisdatio*, de expensis reficiendis in casum succumbentię:& hanc pręstat etiamsi immobilia possideat. Item satisdatio de rato, quæ præstatur ab eo, qui comparet pro actore, cum dubium est de mandato.

5 Planc ab eo, qui postquam à sententia prouocauit, possessionis fructus dissipat, etiam lite pendente, sequestrari poterunt, ne partes deueniant ad arma. Intellige hoc tunc fieri, quando summatim constat iudici, quod potest oriri scandalum vtraque parte contendente possidere: secus quando constat quod vnus solus possidet, & alter turbat, tunc enim non debet apponi sequestrum, sed dari manutentio, & prohiberi habens sub pœna.

6 Sic etiam, si dum super matrimonio lis pendet, secundum quis matrimonium ritè contraxerit, si primum non tenuisse declaratum fuerit, pendentis litis obtentu secundum irritari non poterit. Et tamen, qui in contemptū contraxerit, competens pœnitentia imponenda erit, & intra tempus pœnitentiæ sibi carnali commertio interdicetur. Filij tamen primi matrimonij concepti lite pendente ante sententiam diuortij sunt legitimi.

7 Ita quoque electio facta lite pendente non retractatur, sed differtur eius executio.

T I

TITVLVS XVI.

De Probationibus.

1 EXplicatis omnibus ijs, quæ causæ cognitionem præcedunt, consequens est, vt transitum faciamus ad ipsam cognitionem causæ, quæ per probationem fieri solet. Probatio verò vel à persona rei conuenti desumitur communissimè, vel à causa ipsa, vel demum ab extrinseco, vt est confessio, inspectio, notorium, & testes.

2 Probatio itaque est rei dubiæ per idonea argumenta, (puta, indicia, præsumptiones, & alia adminicula) & legitima media (puta, testes, & instrumenta) facta demonstratio. Quæ regulariter incumbit asserenti, & fit varijs modis, scilicet confessione partium, depositione testium, instrumentorum exhibitione, iurisiurandi religione, inspectione iudicis, nororietate rei, suspicione vehementi, fama publica, atque alijs adminiculis.

3 In genere autem probatio dicitur esse triplex. *Alia euidentissima*, quæ fit per priuilegia, per scripturam antiquorum librorum, & per instrumenta indubitata. *Alia clara*, quæ fit per testes plures, vel facti euidentiam & loci aspectum, & admittitur huiusmodi probatio etiam post conclusum in causa. *Et alia minus euidens*, quæ fit per coniecturas & vehementem præsumptionem.

4 Sed in specie loquendo de probationibus, primaria probatio est per partium confessionem, quæ tunc constat, cum reus positionibus respondendo, vel alias in iudicio de intentione confitetur actoris. Sunt autem positiones, breues quædam narrationes, facti seriem continentes, ad eliciendam veritatem conceptæ, super quibus quis petit ab aduersario responderi: quas ad faciliorem expeditionem litium propter partium confessiones, probationum defectum, vsus longæuus in causis admisit, & iuris probauit auctoritas.

5 Et quia in iure nulla est maior probatio, quam oris proprij confessio, hinc est quod à propria confessione quis recedere non potest; & paria sunt quod quis conuincatur & confiteatur, cũ producunt eundem effectum condemnationis. Sed cum possit esse confessio erronea, ideo permittitur eam posse reuocari, dummodo statim id fiat, & tunc reuocata non præiudicabit.

6 Depositionibus quoque sciendum est, quod differunt magnopere ab articulis & libellis. Quia positiones sunt breues narrationes facti: articulus vero est pars intentionis actoris, continens id quod probare intendit vel per testes, vel per scripturas. Præterea, positiones fiunt per verbum, ponit, ad eliciendam confessionem ab aduersario: articulus autem fit per verbum, probare intendit, & respicit probationes faciendas per testes vel scripturas, casu quo positiones negentur. Item positio fieri potest merè negatiuè, & tenetur illi pars respondere: articulus vero non potest concipi negatiuè, quia esset improbabilis, nisi cohæreret loco & tempori. Item ponens, positum confitetur, si positio fuit in iudicio præsentata; nec potest reuocari, nisi doceatur de errore: siue positio fiat in scriptis, siue non. Sed articulans non censetur fateri quod dicit in articulis. A libello autem differunt positiones, quia libellus habet conclusionem, & respondens libello litem censetur contestari. (nisi forte essemus in summarijs) positiones vero tantummodo ad eliciendam veritatem sunt conceptæ. Capitulorum demum generalior est appellatio (licet interdum promiscuè his nominibus vtamur) & comprehendit tam articulos, quàm positiones. Vnde terminus datus ad capitulandum, censetur datus tam ad ponendum, quàm ad articulandum.

7 Si quis igitur positionibus factis respondere requisitus per iudicem, recusauerit, vel ne responderet se per contumaciam subtraxerit, pro confesso habendus erit. Valeret tamen spontanea confessio, si fieret ad instantiam aduersarij iudice non præcipiente; non tamen ipso iure, sed per sententiam declaratoriam.

8 Et

8 Et quia dictum est recusantem respondere positionibus haberi pro confesso, hoc ita intelligendum est, dum requisita omnia, ad verificandum hanc conclusionem concurrent. Et primũ, qualitas causæ, alioquin ex sola contumacia in non respondendo positionibus non poterit condemnari; nec habetur tunc pro cõfesso vel negante, quando libellus est ineptus, vel non concludens, vel manifestam continens rei defensionem. Quia & monitus à iudice vt respondeat positionibus, poterit moram purgare, maxime re integra. Deinde requiritur vt positio sit pertinens, & cum termino; alias, etiamsi quis non responderit, non habetur pro confesso, neque contumace. Ad hæc confessio facta à pupillo non tenet, necesse est vt sit à pubere vel maiore; idque sponte facta, non coactè, & coram suo iudice pro tribunali sedente, & præsente aduersario, tum demum legitima erit. Alias contra contumacem absolute procedendum erit prout iuris ratio dictauerit.

9 Redditis autem circa exhibitas positiones responsionibus, diligenter ab actore dispiciendum erit, an à reo super controuersia legitimam confessionem extorserit; quo quidem casu, & ipse probationum oneribus releuabitur, & iudicis in cognoscendo partibus cessantibus statim super tali confessione pronunciandum erit.

10 Et quia confessus & probationibus conuictus æquiparantur, & consequenter sequuta confessione debet sequi condemnatio, hoc ita intellige; vt debeat ei concedi breuis terminus aduersus confessionem, vt eam excuset emanatam esse vel per errorem, vel per iracundiam, vel per nimiam festinationem, aut extortam formidine tormentorũ; quod vbi docuerit, nullum præiudicium confitenti generabitur, præsertim si talis confessio per procuratorem facta fuerat. Similiter ficta confessio alicuius non nocet suo hæredi, si non habuerit effectum contra defunctum. Nec itidem confessio filij ficta nocet patri. In confessione verò deliberata, quod sua quisque voce dilucide contestatus est, proprio non valebit amplius testimonio infirmare.

11 Non tamen, quia poſitionibus reus reſpondere cõpellitur, ſi documenta quoque, quæ ad cauſam pertinentia penes ſe detinet, niſi ſibi cum actore ſint communia, exhibere compellendus erit. Nam graue nimis eſſet illum ad eorum exhibitionem vrgeri, per quæ ſibi poſtea præiudicium fieret. Sed actor ipſe inficiante reo ſumptis congruis dilationũ temporibus intentionis ſuæ proprias probationes afferet, vel teſtes inducendo, vel inſtrumenta, & alias ſcripturas producendo. Nos autem non tenemur aliquid facere pro beneficio alterius cum damno noſtro.

TITVLVS XVII.

De inductione teſtium.

1 QVia communiſsima per teſtes, cauſarum probatio, in iudicijs fieri conſueuit; idcirco ex dictis eorum veritatem eruere volentes inprimis conſiderare debent qualiter eos recipere habeant; deinde quot, & qualiter examinandi ſunt: tunc qui poſſunt eſſet teſtes; & quid concedendum, ne pereant probationes: an liceat probare poſt renunciationem: quando, & quomodo opponendum contra teſtes: qualiter teſtis poſsit ſcriptum corrigere, & his ſimilia, de quibus toto hoc titulo agemus.

2 Debet autem in primis, ſi ex dictis teſtium rei ſit eruenda veritas, admoner i aduerſarius, quòd auditurus iuramentum veniat, ne ſi prætermiſſum id fuerit, quod contra leges actum deprehenditur, nullam habeat firmitatem. Probatio enim teſtis regulatur à iuramento: & ideo Rota Romana canonizauit hanc concluſionem, reum eſſe citandum ad videndum iuramentum.

3 Sed & teſtium depoſitiones non aliter recipiet iudex, quàm prius iurisiurandi religione firmauerint, quòd tantũ quæ vera nouerint profeſsione ſuæ teſtificationis aperient: nullius enim teſtimonio, quantũcunque religioſus exiſtat,

(etiamſi

(etiamsi esset Episcopus, vel Cardinalis) nisi cu ratus deposuerit, in præiudicium credi debet alterius: nisi forte iuramentum ab aduersa parte remittatur. Formalia enim concernentia principaliter fauorem partis possunt remitti. Et dictum magni viri iurati faciet præsumptionem.

4 Quod si pars citata ad videndum iurare, & deponere testes venire noluisset, valebunt tamen depositiones ac si venisset: cum venire, vel non, sit in potestate partis. Quod si verò non posset venire? valent nihilominus depositiones mero iure: licet legitimè impeditus sit restituendus ad deponendum contra testes.

5 Quod si testes à iudice moniti, sese, vel odio, vel timore à feredo testimonio subtraxerint; per censuras ecclesiasticas testificari compellendi erunt: nec audientur, quòd sese quominus deponant, proprij iuramenti vinculo innodatos asserant, quia istud iuramentum illorum tanquam illicitum non potest obseruari sinè peccato, cum testimonium ferè sit munus publicum, vnde celare veritatem erit peccatum grauissimum.

6 Interrogabit ergo iudex testes in qualibet causa ad minus duos (nulla enim causa est regulariter quæ vnius testimonio quantumuis legitimo terminetur) eosque diligenter examinabit de singulis circumstantijs, & qualitatibus totius causæ, super interrogatorijs partis, videlicet de personis, loco, tempore, visu, auditu, scientia, credulitate, fama, & certitudine; cæterisque, quæ ad rem facere, & negotio conuenire existimabit. Vbicunque autem agitur ad peccatum impediendum, nec ius alterius læditur, sufficit dictum vnius.

7 Testes verò examinati, & non interrogati de causa scientiæ, & super omnibus interrogatorijs (præcipuè in criminalibus, & in causa summaria) non dicuntur ritè examinati: ideo possunt repeti, etiam publicatis eorum dictis, tanquam non ritè acceptis. Quod enim de auditu, fama & credulitate interrogātur testes, ad præsumptionem potius quàm ad plenam probationem pertinet. Super quibus vero

exa-

examinari debent testes, clauduntur his versibus.

Auditus, visus, persona, scientia, causa.
Fama, locus, tempus ac certum, credulitasque.
Dum testes recipit iudex hæc iuncta notabit.

8 Si qui tamen eorum, qui interrogandi sunt, valetudinarij, vel senes, vel debilitate confecti habeantur, vel etiam ita paupertate depressi, vt ad præsentiam iudicis venire non possint, idoneum deliget iudex, quem ad suscipiendas illorum attestationes dirigat. Idem si sint egregiæ personæ, debet enim ad eas iudex mittere: nisi illæ suo priuilegio renunciare velint, vel causa sit criminalis, aut ita ardua, vt testis debeat deponere in præsentia iudicis; quia tunc potius debet egregia persona ire ad eum, quã contra.

9 Testes verò non omnes recipiendi sunt, sed fideles duntaxat (non hæretici neque Machometani aut Iudæi) & idonei. Censentur autem testes idonei conditione, natura, & vita. *Conditione*, si liber testis, non seruus. Seruus enim sæpe metu dominantis, veritatis testimonium supprimit. *Natura*, si vir sit non fœmina. Nam varium & mutabile semper fœmina. *Vita censetur testis*, si innocens sit, & integer. Nam si vita bona defuerit, fide carebit. In summa, quicunque iure minimè prohibentur, ad testimonium perhibendum sunt admittendi.

10 Si tamen quando alicuius mulieris testimonium necessarium fuerit, cum mulieres honestas ipsa, ac naturalis pudor virorũ cœtibus immisceri prohibeat, quacumque auctoritate testimonij ferendi causa, vel alia, quæ iure non exprimatur, in iudicium personaliter euocari, vel trahi non poterit: sed ad eam mittendus tabellio (vel alia honesta persona, puta presbyter) & iuxta Bonifacianæ constitutionis tenorem procedendum erit.

11 Vt autem testis possit dici integer; quatuor communiter concurrere debent. *Primo*, vt sit immunis à crimine, nam enormiter peccans non facit fidem etiam cum iuramento. *Secundo*, vt procul sit ab infamia. *Tertio* procul à fraude; quia dicens fraudulenter se inimicum, vt se à testificando

ficando subtrahat, licet mortaliter peccet, quia dicit mendacium in causa proximi, nihilominns fraude comperta reciperetur, & ei crederetur. Et *quarto* carens suspicione criminis, de quo causa vertitur in iudicio.

12 Clerici ergo à ferendo testimonio super negotio propriæ Ecclesiæ: vel aliæ singulares personæ,in causa suæ vniuersitatis repellendi nō erunt: nisi ad agendum, respondendumue fuerint instituti (quia nemo debet habere duplex officium in vna causa) vel ipsos alia causa probabilis impedierit. puta, excommunicatio, crimen graue, periurium, infamia, vel simile quidpiam.

13 Monachi quoque, & quicunque sub alterius obedientia constituti sunt (vt sunt Canonici regulares, Iesuitæ, conuersi & alij religiosi huiusmodi) de sui Prælati licentia rectè testimonium dicent.

14 Christianorū quoque testimonia aduersos Iudæos, in omnibus causis recipienda erunt, nullis sibi contra hoc Principum priuilegijs suffragantibus. Sed contra Christianum, nec Iudæus, nec Paganus, nec hæreticus, aut aliter infidelis; nec excommunicatus, aut suspensus, aut aliter criminosus rectè testimonium dicent.

15 Plane quod de criminoso diximus, distinctionem recipit. Nam si is, qui ab aduersa parte opponitur,adhuc in ipso crimine perseuerat, tam in ciuili, quam in criminali causa ab omni prorsus testificandi officio excludendus erit: si vero sit de crimine emendatus, nec eum comitetur infamia, non est causa ciuili, vel etiam cum de crimine ciuiliter agitur, præterquam pro reatu periurij, repellendus. Quod procedit tunc quoties quis violauit iuramentum licitum, vel de quo dubitatur an sit licitum. Si vero iurameutum sit illicitum & temerarium,secundum communem opinionem non repellit à testamento, nec infamat: sicut nec à dignitate repellit.

16 In criminali autem quæstione, si in alio iudicio contra ipsum accusatione de crimine instituta, confessus vel conuictus fuit, vel si tunc per exceptionem conuincatur; aut

aut eius grauata sit opinio, ex eo quod quandoque fuit tali modo repulsus, quamuis hoc casu non excluderetur, in causa ciuili, potest à testimonio licet egerit pœnitentiã remoueri. Nam ex quo semel commisit quis periurium in testificando in illo officio, suspectus est semper in illo licet sit emendatus. In teste enim pura & simplex requiritur veritas, & iuramentum est veritatis confirmatio: iam autem nihil est æque veritati contrarium ac falsitas, quæ est veritatis immutatio: ideo quilibet periurus est infamis, & talis non admittitur ad purgationem alterius, præsertim cum fuerit pro falsitate semel condemnatus, & licet quantumcunque sit emendatus, semper tamen remanet suspiciosus, quod velit iterum deierare. Testis vero debet omni infamia & suspicione carere.

17 Illud in dubium non venit, eius testimonium, qui integer deposuit, infringi debilitariue minime posse, quanquam illum post depositionem factam esse contigerit criminosum. Nec enim quod recte semel factum est, ex huiusmodi euentu postea debet infirmari, cum culpandus non sit, qui idoneum nunc in testes producit, si aliquando eundem futurum malum non diuinauerit.

18 Domestici quoque (puta qui subsunt vel ratione patriæ, vel ratione paternæ & dominicæ potestatis, & familiares mercenarij, & qui viuunt ad vnum panem) & qui similem habentes causam, consimili quoque morbo seu delicto verisimiliter laborare existimandi sunt, si certum id sit, aut super eo legitimè conuinci posśint, si ab alteutra partium testes adducti fuerint, ad testimonium admittendi non erunt. Quod si alij testes inueniri non poterunt, nisi de familia, & similem habentes causam; poterunt quidem admitti, sed non quo ad effectum plenæ probationis; & quanta sit illis adhibenda fides, iudex ex varijs circumstantijs arbitrabitur.

19 Is quoque, qui in prima instantia, alicuius causæ aduocationem & patrociniũ susceperit, licet aduocatus & procuratore esse desierit; quia tamen adhuc affectus causæ

præ-

præsumitur, in iudicio appellationis in testem recipiendus non erit. Sed si quis fuerit quidem procurator constitutus, mandatum tamen non receperit, testificari poterit. Notarius verò, qui scripsit acta, non prohibetur esse testis; sicut & iudex, coram alijs iudicibus, de gestis coram se, rectè deponere potest.

20 Dabunt autem iudices, tam in ecclesiasticis, quàm in ciuilibus causis ad exhibendos testes, non solùm vnam, sed ex causa secundam etiam, & tertiam dilationem: quartam verò disceptantibus non largientur, nisi præstito ab eo qui postulat iuramento, quod non per calliditatem aliquam quartam productionem postulet, nec moræ faciendæ causa. Sed quia illorum, quos instat nunc de nouo producere, prius notitiam habere nequiuerit: quodque neque per se, neque per alium testificata subtraxerit vel dicerit; quo casu quartam quoque dilationem accõmodabit iudex; maxime si productioni testiũ non fuerit à partibus renunciatum. Tunc enim pars quæ probationibus renunciauit, non est ad hoc vlterius admittenda.

21 Siquidem, ne probationes depereant, multa permittuntur, quæ alioqui non concederentur: vt ecce, si is in causa iudex datus fuerit, quem in testem produci sit necessarium, remouendus (nisi vellet iurare quod nihil scit in illa causa) & alius in locum substituendus erit. Sic & alias citato aduersario (semper enim præmitti debet citatio, vbi agitur de præiudicio absentis) recipiuntur, & publicantur testes, quos reus inducendos duxerit. Sic & Ecclesia necessariæ probationis omissione læsa, etiam aduersus Ecclesiam restituenda erit.

22 Elapsis igitur tribus dilationibus, postquam renunciatum est probationibus, & publicata dicta testium, regulariter producendi testes rursus non erit danda copia, Et sicut non licet super eisdem, vel directo contrarijs articulis alios, vel eosdem testes in principali causa producere: sic non debet in causa appellationis licere, cum non minus in ea, quam in principali, testium sit timenda subornatio.

23 Limitatur tamen, quando culpa, vel malitia examinatoris, vel iudicis, testes non fuerunt recepti. Similiter quando testes fuissent nulliter recepti, tunc poterunt denuo legitimè recipi, etiam post publicationem, dummodo non misceantur alij testes de nouo. Item in causis criminalibus admittuntur testes ad defensam rei, etiam post publicationem in causa factam. Vel vbi in prima instantia fuit articulatum de maiori vel minori. Itidem si examinator omisit examinare super aliquo articulo secundam tabulam, tunc post factam publicationem in causa, recipiuntur iterum testes & examinantur. Idem censendum quando notarius deponit viua voce pro suo instrumento: Et quando prima sententia fuit declarata nulla, in secunda instantia articulatut idem, vel contrariū. Similiter quando esset perempta instantia. Etiam quando in petitorio possum ponere idem, vel de directo contrarium in possessorio. Item quādo in prima causa probaui intentionē meam per duos testes, & pars aduersa probauit contrarium, possum facere eundem articulū, & examinare alios testes. Vel demū quādo probari posset testes corruptos falsum dixisse.

24 Quod si noua contingat emergere capitula, super quibus partes testes nouos velint inducere, recepto solēni iuramento testium, non obstante publicatione, super veteribus facta, nec in primo, nec in secundo iudicio reijciendi erunt.

25 Sed interdum accidit, vt eos, qui iure in testes recipi non debuerant, admissos tamen esse ab aliqua partium prætendatur: in qua specie statutum est, vt si quid in eos habent (quod sint periuri, infames, serui, inimici, conspiratores) ante publicationem debeant obijcere, postea verò tunc demum id licebit, cū iuramento partes firmauerint, quod non dolo velint ad opponendum descendere.

26 Sed etsi ostendere (puta per iuramentum) quis paratus fuerit, post publicationē didicisse, quod in personas vult obijcere, tunc quoque opponendi patere debet aditus. Idemque iuris est, si forte quis ante publicationem id fuerit

rit protestatus. Cęterum, cum quis protestatus fuerit, velle se post publicationem depositionum, personas testium repellere, si quid in fauorem potestantis dixerit, non de facili fides adhibebitur: Nisi iudicis & aduersarij accedente consensu.

27 Illud etiam admonendi sumus, quod non solum testes super principali negotio deponentes alijs testibus licebit repellere; sed etiam contra secundos primorum reprobatorios probationes proferre licebit. Et non admittente iudice, appellationis remedium licitum erit interponere.

28 Licet ergo reus sibi debet imputare, quod non produxit testes in principali; quia si produxisset, fuisset æqualis cum actore. Nam aut reus probat in principali, & tunc indubitanter seruatur æqualitas respectu eius; aut solus actor produxit testes in principali, & tunc etiam seruatur æqualitas respectu facultatis reprobandi. Quia quælibet pars habet viam duntaxat reprobatoriam; & in potestate rei fuit producere testes in principali, & in hoc potuit sibi præiudicare. Nam & idem videmus in reo, quando ipse solus produxit testes super exceptione sua; actor enim habebit solum vnam productionem reprobatoriorum, & reus duas productiones, scilicet probatoriorum & reprobatoriorum: & sic quocunque te vertas inuenies æqualitatem.

29 Vlterius autem partibus ad reprobationem testium aspirare minimè licebit, ne si producendi quartos contra ternos, & sic deinceps partibus licentia tribuatur, negotium contingat in infinitum probari, quod omnino vitandum est.

30 Publicatis igitur attestationibus non solum ad multitudinem testium respicere iudicem oportet, sed etiam ad qualitatem illorum. Item depositiones rimari, & diligenter inspicere debet, & ex his, quibus potius veritatis lucem assistere iudicabit, animi sui motum informabit. Primoque obseruabit qualitatem testium, quia sunt honestiores, ditiores, doctiores & melioris famæ. Deinde qualitatem

depositorum, quia sunt iuri communi consona, aptiora negotio de quo agitur, & personæ producenti non contraria.

31 Quòd si circa alicuius testis dictum, iudicis hæsitet intellectus, eundem rursus ad examen reuocare poterit. Et generaliter iudex ad prolationem sententiæ interrogare super facto poterit, vbicumque aliquid dubitationis inciderit. Eum quoque, qui non studiosè, sed linguæ lubrico errauerit, & sese confestim correxerit, reprobare iudex non debet: secus autem si correctioni suæ tempus interposuerit.

32 Repetere autem, non solùm obscurè deponentem poterit, sed etiam si à principio super certis capitulis eundem interrogare, postulante aduersario, vel negligentia, vel calliditate prætermiserit.

TITVLVS XVIII.

De Instrumentis & Scriptura.

1 QVia litigantes intentionem suam, non solùm viuæ vocis adminiculo probare consueuerunt, sed etiam per scripturas publicas & priuatas; ideo post probationes testium ad probationem instrumẽtorum descendendum esse putauimus, quæ quidem in litibus exercendis eandem cum depositione testium vim obtinere solent.

2 Exhiberi autem in iure poterunt instrumenta, non solùm ante attestationum publicationem, sed & postea, vsque ad definitiuæ sententiæ calculum; antea tamen quam in causa conclusum fuerit. In causa autem conclusum esse tunc dicimus, cum à partibus omnibus probationibus renunciatũ fuerit. Quod tamen non procedit aduersus miserabiles personas, & Ecclesiam, quarum fauore possunt instrumenta nouiter reperta produci etiam post cõclusionem in causa. Idem fit quando instrumenta essent solu-

solutionis, nam tunc etiamsi esset lata sententia, adhuc produci possunt, & sententia retractatur.

3 Non tamen omnis scriptura in iudicio producta fidem faciet, sed ita demum, si per manum publicam (Notarij videlicet qui est seruus publicus) scripta fuerit, ita vt appareat publica, & authentico sigillo (puta Episcopi, au Principis) muniatur, vt fiat adminiculo viuæ vocis videlicet eius qui scripsit ex testium probet: alioqui nullius roboris firmitatem obtinebit. Illa etiam scriptura dicitur publica, & probat, quæ per statutum approbatur tanquam publica.

4 Solet autem publica scriptura tribus modis esse suspecta. *Primo*, quando esset rasa, abolita, vel cancellata in loco substantiali. *Secundo*, quando producitur à persona vili, suspecta, & solita falsificare. *Tertio*, quando Notarius qui eam scripturam confecit, esset persona suspecta, eo quod solitus sit falsa instrumenta conficere.

5 Idem & de exemplis dicendũ erit: quæ tamen si solemniter sumpta fuerint, eandem cũ originalibus habitura sunt authoritatem. Solemniter autem tunc dicentur sumpta, cum coram ordinario iudice, (aut administrationem habente) vel ad hoc ab ipso specialiter delegato præsentata fuerint, atque is diligenter inspecta, dum nulla parte sua vitiata comperit, per publicam personam, exempla sumi præcepit. Quod tamen non permittitur nisi ex iusta causa, vt puta, quotiescunque verisimiliter timetur ne pereat probandi facultas propter vetustatem originalium.

6 Eandem etiam authoritatem & ea obtinebunt, quæ ad petitionem eorum ad quos pertinent, permissu iudicis ordinarij in publicam formam redacta fuerint, si tabellio morte præuentus ea non perfecerit, sed in notis tamen redacta moriens reliquerit. Vnde infertur, quod post exemplationem solemniter factam, aut redactionem in publicam formam, non est opus producere ipsa originalia, quia iam authentica habentur.

7 Exhibebuntur ergo instrumenta publica, non cancellata,

cellata, neque abolita, nec vlla parte sui vitiata, aut aliquo pacto de falsitate suspecta: quanquam si exceptor literam imprudens omiserit, aut documentum in loco non suspecto (scilicet in nominibus iudicum, in data, in remotione appellationis, in nominibus partium, aut rerum de quibus agitur, & in multis alijs, super quibus discretus iudex arbitratur) interleuerit, non propterea veri fides, & instrumenti auctoritas vacillabit.

TITVLVS XIX.

De Iureiurando.

1 QVòd si actor nec testibus, nec instrumentis intentionem suam legitimè deducere poterit, permitente iudice, non plenæ probationes iurisiurandi religione suppleri, & causa terminari poterit. Et quia quotidiana hæc materia est, nec Iuris præsertim Pontificij peritis negligenda, ideo fusius hoc loco de iuramento, cum propriè ad hoc ius spectet tractabimus: quo nomine iudex ecclesiasticus etiam in iudicem laicum iurisdictionem habet, vt ille ecclesiastica censura (vbi opus sit) perculsus, iuramentum, quod salutem animæ respicit, seruari à suis subditis faciat.

2 *Est autem iuramentum* veritatis confirmatio, cũ aliquid Deo teste asseritur. Soletque interponi, cum vel facturos nos aliquid promittimus, vel non facturos sub religionis vinculo; vel cum super veritate rei alicuius, vel facti respondemus, aut testimonium exhibemus, vt quæstio aliqua, vel lis dirimatur. Deberque iuramentum quodlibet tres comites habere, veritatem conscientiæ, iudicium, seu rerum discrimen, & iustitiam. Quocirca iuramentum generaliter editum, si fieri poterit, sic exaudiri debebit, vt iuri non aduersetur, quò seruari possit: Alioquin, si contra canonicas sanctiones esset, non iuramentum, sed periurium potius appellari deberet, nec aliqua ratione seruandum esset.

3 Et cum causa distinctionis ipsius iuramenti sit voluntas nostra, quæ aliquando liberè, & aliquando coacte ad id mouetur; ideo multiplices quamuis diuisiones iuramenti numerentur, in proposito tamen nostro dupliciter tantū considerari poterit, vel vt necessarium sit, vel voluntarium. *Necessarium iuramentum est*, quod ad supplendas probationes à iudice defertur, quod propterea necessariū nuncupatur, quod à iudice illud omnino deferri partibus oportet, & quod rite delatum ab eisdem recusari non poterit, nisi ex iustis causis. *Voluntarium vero iuramentum est*, quod à parte parti in iudicio defertur: quod quia litem terminat, decisorium quoque nuncupari poterit. Et appellatur voluntarium, quia pars non nisi volens deferet, & ab eo cui defertur, licite recusari, ac referri poterit.

4 Sunt autem iustæ recusandi causæ, vt puta, si actor plenè probauerit, aut si sibi nō planè cognitam rem ipsam asserat, & si quæ sunt huiusmodi. Sed etsi pro reo præsumptiones fuerint, eidem hoc Sacramentum iudex deferet, ad suam tuendam innocentiam. Nisi inspectis personarum & causæ qualitatibus, illud actori deferendum censeat. Non enim cuilibet defertur hoc iuramentum, sed requiritur, quod is cui defertur, sit persona honesta & bonæ vitæ: quia vili & suspectæ de periurio non defertur. Nec etiam huiusmodi iuramentum defertur in causa ardua vel criminali, sed in causa modica & ciuili tantum.

5 Planè, si reus famosis actionibus conuentus fuerit, huiusmodi iusiurandum agenti referre minime permittetur, cum non actor, sed ipse qui conuenitur, facti proprij conscius esse debeat. Iuramentum enim in litem locum habet in actionibus bonę fidei, & in actionibus in rem arbitrarijs, sed ob dolum tantum, vt supra attigimus. Ac potest iudex hoc iuramentum, si nimium excedat, moderari. In actionibus quoque stricti iuris huic iuramento in litem locus esse potest, si alia veræ æstimationis probatio non suppetat.

6 Multa porrò, ac magna sunt iuramenti priuilegia: nam

nam & efficit, vt etiam laicus, qui iuramentum super contractu pręstitit, ab ecclesiastico iudice ad illud obseruandũ compelli possit. Idem hanc vim habet, quòd actus, super quo fuerit interpositus, omni, quo melius poterit modo sustinebitur; non patitur iuramentum moræ culpam semel commissam expiari; operatur, vt qui facere aliquid cum iuramento promisit, omnino id facere compellatur, nec liberetur, quamuis id quod creditoris interest, præstare paratus sit. Prohibetque, ne promissi aliquem etiam in contractibus innominatis pœnitere possit: quamuis nec dum altera pars suum ei promissum impleuerit.

7 Item per creditores debitorem interpellat, pluresque contractus, qui alioqui fortè aliquo vitio, vel impedimento obstante non valerent, corroborat ac confirmat; Priuat fideiussorem beneficio, quod ei contra creditorem competebat, ne prius ipse conueniri posset, quàm debitor principalis excussus fuisset. Præterea iuramentum in causa est, vt emphiteota, vel conductor non soluentes pensionem etiam ante biennium expelli à domino possint. Multaque alia priuilegia operatur, quæ aliunde exposcere vnicuique licet.

8 Qui præstitum à se iuramentum non necessitate, sed sua voluntate vltro adactus violarit, deponendus est, & ab Ecclesia sua remouendus. In Episcopos autem, qui suum iuramentũ fuerint transgressi, est tanto grauius vindicandum, quanto maiore præeminent dignitate, & quanto facilius alij possunt eorum exemplo ad similia prouocari.

9 Non deierat tamen, qui iuramentum suum in melius commutat; vel cui alter ex parte sua iuramentum non impleuit, si & ipse implere illud detrectet.

10 Verum si cuius præceptis stare iurauero, & is mihi aliquid illicitum iubeat, puta, vt vxorem dimittam, vel filium exhæredem faciam, ei parere non sum adstrictus. Eadem ratione qui iurant patrem aut matrem non alloqui aut alios cognatos, vel eis humanitatis subsidiũ non exhibere, ab huiusmodi iuramenti obseruatione soluendi sunt,

cum

cum illicitum & rationi contrarium sit; iniuncta eis tamen ob hoc, quòd male iurauerunt, pœnitentia competenti.

11 Sic etiam iuramentum in damnum Ecclesiæ redundans seruandum non est, puta, si Prælatus res Ecclesiæ ablatas non repetere iurasset. Aut is qui Religionem professus fuit, iuraret postea, se in claustro deinceps non moriturum eius Monasterij, cui se addixit. Temerarium est huiusmodi iuramentum, nec seruandum, quòd fidem professionis frangeret, ac stabilitatis propositum euacuaret.

12 Pari etiam ratione potero ego effugere, ne illi paream, cui sub iuramenti religione parere tenebar, si is mihi aliquid iniungat, ex quo iuramentum olim à me licitè pręstitũ violaretur. Hinc & creditores ad iuramenta relaxanda de soluendis vsuris præstita, ecclesiastica districtione, coguntur: quam relaxationem si debitores non petierint, cogendi erunt omnino iuramentum reddere. Sed cum vsuræ solutæ fuerint, creditores debebunt ad eas restituendas, ecclesiastica seueritate, si necesse fuerit compelli. In iuramento etiam semper intelligi debet ius superioris exceptũ.

13 Iuramentum autem, cuius obseruatio salutis æternæ interitum non afferat, seruandum est: nisi relaxatum sit. Quia & dubitatum olim fuit, an si vi, aut metu extortum sit iuramentum, absolutione vlla opus sit? nam quod petita absolutio his casibus concedenda sit, nemo, vt opinor negat. Et frequentibus sententijs receptũ est, extorta hisce modis iuramenta adstringere, ac forũ contentiosum ad eorum obseruationem cogere, quamdiu ea relaxata non sint.

14 Ea quoque iuramenta, quæ Canonici, aut alij, qui ad Collegia quęcumque admittuntur, iurant, videlicet statuta & consuetudines earum Ecclesiarum, Collegiorum, vel locorum, se omnino obseruaturos, sub qualicumque verborum forma emanarint, ad illicita, impossibilia, & libertati ecclesiasticæ repugnantia non extenduntur. Sed iam reliquas probationum species expediamus.

TITVLVS XX.

De Præsumptionibus.

1 DIximus præcipuam probationem in iudicio esse, confesionem partium, depositionem testium, instrumentorum exhibitionem, & iuris iurandi religionem: reliquum est, vt prosequamur debiliores probationis partes, per quas præsumitur quoque veritas elici causæ, & adminiculum probationibus prestari, puta per inspectionem iudicis, notorietatem rei, suspicionem vehementem atque famam publicam, ex quibus singulis iudex varijs argumentis collectis debet animum suũ instruere.

2 Iudicis itaque inspectione consistunt probationes, cum pro terminandis finalibus questionibus proprijs oculis (poterit etiã mandare peritis, vt suo nomine inspiciant) loca iudex subijcit: aut ex aspectu operis ætatem colligit: aut cum ex literis ordinarij, vel apostolicis excommunicatus, aut dignitatibus honestatus quis deprehenditur. Vel cum ad probandam virginitatem, aut conceptionem partus ab honestis, & prudentibus matronis, vice sua iudex inspici mulierem iubet.

3 Sed etsi quid notorium fuerit, testium depositionibus, vel instrumentorum exhibitione amplius declarari non debet, cum talia probationem, vel ordinem iudiciarium non requirant. Est autem notorium, & dicitur propriè id, quod est ante oculos situm; vel est in mentibus hominum ita radicatum, quod euelli, vel occultari non possit.

4 Est autem notorium triplex. Facti, Iuris, & Præsumptionis. *Facti est*, quod ita se exhibet hominum conspectui, quod nulla potest tergiuersatione cælari. Et in tali appellans non auditur: in tali creditur simplici officiali: in tali non requiritur scientia omnium, sed plurium. *Iuris est*, de quo aliquis condemnatur, vel id iure confessus est.

Et

Et in hoc notorio quandoque requiritur probatio, si negetur. *Notorium præsumptum est*, paternitas, filiatio, consanguinitas, beneuolentia, amor, præstitaque beneficia & munera. Sed cum multa dicantur quæ non sunt, prospicere debet iudex, ne quod dubiũ est pro notorio recipiat.

5 Ad notorium propè accedit vehemens suspicio. Nam si, exempli gratia, de carnali copula quæratur, & sint qui solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto iacentem locis secretis, & ad hoc commodis, & horis electis se vidisse deponant, procul dubio ex suspicionibus tam vehementibus sequutam copulam pronunciari poterit. Plane si de graui crimine actum fuerit, propter solam suspicionem, quanquam vehementem, nemo condemnabitur. Nam licet occulta per coniecturas & præsumptiones manifestentur, non tamen quælibet præsumptio probat; cum habeat latitudinem ingentem, & ideo debet esse vehemens.

6 Suspicio tamen quæ sumitur ex signis exterioribus operum aut verborum, vim notorij habet, & concludit frequenter: puta, si quis propositiones hæreticas publicè asserat, vel adoret sepulchrum Machometis, etiamsi ista sine errore intellectus aliquis proferat & sine pertinacia asserat, aut faciat, tamen Ecclesia quæ exteriora iudicat, præsumit vehementer huiusmodi hominem hæreticum esse, aut Machometanum.

7 Fama quoque, si de aliquo facto inuulgata fuerit, cæteris præsumptionibus nõ leue (præsertim in quibusdã) præstabit adminiculum, siue infamiam inurens alicui ex dissolutione vitæ, siue bonum nomen præstans ex probitate morum. Potestque tribus modis considerari tam bona quam mala vniuscuiusque facti, vel personæ fama. *Primo* ex vulgi vago rumore, nullum certum authorem aut causas probabiles habens. *Secundo* ex malitia & arte alicuius demandata, pro commodo & vtilitate propria, ad effectum probandi intentionem suam. *Et Tertio* habens originem à personis fide dignis, grauibus, iuridicis, & de quorum commodo non agitur, habens causam & rationem

ortus sui. Et talis fama, licet ex se non probet plenè, tamen probationem factam coadiuuat. De testibus vero fama debet esse solida, inconcussa excellens, non vaga, non leuis, non contraria.

8 Denique circumspectus iudex, motum animi sui, non ex vna tantũ re, sed ex varijs argumẽtis & testimonijs, quæ rei aptiora esse compererit confirmabit. Iudicaturum enim oportet cuncta rimari, & ordinem rerũ plena inquisitione discutere; nec sententiam prius ferre, quam peractis omnibus, nihil habeat in quæstione, quod proponat.

TITVLVS XXI.

De Sententijs, & re iudicata.

1 CVM duo præcipuè videantur esse actus ipsius iudicij, cognoscere videlicet causam & iudicare; & hactenus locuti sumus de cognitione; restat vt videamus nunc de sententijs & re iudicata; quia ex probationibus deuenitur ad sententias, & ex sententijs ad rem iudicatam. Primò ergo consideremus, quid, & quotuplex sit sententia; deinde quomodo sit ferenda; & tandem quid iuris sit, si diuersæ, vel contrariæ sententiæ fuerint latæ, & non secundum præscripta Canonum.

2 Cum itaque officiũ iudicis cõsistat in absoluendo, vel condẽnando, ideo sententia ab illo prolata nihil aliud erit, quam controuersię corã illo propositæ ritè facta definitio. Differt autem sententia à decreto: quia sententia dicitur quando continet verbum, absoluo te, vel condemno: decretum verò continet possessionem, vel quid simile, vel admissionem. Et sententia ex falsa causa, quæ consistet in facto non est nulla, decretum vero est nullum. Præterea laudum arbitri dicitur sententia, & habet executionem paratam, decretum autem non item.

3 Sententiarum duæ sunt species: aut enim interlocutoriæ sunt, aut definitiuæ. *Interlocutoria est illa*, quæ inter principium & finem causæ, fertur super his, quæ incidunt

vel

vel emergunt, qualis cum iudex dandam, vel negandam dilationem, ad examinandos testes, vel exhibenda instrumenta interloquitur. Vel super aliquibus exceptionibus pronunciauit, quam nec in scriptis ferri oportet, & ante definitiuam sententiam quãdocunque iudex reuocare poterit. *Definitiua verò sententia est*, definitio iudicialis, quæ condemnando, vel absoluendo principali controuersiæ finem imponit. Definitiua enim, quæ nec condemnationem, nec absolutionem continet, pro nulla habetur: hanc simul ac tulerit, retractandi copia iudici denegabitur.

4 Non tamen vt sententia valeat, condemnandi vel absoluendi verbum necessario continere debebit, sed satis erit, quod verbum æquiualens contineat; cum non intentio verbis, sed verba deseruiant intentioni. Vnde rescriptum est eius definitionem, quæ ita se statuere, & præcipere pronunciasset, legitimæ sententiæ obtinere firmitatem.

5 Vocatis igitur partibus, loco & tempore congruis, iudex ipse sedens sententiam de scripti recitatione proferet: alias, si non iudex, sed alius legerit; vel scriptã litigatoribus tantum ediderit; vel stando, non sedendo tulerit, nullius penitus momenti erit, vt ab ea nec appellare sic necesse. De forma enim sententiæ istud est, vt deliberate primo scribatur, & postea legatur, nullam emendationem postquam pronunciata fuerit admittens.

6 Episcopo tamen, quem tantæ dignitatis apex attollit, vt non sit dignitas in Ecclesia Dei Episcopatu maior, instar personarum illustrium, sententiam, per alium recitare permittitur. Sed sunt & alij, in quibus valet sententia sine his solemnitatibus.

7 Sed si plures iudices sint, vel arbitri, si cæteris præsentibus ac mandantibus per vnum tantum sententia recitetur, si plurali numero perlegendo vsus fuerit, perinde habetur, ac si ab omnibus recitata fuerit: licet aliud in electione seruetur.

8 Si vero duo iudices ordinarij diuersas sententias proferant, tunc prolata sententia tenet pro reo, nõ pro actore.

Nisi agentis causa sit fauorabilis, vt puta, libertatis, dotis, matrimonij. Si vero delegati iudices fuerint, tunc sententia pendet ex arbitrio delegantis. Quod si ex compromisso, vtraque firmitatis robore destituitur.

9 Quod si pluribus iudicibus datis, vnus tantum ex eis pronunciasse proponatur, adeo nullas sententia vires obtinebit, vt nec prouocationis remedium necessarium sit futurum.

10 Sed siue ordinarius sit, siue delegatus iudex, in primis illud obseruare debet, ne contra id iudicet, quod legibus aut canonibus proditum sit: alioqui ipso iure sententia non subsistet. Sed & consuetudo ita obligat ac si expresse in contrarium statutum esset; quæ etiam facere potest, quod instrumenta quæ aliter non probarent, probent, & stilus tam ad ordinem quam ad decisionem causarum seruetur consuetus. Vnde sententia contra consuetudinem lata, nulla est.

11 In causis quoque, quæ Summi Pontificis iudicio deciduntur, cum in similibus causis cæteri teneantur iudicare, similiter iuris ordo & rigor æquitatis subtiliter obseruandus erit. Nisi cum ille aliquid causa necessitatis & vtilitatis, dispensatiuè duxerit statuendum.

12 Si tamen sententia non contra ius constitutionis expressè à iudice lata fuerit, sed contra ius litigatoris, præsumitur esse iusta: maxime cum pars videatur acquiescere non appellando. Sed quando exprimit causam contra ius, tunc meritò tanquam notoriè iniusta, legitimis remedijs retractanda erit.

13 Dicitur autem iudex contra ius constitutionis pronunciasse, veluti cum defunctus, & minor quatuordecim annis fuisse asseritur, & testamentum iure fecisse pronunciatur. Contra ius vero litigatoris, veluti cum minor quatuordecim annis, annum quartumdecimum impleuisse, ac per hoc testamentum iure fecisse asseritur.

14 Is autem, qui in grauamen partis alterius, in iudicio aliquid iniustè fecerit, per gratiam, vel per sordes (hoc

est

est preces aut precium) siue ordinarius siue delegatus sit, ab executione officij per annum suspendendus erit, & ad æstimationem litis parti quam lęserit nihilominus cōdemnabitur. Sed modo fallit hoc in Episcopis, quamuis delinquendo grauius cæteris peccent.

15 Et si suspensione durante diuinis sese ingesserit, irregularitatis quoque laqueo innodabitur, à qua non nisi per Summum Pontificem liberari poterit: alijs quoque legum animaduersionibus coercebitur. Cum dignum sit, vt qui in multis audet offendere, pœnæ etiā multiplici subdatur.

16 Lata tamen sententia, nisi per appellationem intra terminum à lege constiturum suspensa fuerit, amplius reuocari non poterit (via scilicet ordinaria & iure ordinario, sed per supplicationem in integrum restitutionem bene quandoque habere poterit.) Cum enim post decem dierū spatium sententia in auctoritatem rei iudicatæ transeat, qui ad procurationis subsidium iuxta id temporis spatium non recurrit, ideo appellandi sibi aditum præcludit, quia per hoc videtur interpretatione iuris velle latæ sententiæ obtemperare.

17 Excipiuntur tamen multi casus, in quibus sententiæ, etiam post decem dies rei iudicatæ, firmitatem sibi vendicare non valent, veluti cum de matrimonio est quæstio, aut seruata sententia salus animæ in discrimen adducitur, & alij plures.

18 De eo quoque admonendi sumus, quod etsi sententia transierit in rem iudicatā, præter eos, inter quos dicta fuerit, regulariter neminem lædet: si quis tamen cum sibi primùm de ea re actio, vel defensio competeret, sustinuit sequentem agere, aut passus est eum, à quo causam habuit, experiri, ipse quoque sentiet ex re iudicata præiudicium.

TITVLVS XXII.

De Executione rei iudicatæ.

1 POstquam vidimus de sententijs & re iudicata, sequitur videre de illorum executione: qualiter nimirum res iudicata sit exequenda, & à quo, & an executor possit de fraude contra eam opposita cognoscere. Si igitur sententiæ latæ legitima appellatio nō occurrerit, intra statuta tēpora executioni mandanda erit.

2 Executor vero dicitur ille, qui sententiam ritè latam ad effectū producit. Et est duplex: merus scilicet, & mixtus. *Merus dicitur is*, cui post latam sententiam, & post habitam causæ cognitionem, super exceptione, iudex commisit nudam executionem facti. *Mixtus verò executor dicitur ille*, qui citat, aliaque facit ex necessitate actus, vel quia est datus cum clausula, Vocatis vocandis.

3 Sed multum intererit, vtrum in reali, an vero super personali actione sententia lata fuerit. Primo enim casu statim: secundo non nisi post emensa quatuor mensium spatia executioni mandabitur.

4 Licet autem quadrimestre tempus in personali actione sit regulariter statutū, ex causa tamen nonnunquā & arctari & prorogari potest. Sed qui ab initio terminum recipit sponte breuiorem, sibi id imputare debebit, cum ex voluntate propria iuris beneficium contempsisse videatur. Vnde postea non audietur appellans; nisi forte aduersus eum modus executionis canonicus excedatur, siue ab ordinario, siue à iudice delegato, siue etiam ab arbitro res iudicata fuerit.

5 Sed & in reali actione non semper fit statim executio sententiæ (licet eam ordinarie intra prædictum tempus non valeat iudex prorogare seu diminuere) sed limitatur in bonis executis virtute sententiæ nullæ, vel virtute hypothecæ, vbi constat de debito & obligatione. Item potest executio sententiæ ex iusta causa differri, quando

affert damnum irreparabile si exequatur, & requirit altionem indaginem: Tunc quando tertius possessor potest impedire executionem sententię ex incompetētia iurisdictionis; pariter quoque retardatur execútio sententiæ, si esset lata contra defunctum, nam non potest remitti executioni contra hæredem non citatum ad dicendum causam quare non debeat exequi. In criminalibus autem sententia non debet differri, sed statim executioni debet mandari, ne detur occasi supplicandi. *Si* tamen Princeps iratus rescribat aliquem puniri vltra modum regularem, tunc debet iudex vsque ad dies triginta differre executionem vt videat si Princeps pœnam relaxet.

5 Aduerte tamen, quod regulariter sententia non debet mandari executioni intra decem dies, qui dantur ad appellandam.

6 Sed si ordinarius (ad quem regulariter pertinet executio sententiarum) ad mandatum iudicis à Principe delegari nolit, aut quibusdam obsistentibus sententiam ab eo latam suo effectui mancipare nequeat, datus ipse iudex illā executioni mandare poterit, & resistentes ecclesiastica sententia coercére: & non solùm vsque ad quadrimestre tempus, quod ad soluendum debitum à lege reo conceditur, sed vsque ad annum integrum ad exequendam sententiam iurisdictionem exercere poterit.

7 Notandum est, quod delegatus Papæ, potest mandare ordinario loci vt sententiam suam exequatur: nec mirum, quia quo ad causam sibi commissam maior est omnibus post Papam, & repræsentat pérsonam Papæ, vnde honorari debet. Et brachium sæculare si requisierit, concurrere ei debet ad peragendam executionem. Licet autem sententia illius non fuerit executioni demandata, anno elapso, iurisdictio eius delegata expirat: nisi fuisset dies præfixus iurisdictioni: quia tunc post terminum non posset iurisdictione sua vti amplius.

8 Quod si Princeps propriam sententiam per aliquem executioni mandari iubeat, & circa negotium fraus interuenisse

uenisse dicatur, executori de toto negotio cognoscendi facultas non erit, sed ad superiorem quæstiones, si quæ inciderint, deferri oportebit. Aliquando enim executio ob diuersas causas suspenditur, quod facit pro illis, qui cupiunt eam euitare. Sed iudex deputatus super exequutione non habet cognitionem causæ, nec admittet exceptiones, quia merus executor est. Mixtus verò executor qui scilicet habet iurisdictionẽ & cognitionem annexam, potest cognoscere & determinare omnes exceptiones cõcernentes exequutionem. Sed si exceptiones directo veniunt contra sententiam Superioris, à quo delegatus est, & eam impugnant, vt exceptio nullitatis, tunc in ipso casu remittet eam ad superiorem, vt super illis pronunciet.

9 Cum autem regulariter contingat, quòd executio sententiæ ordinario demandetur, quæri poterit, an si ipsam iniustam esse cognouerit, executioni eam mandare debeat, an sit ei subsistendum potius? In qua specie responsum est, quod cum ordinarius delegato teneatur obsequi, licet sententiam non esse iustam nouerit, exequi nihilominus tenebitur, cum sibi non cognitio, sed executio tantum fuerit demandata: nisi à dato iudice impetrare valeat, vt ab hoc onere ipsum liberet. Nec enim debet iudicis delegati mandato violenter resistere: sed si nouerit sententiam esse nullam, vel præceptum nullum ipso iure, apud eundem instare poterit, vt executionem tandiu differri patiatur, donec Principi rei veritas innotescat, & poterit mandato ipsius iniusto non parere, præsertim in causa criminali, vbi sententia est corporis afflictiua. Hinc est quod condemnato ipso inuito potest tertius appellare.

10 Sed quid si cum à sententia lata auctoritate literarum Apostolicarum, in quibus inhibita fuerat appellatio, prouocatum fuerit, & literæ post appellationem ad alios iudices emanauerint, an ad mandatum posteriorum iudicum executio sententiæ à prioribus delegata retardari debeat? Et quidem cum Apostolicus alijs iudicibus appellationis causam ex certa scientia cõmittit, & appellationem

vide-

videtur recipere, & ſimul priorum iudicum reuocare iuriſdictionem. Vſque eò igitur ſententiæ ſuſpendetur executio, donec appellationis merita plenius diſcuſſa fuerint.

11 Dantur & alij caſus, in quibus licet ſententia in rem tranſierit iudicatam, differenda nihilominus erit executio vt puta, ſi non protelandi cauſa in integrum reſtitutio petita fuerit, quæ regulariter impedit executionem, & alij plures.

TITVLVS XXIII.

De Appellationibus.

1 CVM ſæpius litigantes in iudicio grauamen recipere ſoleant, partim ob iniquitatem, & partim ob imperitiam iudicum, ea propter in remedium, & defenſionem oppreſſis contra iniquitatem iudicantium introducta eſt appellatio, quæ & iniuriam repellit & errores corrigit, & imperitiam ſedentium pro tribunali detegit.

2 *Eſt autem appellatio*, iuriſdictionis prioris iudicis per Superioris inuocationem legitime facta ſuſpenſio. Vel *appellatio eſt*, prouocatio ad maiorem iudicem, ratione grauaminis illati, vel inferendi. Et debetur regulariter omnibus cenſeri permiſſa, ex quo eſt defenſio plures terminos ſuſpenſiuos continens.

3 Poteſt dici & prouocatio, nomine magis generali, comprehendens appellationem & iudicialem & extraiudicialem. Sed dicitur interdum & relatio, quæ fit ex natura cauſæ, vt quia eſt aliqua cauſa maior, puta feudalis, de qua inferior iudex non poteſt cognoſcere; nam tunc debet eam referre ad ſuperiorem iudicem competentem. Reclamatio verò non eſt appellatio, ſed quidam terminus generalis qui refertur ad ſententias à quibus de iure non appellatur, vt in ſententijs arbitrorum: & tunc reclamatio eſt idem quod & reductio ad arbitrium boni viri. Reductio verò ad

arbitrium boni viri, est nouus actus suspensiuus, qui dicitur esse species appellationis; & potest peti vsque ad triginta annos.

4 Appellationum ergo duæ sunt species: aut enim extra iudicium appellatur, aut in iudicio. *Extra iudicium appellatur*, cum quis ante litis ingressum ab aliquo grauamine appellat, vt puta ab electionibus, postulationibus, prouisionibus, & quibuslibet extraiudicialibus actibus, ex quibus se grauatum putat; licet enim sæculares leges non nisi in casibus ante sententiam appellationem admittant, sacri tamen Canones etiam exra iudicium passim appellare permittunt: nec solent huiusmodi dici proprie appellationes, sed prouocationes. *Rursus in iudicio appellatur*, aut ante definitiuam sententiam, aut postea. Antea appellatur, vt cum ab interlocutoria, vel alio grauamine prouocatur. Postea, vt cum ab ipsa definitiua sententia appellatur.

5 Multum autem interest ab interlocutoria quis prouocet, vel alio grauamine, an à definitiua: nam primo casu, & causam appellationis in scriptis assignare (non enim sufficit quod quis viua voce appellet) & à iudice infra triginta dies instanter petere debet literas dimissorias (quas vulgò Apostolos vocant) & eidem intra dictum temporis spatium debent ab eodem iudice exhiberi, continentes & appellationis causam, & cur appellatio non sit admissa. Vel si appellationi forsan ex superioris reuerentia sit delatum. Alioqui si eos intra idem tempus appellans petere prætermittat, appellationi suæ renunciasse putabitur, etiam si vadat, aut mittat ad appellationem huiusmodi prosequendam.

6 Apostoli itaque vocantur literæ, seu instrumentum, quo iudex significat iudici superiori, ad quem pars appellauit, an detulerit, vel non detulerit appellationi; Vbi exprimit causam non solum declarationis vel non declarationis, sed etiam causam ipsius appellationis propter quam grauatum se esse dixit & appellauit.

7 Et

7 Et sunt Apostolorum species quinque. Prima dicuntur Apostoli *Conuentionales*, quibus vel refutante vel tacente iudice, tam in iudicio quam extra iudicium pars aduersa euocatur ad iudicem superiorem; Quæ potest etiam petere quod appellans intra terminum iuris veniat cū omnibus actis vel monumentis ad curiam, vel mittat procuratorem instructum. Secunda specie dicuntur Apostoli *Testimoniales*, quia testificant de appellatione facta coram iudice, vel coram publicis & honestis personis. Tertia specie dicuntur *Dimissorij*, seu delatorij, per quos significat iudex, quod detulit appellationi, sicque appellantē à sua potestate & iurisdictione dimisit. Quarta specie dicuntur *Reuerentiales*, quādo scilicet defertur appellationi propter reuerentiam superioris iudicis, quāuis causa non erat admissibilis. Vltimo dicuntur Apostoli *Refutatorij*, per quos apparet quod iudex non defert appellationi. Et iudex non deferens appellationi, in causa ciuili punitur iuxta Canones pœna arbitraria, in criminali vero pœna depositionis.

8 Quod si iudex, à quo appellatur, certum terminum appellanti ad recipiendos apostolos assignauerit, & appellans in assignato sibi termino non compareat, nec eos sibi tradi petat, appellationi suæ renunciasse putabitur. Idem, etsi iudex appellanti responderet intra iuris terminum, se daturum, nec intra dictum spatium congruo loco & tempore instanter, & sæpius saltem vno contextu petierit; vel sibi oblatos appellans recipere recusauerit.

9 Quod si iudex in termino per eum præfixo ipsos petenti non dederit; aut si dum peterentur, vel intra iuris terminum, vel nullo certo termino præfixo, se daturum asseruerit, postea per appellationem congruo loco & tempore sæpius, & instanter vnico etiam contextu requisitus eos exhibere non curauerit, perinde propriam appellationem prosequi appellans poterit, ac si ei expresse fuissent apostoli denegati. Alia quoque agenda erunt prout ex tenore, tam Innocentianæ, quam aliarum constitutionum luculenter apparet.

10 In

10 In appellationibus autem à sentētia definitiua interponedis, nec causam tenetur reddere appellans, nec etiam supradicta diligens obseruatio per omnia sibi locum vendicat. Limitatur tamen hæc conclusio in quatuor casibus. *Primo* in appellatione à correctione, quia quamuis sit appellatio à definitiua, tamen est necessaria expressio causæ. *Secundo* in appellatione ab executione. *Tertio* in appellatione à sententia lata in causa commissa appellatione remota. *Quarto* in appellatione interposita à tertio à sententia definitiua propter suum interesse, quia nisi exprimat causam rationabilem, per quam appareat quod prætendit iustum interesse, non auditur. Potest esse & in sententia definitiua lata super causa possessionis momentanea, quia requiritur expressio causæ. Aduerte autem quod cum in appellatione à definitiua non sit necessaria expressio causæ, cauere debes ne exprimas, quia si exprimeres friuolam causam, appellatio vitiaretur.

11 Hoc quoque aduerte, quia in definitiua non est necesse appellare in scriptis, sed sufficit si appelletur viua voce dicendo, appello, & hoc scribatur in actis per Notarium. Quod tamen intellige si appellatur in continenti: nam si appelletur ex interuallo, & in definitiua, appellandum erit in scriptis.

12 Cum autem ex probabili causa ab interlocutoria quis dixerit appellandum, talem tenetur proponere, quæ si probata fuisset, deberet legitima reputari, (appellatio enim ab interlocutoria non expressa rationabili causa est nulla) de quo postea superior cognoscet: nec enim sufficit appellanti probare, quod ex causa huiusmodi appellauit, si eam non doceat esse veram, nisi hoc se offerens probaturum non fuisset admissus.

13 Quod si iudex minus probabiliter appellatum esse compererit, appellantem ad inferiorem iudicem remittet, & in expensis alteri parti condemnabit: alioqui ipse procedet, nec licebit appellanti alias causas prosequi, quam quas in appellatione sua nominatim expressit.

14 Quòd

14 Quòd si obijciatur non ex legitima causa ante sententiam appellationem interpositam, & propterea non admittendã esse, nisi prius appellatione recepta, velut emissa ex causa probabili, iudex superior cognoscere incipiat, ne procedatur inferiori prohibere non poterit.

15 Sed etsi iudex (tàm ordinarius quàm delegatus) sanè vsus consilio, ab eius executione destiterit, quod comminando, vel interloquendo in grauamen partis protulit, nec obstante, quod ab huiusmodi comminatione, vel interlocutione prouocatum fuerit, ne processus negotij friuolis occasionibus retardetur, in causæ cognitione libere procedere poterit.

16 Sed videamus, an ius dicenti obtemperare tenearis, à quo propter grauamen, quod tibi illatum asseris, appellaueris, si tibi is ad docendum de grauamine; & si de ipso liquerit, ad eiusdem reuocationem audiendam, terminum præfixerit. Et sanè cum ad ipsum à iudice perspiciendum sit, nec coram eo de grauamine docere, nec etiam tanquam coram iudice (cum per appellationem eius suspensa sit iurisdictio) comparere teneberis.

17 Quod si tantum, vt reuocationem audias, te vocandum duxerit, licet non compareas, ipse tamen in termino grauamen reuocauerit, in causa procedere poterit, ac si appellatio nunquam fuisset interposita. Hinc est, quod licet appellans non possit suæ appellationi renunciare inuito appellato, iudex tamen reuocando grauamen potest facere, quod appellans renunciet suæ appellationi, appellante & appellato inuito.

18 Ac veluti in potestate iudicis grauamen reuocantis positum est, non obstante appellatione causam resumere; sic contra, si is, qui vocem appellationis emisit, cuius adhuc nemini est demandata cognitio, petierit, vt ad iudicem à quo prouocauit, rursus causa remittatur, id ei alterius partis contradictione minimè obstante indulgendũ erit. Sed hoc ita, vt in legitimis expensis aduersario, quas eum propter hoc fecisse constiterit, condemnetur.

19 Non

19 Non omnis ergò appellatio indistinctè recipienda erit; nam si adeo sit vaga & generalis, vt incertitudinem afferat, siue quod omisso medio sit interposita, à parte opponatur, causa non deuoluetur. Idem iuris est, si super notorio crimine, vel de quo quis in iure confessus fuit, prouocetur: nec enim ad defensionem iniquitatis, sed ad præsidium innocentiæ est appellationis remediũ institutũ.

20 Et ideo nec Regulares, cum pro aliquo excessu corrigendi fuerint, contra regularem Prælati sui, vel capituli disciplinam appellabunt; sed quod sibi pro salute iniungitur humiliter suscipient. Alias non euaderent notam transgressionis obedientiæ. Secus si excederetur modus in illis coercendis.

21 Sed nec tunc appellationi deferendum erit, cum à sæculari iudice, qui temporali Sedis Apostolicæ iurisdictioni nõ subijcitur, ad Apostolicum appellatum fuerit; & alijs quibusdam casibus plurimis, puta à mandato de residendo in loco beneficij: à lata sententia contra administratores piorum locorum. Item petita reductione laudi ad arbitrium boni viri coram iudice ordinario, non datur appellatio à sententia tali, quia iudex procedit tanquam arbiter, & persona subrogata loco arbitri. Nec admittitur appellatio ad impediendum absolutionem ab excõmunicatione. Similiter quando timetur de dilapidatione fructuum, potest iudex etiam pendente appellatione fructus sequestrare. Etiam non admittitur appellatio à sententia lata super præstatione alimentorum. Et in nonnullis casibus non admittitur appellatio ad finem retardãdi exequutionem. Alioqui is qui legitimæ appellationi etiam de minima causa interpositæ non detulit, canonicis pœnis coercendus erit.

22 Licet autem prouocatione canonicè à partibus interiecta, iudicis à quo appellatum fuit, officium in illa quidem causa penitus conquiescat; si tamen is, qui ab ordinario appellauit, super alia causa coram eodem conueniatur, præsertim pro graui & manifesto crimine, (vt si

vxo-

vxorem alterius detineret, vel si manus violentas in clericum inijceret) appellationis obtentu, quo minus canonica censura puniatur, effugere non potest. Nam appellatio iurisdictionem nõ suspendit, nisi respectu causæ, in qua fuit appellatum.

23 Interposita ergo à definitiua sententia appellatione, non solum post eam innouata debent per iudicem appellationis penitus & ante omnia reuocari (exceptis tamen casibus, in quibus iura post sententiam prohibent appellare) sed etiam ea omnia, quæ medio tempore inter sententiam & appellationem contigerit innouari, perinde ac si post appellationem innouata fuissent.

24 Illa vero quæ post appellationem interpositam ante definitiuam sententiam innouantur, donec appellationis causam veram esse constiterit, reuocari non debent. Nisi iudex appellationis, postquam sibi constiterit, per appellationem emissam ex causa probabili fore ad se negotium deuolutum, inhibeat canonicè iudici à quo appellatum fuit, ne procedat. Tunc enim quicquid post inhibitionem huiusmodi fuerit innouatũ, est per appellationis iudicem ante omnia in statum pristinum reducendum; licet eandem causam, non esse veram contingat. Si autem aliquid attentaretur à tertio, qui non fuit pars vel iudex in causa illa attentata, non reuocatur per modum attentati à iudice ad quem appellatum fuit, sed per suum proprium iudicem cognitio de causa seruato iuris ordine fieri debet: nisi ille tertius per attentationem illam, iurisdictionem iudicis impediret.

25 Appellasse autem dicetur non solum is, qui vocem appellationis emisit, sed etiam qui aliquo indubitato facto prouocãdi propositum declarauerit. Vnde rescriptum est, eum, in quem post iter ad Sedem Apostolicam arreptum (vel ad quemcunque Superiorem) excõmunicationis sententia ab ordinario promulgata fuerit, excommunicationis vinculo non teneri, quasi appellatione pendente lata fuerit, cum plus sit facto quam verbo prouocare.

26 Idem & in eo responsum est, qui licet ex simplicitate forte verbum appellationis non expresserit, se tamen & Ecclesiam suam cum molestaretur &c. Romani Pontificis tectioni subiecit. Vbi enim ad certum actum explicandum non est præfixa verborum solemnitas, sufficit exprimere effectum rei, licet non exprimantur propria verba actui conformia, quia verba deseruiunt intentioni.

27 Is quoque, quem quominus appellaret iustus metus impedierit, ad appellationis beneficium conuolasse reputabitur, dummodò infra tempus quo licite prouocatur coram iudice, à quo appellasse vellet: vel si ipsius copiam habere nequierit, coram probatis viris (qui plures esse debent) contestatione super hoc proposita, causas appellationis expresserit.

28 Quod si à pluribus iudicibus appellandum fuerit, quia non semper facile eorũ pręsentia simul haberi posset, coram maiori parte ipsorum appellare, & Apostolos separatim petere licebit: valebitque hæc appellatio perinde, atque si coram omnibus interposita fuisset. Victus tamen subsecutorũ (scilicet appellationis delationis, & termini præfixionis) appellato ignoranti intimatio legitime facienda erit.

19 Idem ex contrario, si plures vna sententia cõdemnati fuerint, & vnus solus ad appellationis beneficium conuolauerit, istius victoria cæteris quoque suffragabitur, si communi iure iuuentur, idemque negotiũ & eadem causa defensionis existat.

30 Iam dubitari poterit: si ex pluribus articulis vnius precibus comprehensis in vno tantum contingat appellationem vetari, vtrum appellatio teneat, si super alijs prouocatum fuerit. Et cum delegantis hæc sit intentio, vt de omnibus articulis qui in precibus ponuntur, iustitia suum consequatur effectum, in omnibus appellatio interdicta intelligitur. Vnde nihil intererit, vtrum appellatio inhibeatur in primo, an in secundo, in medio, an in fine.

31 Sed hoc ita intelligi oportet, si capitula connexa fue-

fuerint, cæterùm quoties clausula, per quam appellationis remedium tollitur, in medio literarum ponitur, si sunt plura negotia, si minimè contingentia, tantùm præmissa complectitur: nisi fortè & in fine literarum prædicta clausula iteretur.

32 Interdum etiam non obstante prohibitione appellare poterit, vt decretum est in eo, qui per delegatos iudices in iudicium ad locum non tutum vocatus fuerit. Nisi enim locum idoneum iudices assignent, non erit propterea appellationis remedium interclusum, quo *appellatione remota* procedi debere mandatum erit.

33 Idem etiam obtinet cum sententia fertur iniqua: licet enim causa appellatione remota, commissa fuerit, sententiæ tamen stari non debet, si iniquitatem continet manifestam; puta quia lata est contra ius scriptum, scilicet leges, vel canones.

34 Illud tam iudiciali appellationi, quam ei, quæ extra iudiciũ interponitur, cõmune est, quod huiusmodi appellantibus annus, & ex iusta causa biennium, à die appellationis interpositæ indulgetur, quo temporis spatio, & prosequi, & finire appellationis causam compellendi erunt: alioquin si per negligentiam appellantis hoc temporis spatium fluxerit, adeo causa deserta censebitur, vt etiamsi appellans ipse cum appellato, aut appellatus etiam per se, & principaliter prosequatur, non propterea minus in rem iudicatam censebitur transisse sententia, à qua fuerit appellatum.

35 Quamdiu tamen per compromissum, vel alias, de partium expresso consensu differtur prosecutio, tempus ad prosequendam appellationẽ ab homine, vel à iure præfixum, minimè currit appellanti: nisi forte iudex, ex dilatione periculum imminere (vt in causa electionis & spiritualis matrimonij) videns, in illa procedi præciperet.

36 Et licet anni, vel bienij spatium appellantibus indulgeatur, poterit tamen iudex à quo, secundum locorum distantiam, personarum, & negotij qualitatem recisius tem-

tempus moderari, intra quod, si is, qui appellauit, causam appellationis non fuerit prosequutus, tenebit sententia. Coget ergo iudex partes appellatione non admissa, vt vel appellationem interpositam prosequantur, vel coram eo iuris pareant æquitati.

37 Superior quoque iudex, si ex dilatione viderit imminere periculum (ne scilicet Ecclesia in spiritualibus vel temporalibus ex mora incurrat detrimentum) potest & debet neutro appellationem prosequente, vt periculũ euitetur occurrere; puta, si à sententia lata super confirmatione alicuius electi prouocatum fuerit, & vtraque pars velit etiam ad annum appellationis prosecutionem differre, potest vtique, immo debet is, ad quem appellatum fuit, proinde terminum moderari, ne diu gregi Dominico cura pastoris desit.

38 Accidit tamen aliquando, vt non per annum, vel biennium, sed etiam vlterius causam appellationis alicui prosequi concedatur: vt puta, si quem per impotentiam prosecutionem omisisse constiterit; vel cum iudici ex proprio officio super causa electionis etiam lapso biennio cognoscere conceditur.

39 Pars quoque interdum sibi prosequendæ appellationis terminum præfigit. Sed cum hoc gratia litium citius expediendarum indultum fuerit, iuris terminus à parte præueniri non prorogari poterit, sicut nec in vna causa tertio prouocari licebit.

40 Postremo sciendum est, quod si sententiam appellatione suspensam, antequam ipsius appellationis causa commissa fuerit, vel laudum contra iuris, vel compromissi formam latum, apostolico rescripto in forma cõmuni confirmari obtentũ fuerit, talis confirmatio, nec appellationi preiudicium afferet, nec inualidum laudum vllo firmatum robore muniet. Nam etiamsi ante sententiam litigiosæ rei cõfirmationem ab Apostolica Sede quis impetrauerit, non propterea minus de causa poterit iudex cognoscere, & eam fine debito terminare. Quanquam si rem pacifice quis posse-

possedisset, cum inde confirmationem obtinuit, non erit licitum iudici de quæstione postmodum exorta absque mandato Sedis Apostolicæ decernere: nisi certum sit, quod per falsi suggestionem fuerit elicita, non facta mentione de litigioso.

41 Confirmatio autem data à Superiore quandoque multum tribuit noui iuris, vt confirmatio electionis, nam tribuit potestatem administrandi: quandoque ius vetus cõfirmat & consolidat, maxime apponendo clausulam *ex certa scientia*, nam tunc inferior iudex non potest cognoscere, vtrum iustè possideas, nec ne? quandoque operatur maiorem effectum, nam si iste non possidebat, incipit iam iuste possidere; vnde solet Papa clausulam apponere. *Supplens de plenitudine potestatis omnem defectum &c.* & sic inualidum facit validum.

TITVLVS XXIV.

De Restitutione in integrum.

1 TRactatum de iudicijs spiritualium personarum ciuilibus concludere volentes, titulum vltimum de restitutione in integrum apposuimus: pro cuius intelligentia, tria sunt breuiter videnda primo quid sit restitutio in integrum, secundo quotuplex sit, & tertio quibus personis competat & locis.

2 *Restitutio igitur in integrum nihil aliud est*, quam in pristinum statum repositio. Et dicitur restitutio, quasi iterata statutio, renouationem prioris status causæ, vel personæ importans: v.g. quando quis eiectus de loco, vel proscriptus iterum restitutus stat in suo loco & possessione.

3 Et est duplex restitutio eiusmodi. *Prima*, qua totaliter status pristinus innouatur, & dicitur in integrum, cum redditur possessio rei, aut æquipollentis, & fructus, & ius pristinum & audientia & omnia. *Secunda restitutio est*, qua prior status non reuocatur in totum, sed in parte satisfit

de

de re ablata,& damnò,ac intereſſe: & ſignificatur aliquando nomine redditionis,& aliquando nomine ſatisfactionis. Vtraque autem eiuſmodi reſtitutio,aut à iure conceditur; aut per gratiam fit, cum per ſupplicationem impetratur. De vtraque igitur videamus, cui concedatur, quando, intra quantum tempus, quoties, & coram quo iudice.

4 Qui itaque appellationis remedio deſtituti ſunt, his interdum extraordinarium ſubſidium à iure conceditur,& auxilio reſtitutionis in integrum ſuccurritur. Sed nec omnibus, nec ſemper, nec ab omnibus. Verum minoribus tantùm, Eccleſiæ, Collegijs,Hoſpitalibus, Congregationibus, Vniuerſitatibus, & alijs pijs locis approbatis ab ordinario,quorum bona reguntur per ſyndicos & adminiſtratores. Item perſonis miſerabilibus,vt ſunt pupilli, viduæ, & lecto perpetuo adhærentes: hi ſi ſe prolatione ſententiæ grauiter læſos conquerantur(pro modica enim læſione nō datur reſtitutio in integrum) & appellandi tempora iam effluxerint, reſtitutionē in integrum implorare poterunt.

5 Quod quidem adeo obtinet,vt etiamſi ab Apoſtolico ſententia lata fuerit, non propterea magis in integrum reſtitutionis petitio impediatur. Nec enim negatur Romanæ Sedis ſententiam in melius poſſe commutari, cum aut ſurreptum aliquid fuerit, aut ipſa pro conſideratione ætatum & temporum, ſeu grauium neceſſitatum aliquid ordinauit.

6 Sed & ſi non ſententia, ſed vel contractu, vel confeſſione,vel probationis omiſſione, vel temporis fluxu Eccleſia læſa fuerit, reſtitutio indulgenda erit: nec ſolum contra priuatos homines, ſed etiam aduerſus aliam Eccleſiam, licet Prælatus iuret non repetere,vel non conuenire in cōtractu damnoſo Eccleſiæ,etſi contraueniendo deieret, Eccleſia tamen eodem petente, vel alio, ex iudicis officio reſtituitur.

7 Siue autem ſententia,ſiue cōtractu,vel aliter ſe læſam prætendat Eccleſia, & propterea ſe ad beneficium reſtitutionis in integrum admitti poſtulet,ſi quadriennij ſpatium

à die

à die læsionis lapsum fuerit, amplius restituenda non erit: nisi præuaricationis vel manifestæ fraudis probetur super hoc interuenisse commentum: aut alia causa subsit, quæ iudicem ad hoc beneficium concedendum mouere debeat. Et si tempore læsa asseratur, non fiet institutio, nisi ad tantũ temporis, in quantũ se læsam esse legitimè probauerit.

8 Quod si semel restitutio in integrum in alio iudicio denegata fuerit, præter quam ad appellationem omissam, non erit eidem amplius concedenda, (alias nullus esset litium finis) nisi nouis defensionibus (quæ enim de nouo emergunt, nouo indigent auxilio) ad huiusmodi beneficium admittenda fuerit.

9 Mulieri attamen, fisco, minori, Ecclesiæ, & locis pijs, conceditur de iure bis restitutio in integrum: & si iudex denegaret primum & secundum beneficium, vbi esset concedendum, de iure posset appellari.

10 Huiusmodi vero restitutionem causæ solum coram iudicibus ordinarijs administrationem habẽtibus, vel delegatis ab eis (maxime autem à Principe) tractari poterunt & terminari; siue hoc ipsis delegatis specialiter demandatum fuerit, siue commisso eis negotio huiusmodi quæstionem incidere contingat. Delegati vero ab ordinarijs, qui administrationem nõ habent, sed tantummodo iudicandi facultatem, siue arbitri, de his causis cognoscere nequeunt: nisi coram eis incidenter motæ fuerint.

11 Per supplicationem quoque Principi porrectam, aut per querelam, appellationis remedio destitutis subueniri solet. Erit autem supplicatio intra decem dies post sententiam offerenda: quo subsecuto, sententia non aliter executioni mandabitur, quam si victrix pars idoneam fideiussionem præbuerit tantum restituendi, cum legitimis augmentis, & fructibus, quantum fuerit in condemnatione; si legitima retractatione sententia resoluatur.

12 Et nisi sub hac forma supplicatio porrigatur, executio sententiæ sine fideiussione procedet, retractationis iure illi seruando, qui se grauatum putauerit, vt intra bien-

biennium ſupplicare valeat. Vnde hoc remedium querelæ, tam in iudicialibus quam in extraiudicialibus competit; & ſi iudex tardaret expeditionem cauſæ, licet ab hac tardatione non poſſit appellari, poterit tamen querelari.

LIBER SEXTVS.

De Iudicijs criminalibus ad forum eccleſiaſticum ſpectantibus.

TITVLVS I.

De accuſationibus, denunciationibus, & inquiſitionibus.

1 DE iudicijs priuatis ſeu ciuilibus doctrina explicata, reſtat videndum de iudicijs publicis, quæ circa delicta ſeu crimina verſantur. Nam etſi leges Pontificiæ pœnarum atrocitatem exhorreant, quibus preſertim de ſanguine & vita hominis agitur, non tamen ita indulgentes ſe præbent, vt velint crimina omnino delinquentibus cõdonare; ſed vt qui deliquerunt, diſcant talia poſt hac non committere, & cæteri pœnarum metu, & eorum exemplo, qui dignis ſupplicijs ſceleribus ſuis debitis affecti ſunt, ad ſcelera patranda nõ ſint procliues; certas pœnas adinuenerunt, quæ in ſontes pro delicti qualitate, citra ſanguinis vindictam, aut membri debilitationem exerceri poſſint. Et quia in iudicio criminali hæc tria potiſſimum conſiderantur, modus agendi, delicta, & pœna delictorum: propterea titulo præſenti modum agendi criminaliter in primis deſcribendum eſſe putauimus; quia criminalia iudicia nihil ferme ſimile habent cum cæteris iudicijs, de quibus proxime locuti ſumus, magnaque diuerſitas eorum eſt, & in inſtituendis, & in exercendis,

quia

quia in ciuilibus agitur, vt aliquid detur actori, in criminalibus autem vt puniatur accusatus. Instituuntur autem iudicia criminalia aut per accusationem, aut per denunciationem, aut per inquisitionem.

2 Accusatio itaque nihil aliud est, nisi delatio rei de crimine in libello ad vindictam. Ne autem accusando detur occasio infamandi viros honestos, ideo in delationibus huiusmodi legitime procedendum est, vt semper accusationem solemnis inscriptio præcedat: Denunciationem verò charitatiua monitio.

3 In primis igitur accusatio debet fieri in scriptis (nisi crimen sit leue, aut notorium, quod nec accusatorem requirit) licèt crimen sit manifestum. Deinde cum inscriptione, quod scilicet accusator se obliget *ad pœnam talionis, si in probationibus defecerit*, (quod hodie de consuetudine non seruatur, quia multi metu subscriptionis retrahebantur ab accusando, quod maximũ Reipublicæ incommodum adferebat, cuius maximè interest, vt delicta puniantur) tantummodo ad correctionem: accusatio verò instituitur ad depositionem.

4 Accusator igitur, si legitimis destitutus sit probationibus, eam pœnam debet incurrere, quam si probasset, reus sustinere debebat. Denuncians verò, licet ad talionem non teneatur; si tamen in probatione deficiat, donec suam purgauerit innocentiam, ab officio, & beneficio suspendendus erit, vt cæteri simili pœna perterriti ad aliorum infamiam facilè non prosiliant.

5 Tribus autem modis accusatio redditur iniusta. *Primo calumniando*, quando scilicet falsum crimen imponitur, & talis præter pœnam talionis de omni damno illato tenetur. *Secundò tergiuersando*, quando scilicet accusator in totum à lite recessit, sine licentia Iudicis: & tunc punitur quinque libris auri. *Tertiò præuaricando*, quando scilicèt cum reo colludit adiuuans partem aduersam, falsas probationes adducendo, veras dissimulando: & talis arbitrio iudicis punitur.

6 Denunciatio quoque triplex est. *Prima iudicialis*, quando iudex non ex mero officio, sed ex denunciatione facta inquirit in iudicio. *Secunda Euangelica*, quæ non eo fine sit, vt aliquis puniatur, sed vt emẽdetur. *Tertia vero Canonica*, quæ secundum statuta, ac leges Ecclesiasticas priuata, & publica crimina punit. Sed denunciationis faciendæ potestas non omnibus patet, sicut neque accusationis: quare nec publicè concubinas habentes, neque excommunicati ad denunciandum admittuntur. Deficiente tamen denunciatione, vel accusatore, non prohibetur iudex ex suo officio inquirere ad vtilitatem Reip. in delicta perditorum hominum, & prouidere ne maleficia impunita manerent.

7 Per inquisitionem itaque criminale iudicium instituitur, cum præcedente diffamatione, ac quasi denunciante fama, de crimine iudex inquirit. Constitutum est enim, vt criminum facilis nimis sit obiectio, vt sicut accusationẽ legitima præcedere debet inscriptio, & denunciationẽ charitatiua monitio, ita & inquisitionem clamorosa insinuatio præcedere debeat.

8 Cessat autem inquisitio, quando adest accusatio, quia accusatio est remedium ordinarium, inquisitio vero extraordinarium fama præcedente formatum. Si quis tamen, postquam coram eo, qui contra ipsum super certis criminibus inquisitor deputatus fuerat, eadem crimina confessus fuerit, frustra postmodum eo prætextu confessionem suam impugnare cõtendet, quod super eisdem criminibus non fuerit antea diffamatus.

9 Idem etiam erit, si is cui contra te commissa super certis criminibus fuerit inquisitio, te præsente, nec quidquã super hoc excipiente infamiæ inquisitione omissa, ad veritatem eorundem criminum inquirendam processerit. Nec enim processum huiusmodi, eo quod non fuit de infamia primitus inquisitum, vlterius impugnare poteris.

10 Non potest quisquam accusatus procuratorem dare, qui causam eius nomine suscipiat defendendam, sed ip-

summet accusatum in iudicio esse, & causam per se dicere oportet. Cōceditur tamen, si absens sit, absentiæ ipsius causas per procuratorem proponi, aliasque excusationes quæ ipsum crimen, cuius causa ei fit negocium, non attingant.

11 In accusatione vero hoc seruatur inconcusse, vt si legitimus non fuerit accusator, non fatigetur accusatus. Nec laico Clericum accusare cōceditur: nisi suam, vel suorum iniuriam prosequatur, quibusdam articulis, quibusdāque criminibus exceptis, puta in crimine Simoniæ, Hæresis, & læsæ Maiestatis, & similibus. Nec conceditur super iisdem criminibus quempiam sæpius vexari, sed semel absolutus deinceps amplius de eodem crimine molestiam pati non cogitur.

12 Vbi tamen per inquisitionis tramitem proceditur, secundum personæ merita, & qualitatem excessus pœna debet iudicis arbitrio moderari: in qua tamen moderatione facienda plures erunt cautiones iudici considerandæ, ne homines innocentes citra aliquam eorum noxam, capitis, fortunarum, aut existimationis discrimen, alicuius impij, & scelerati hominis impudenti audacia subire, & de statu suo conflictari permittantur:

13 Quod si ex his criminibus aliquid delatum fuerit, quæ ordinis suscepti executionem impediunt, etiam post peractam pœnitentiam: Vel ex his, quæ beneficij retentionem impediunt. Puta, si homicidium commisisset, vel adeptus esset ordinem, aut beneficium vitio Simoniæ, tunc nullus iudicis arbitrio his casibus locus esset: quia certa tunc erit pœna, quæ non iudicis voluntati mandatur, sed legis authoritati reseruatur. Et hoc casu est eodem modo, quo in accusationis tramite procedendum: propterea, quamuis pet inquisitionem conuictus sit, certam tamen pœnam expectabit, nempe vt ordinis executione, vel beneficij retentione priuetur, quas pœnas Iudex moderari non poterit.

14 Accidit autem interdum, vt alicui nec accusādo, nec denunciando, nec inquirendo, sed excipiendo crimen opponatur;

natur: vt puta, cum quid obijcitur, vt quis ab accusatione, vel testificatione repellatur, quo casu non erit inscriptio necessaria. Et quia cuilibet quantumuis criminoso reseruatur defensio legitima, ideo contra excipientem de crimine potest replicari de alio crimine, ad effectum remouendi reum ab exceptione.

15 Sed an, si propterea crimen opponatur, vt quis à promotione officij, vel beneficij assecutione excludatur, necessaria tunc sit inscriptio? Et proditum est, si ante confirmationem obijciatur, non cogi quemquam inscribere: quia crimen hoc modo probatum promouendum quidem impedit, non tamen iam promotum deijcit. Post confirmationem vero, cum scilicet ordinandus fuerit aliquis, aut etiam consecrandus, quia & ab obtinendo repellit, & ab obtento deijcit, & extraordinariam pœnam secundum arbitrium iudicis, circa vinculum inscriptionis, si defecerit in probando, est excipiens adstringendus.

16 Illud generaliter est obseruandum, vt nemo absens iudicetur; nisi ex contumacia absens fuerit, quia diuinæ, & humanæ leges hoc prohibent. Item nemo de suspicionibus damnari debet, cum satius sit impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari.

17 Nec omittendum est, quod criminales causæ non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum iudicio, etiã visitando, sed Episcopi tantum examini, & iurisdictioni relinquuntur, vt Sancta Synodus Tridentina sub Pio Quarto constituit: etiamsi in præsentia inter Episcopum, & Diaconum, seu Archidiaconum, aut alios inferiores super causarum ipsarum cognitione lis aliqua in quacumque instantia penderet.

TITV-

TITVLVS II.

De duplici purgatione.

1 CVM ex delicto in iudicio legitimè alicui obiecto, non tamen concludenter probato, cõtrahatur infamia, quæ de iure vnicuique est nociua: sæpiusque contingat, vt quis laboret publica infamia alicuius criminis, licet aduersus eum, nec accusator cõsistat, nec testibus, aut propria confessione sit conuictus; propterea qui putatur esse criminosus eiusmodi infamiam euitare cupiens, debet *de obiecto crimine* de iure purgari.

2 *Est autem purgatio* demonstratio innocẽtiæ super obiecto crimine: diciturque esse duplex, alia vulgaris, alia canonica. *Vulgaris purgatio est*, quam vulgus inuenit, & sequitur interdum. Vt cum quis, aquæ frigidæ, vel candentis ferri, vel sclopeti explodendi. vel singularis certaminis, subit iudiciũ, quæ singula sunt prohibita ab Ecclesia, quod Deus per ea tentari videatur. *Canonica vero purgatio est*, quæ sacris Canonibus est comprobata, vt cum de crimine infamatus iurat se non esse tali crimine, vel macula inquinatum. Et certa compurgatorum manus eundem à crimine immunem, & vtrum credere illum iurasse, ipsa quoque iureiurando firmat.

3 Erunt autem compurgatores huiusmodi honestatis, & opinionis, vt verisimile sit eos amore, vel odio, vel obtẽtu pecuniæ non deierare. Necesse etiam est, vt eius quem purgare intendunt, vitam & mores notos habeant. Compurgatores itaque pro Episcopo debent esse duodecim; pro Sacerdote vero pauciores, iudicis arbitrio.

4 Religiosus accusatus si deficit in purgationẽ, nõ punitur à suo Prælato vti conuictus: sed ob violentam præsumptionem pœna tunc arbitraria plectitur. In hæreticis vero conuersis, seu apostatis non est arbitraria pœna, sed etiam omnino adhibere debent circumspecti Inquisitores abiuratione præmissa.

5 *Est*

5 *Est autem abiuratio* recessus ab aliquo reatu,cum iuramēto de non redeundo ad eundem vomitū,seu lapidem: & sic hæresum detestatio per abiurationem facta,facit pro innocente accusatum; non dicitur sententia definitiua,sed satisfactio pœnitentialis, & absolutio à pœnis.

6 Notandum vero est,quod delictum notorium,æquiparatur cum delicto confesso, vel conuicto, tam in cōdemnando,quàm etiam in iudicando. Infamatus quoque, cui indicta est canonica purgatio, cum non poterit se purgare, habebitur pro conuicto, & æquiparabitur criminoso notorio. Super notorio vero nulli erit indicenda purgatio, sed tantum condemnationis promulganda sententia: Cū patrati sceleris euidētia, neque accusatoris clamore indigeat.

7 Criminum autem, quædam diuinæ Maiestatis læsionem continent, quædam vero & hominibus damnum irrogant. Quæ Deum principaliter lædunt, habentur numero septem, scilicet Simonia,Hæresis,Schisma,Apostasia, Sacrilegium, Maledicentia, Sacrilegium. Quæ vero hominibus læsionem inferunt sunt numero octo, Homicidium, Adulterium,Stuprum,Rapina,Furtum,Vsura, Falsum,Iniurium, de quibus singulis distinctius, sed tamen breuiter videamus.

TITVLVS III.

De Simonia.

1 POST explicationē modi criminaliter agendi, restat tractare de ipsismet delictis, atque primò de illis quæ principaliter lædunt Diuinam Maiestatem. Inter hæc autem cum Simonia grauissimum censeatur esse crimen, adeo vt cætera quamuis alioqui grauia,huic tamen comparata leuia æstimentur; propterea ad intelligentiam eius deformitatis ante omnia titulo præsenti, quid,& vnde sit dicta Simonia disquiremus; deinde quo-

quomodo diuidatur, & in quibus rebus committatur considerabimus: atque demum certa dubia circa pœnam, & accusationem illius videbimus.

2 *Est itaque Simonia*, studiosa voluntas, siue cupiditas emendi, vel vendēdi spiritualia, puta ordinis Sacramēti, vel spiritualibus annexa (ius percipiendi fructus, vel iuspatronatus.) Vel Simonia est rei spiritualis, vel spiritualibus annexæ cum aliquo temporali facta commutatio. Appellata est autem à Simone Mago, qui primus huius detestandi sceleris auctor à Petro Apostolo acri fuerat obiurgatione repulsus, cum ab eo pecunia gratiam Spiritus sancti redimere tentasset.

3 Duplex autem est Simoniæ species, alia Conuentionalis, & alia Mentalis. *Conuentionalis est*, cum aut aliquid datum est, vel de dando in posterum tractatus intercesserit. *Mentalis est*, cum nullum quidem intercessit factum, sed sola praua dantis, aut recipientis mens, & intentio concurrit dandi, vel faciēdi aliquid, vt donum aliquod Diuinum assequatur. Sæpe enim contingit homines ambitione tractos, immensa, & vasta quædam honorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum siti omnia tentare, quæ sibi in mentem modò venire possūt, vt suis desiderijs satisfaciant, & nunc precibus, nunc precio, nunc alijs vijs aggrediuntur, vt quæ gratis esset concedenda, nec nisi benemeritis conferenda spiritualium administratio, quouis modo ad commoda sua extorquere possint. Propterea in huiusmodi labe purgandanunquam se stertere, nunquam se conniuere Pontifices Romani, & Canonicæ leges ostenderunt. Omnia quantum potuerunt remouētes, quæ huic nefandissimo sceleri causam, vel occasionē prębere posse videbātur: nōnulla etiā introducentes, quibus cōprimi, & coerceri, saltem pænę Episcopalis metu possent, qui æternam pœnam floccifacerent.

4 Item Simonia duplex est, alia contra religionem infusam, & alia contra religionem acquisitam. *Illa de iure diuino, & naturali probibita est*, ex quo est contra donum, & excellentiam doni Diuini, quod gratis nobis è cœlo datur,

& si pretio temporali vellet aliquis donum illud possidere, faceret contemptum, & vilipendiũ doni diuini, quasi Deus per pecuniam esset inducendus ad concedenda nobis sua dona. Hinc Petrus Apostolus Simoni Mago dixit, Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri. *Ista iure tunc Ecclesiastico prohibita est*, vt venditio officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, exactio pro administratione Sacramentorum, & Sacramẽtalium. Res enim quæ ex consecratione proueniunt, venales esse non debent. Igitur precium accipiens pro cõsecratione Ecclesiæ, altaris, aut Monialis grauissime peccat, & Simoniam committit. Similiter Episcopus qui obliquè per viam Notarij exigeret aliquid ratione ordinis collati à literis testimonialibus, & acciperet partem, Simoniã ex denunciatione Concil. Tridentini committeret. Item nec minister, nec Notarius in ordinatione, aut visitatione pro voce, vel calamo pecuniam recipere debent.

5 Contrahitur enim Simonia non modò cum pecunia ipsa pro re sacra datur, aut recipitur: vel de danda & recipienda tacitè, vel expresse conuentum fuerit: verum etiam cum dans à lingua, vel ab obsequio recipientis munus exigit. Cum tamen spiritualia tribuens manus ab omni munere excutere debeat: id tunc facere intelligitur cum pro diuinis rebus non solum pecuniam nullam, sed nec humanum obsequium, aut gratiam aliquam requirit.

6 Pecuniæ vero appellatione continetur quidquid homines habent. Contrahitur ergo Simonia cum quis sacra quodammodo in commercium deducit, & à baptismo, aut confessione non solum pecuniam à fidelibus exigit, sed etiam pullos, columbos, aut victualia cuiuscumque generis. Similiter Simonia committi dicitur cum ab instituendis Sacerdotibus, aut à sepeliendis mortuis, aut pro nubẽtium benedictionibus aliquid accipitur. Huius quoque criminis reus est, qui pretio, vel gratia peccatorem publicum celarit: vel minime pœnitentem reconciliarit, aut è conuerso verè pœnitentem reconciliare detrectarit.

7 Is quoque, qui pro electione præmia largitur, quia per electionem peruenitur ad consecrationem, perinde, Simoniacus habebitur, ac si pro consecratione munera dedisset. Nec distinguemus, sciente an ignorante eo, qui promissionis vel dationis alterius interuentu postmodum electus fuit, promissum quid vel datum fuerit: quamuis enim electus tempore dationis, vel promissionis conscius non fuerit, non propterea minus electio rei probanda erit.

8 Episcopus non potest dispensare cum electo simoniacè, licet ignoranter: sed benè super assertione beneficij simplicis, præuia tamen resignatione. Datum vero in dispendium eligendi, vel illo etiam reclamante, non facit electionem simoniacam.

9 Simonia committitur, si in conferendis beneficijs per concursum aliquis existimans se cæteris digniorem, daret aliquid electoribus, timens ab eis reijci. Similiter Simonia est dare munera alicui, vt suadeat alteri, vt det ei beneficium. Item dare patrono, vt præsentet. Item consentire in pensionem, vt beneficium possideas, vel resignare beneficium, vt pensionem recipias ab eo, sine authoritate Papæ. At vero Simonia non est renunciare beneficium in fauorem alterius, præsertim si Ecclesiæ vtilis esse potest.

10 Sed vt varijs modis Simoniaca labes committitur, sit etiam varijs pœnis Simoniacos percelli admonendi sumus. Nam si quis vt ordinetur pecuniam Episcopo obtulerit, & qui turpissimi lucri commodo sancti Spiritus gratiam vendere tentauerit, amissionis proprij gradus periculo subiacebit. Et qui ordinatus est, à dignitate, quam pecunijs acquisiuit, erit prorsus alienus. Si quis vero tam turpibus, & nefandis datis, vel acceptis mediator extiterit, siquidem clericus erit, à proprio gradu deijciendus: si vero laicus, anathematizandus erit.

11 Hæc tamen de illis intelligere nos oportet, quos nec ignorantia, nec attrectationis excusat violentia, sed Simoniaci simoniacè ordinati, vel ordinatores existunt. Cæterum, si quis à Simoniaco quidem, non tamen simoniacè ordi-

ordinem susceperit: aut simoniacè non simoniacus ordinē contulerit, misericorditer in Ecclesia sustinendi erunt: hos enim facit Simoniacos non reatus criminis, sed ordinatio, vel susceptio simoniaci

12 Quod si non ordinem quis, sed beneficium Ecclesiasticum data pecunia cōsecutus fuerit, multum interest per accusationem, an per inquisitionem quis conuictus fuerit. Primò enim casu non solum Ecclesia priuandus, verum etiam honore Sacerdotij presbyter spoliandus erit. Posteriore vero postquam ab Ecclesia, quam sibi per pecuniam comparauerat, amotus fuerit, & iniunctam pœnitentiam egerit; in susceptis ordinibus ministrare permittendus erit.

13 Quinimmo, qui paruuli parentum cupiditate Ecclesias per pecuniam sunt consecuti, ob parentum factum non modo à sacris ordinibus non sunt remouendi; verum etiam postquam eas omnino dimiserint, si canonicè in eisdem viuere voluerint, pro magna misericordia sustineri poterunt.

14 Nec obijciat quis, non consecrationem emisse se, sed quæ ex consecratione proueniant. Nam sicut anima sine corpore corporaliter viuere non potest, sic corporalis Ecclesia, vel dignitas, & ordo Ecclesiasticus, sine quo alterū haberi non contingit, neutrum inuenditum reliquisse intelligitur.

15 Quin & perpetua infamiæ nota Simoniaci tenentur: & quamuis acta criminis pœnitentia, Dei gratiam recuperent, non tamen alterius beneficij, infamia nimirum impediti, capaces fiunt, nisi cum eis fuerit per Summum Pontificem benignè dispensatum.

16 Tanta siquidem huius criminis est labes, vt etiam serui (qui regulariter non stant in iudicio) aduersus Dominos, & quilibet criminosi admittantur ad accusationem. Item omnis peccator (non præcisus ab Ecclesia per sentētiā Canonis, vel iudicis) & pœnitens missam celebrare potest, præterquam Simoniacus, quem adeo quilibet, vt ab ordine male accepto remoueatur, accusare potest, vt nec meretrix

retrix excludatur, quæ alias non est admittenda ad accusationem, ob eius vilitatem.

17 Sciendum tamen est, non datione qualibet, aut receptione Simoniam contrahi; nam si quid sponte, purè, sine peccato, & conuentione, aut taxatione qualibet fuerit gratis oblatum, id sine scrupulo Simoniacæ prauitatis recipi poterit.

18 Idem obtinet ex contrario, si quid non sponte quis dederit, sed vt indebitè illatam molestationem super quæsito iure redimat, dare coactus fuerit, Simoniam committere non dicitur. Licitum enim est in foro conscientiæ litiganti, bonamque causam secundum relationem suorum aduocatorum defendenti, dare aliquid iudici, vt pro eo sententiam ferat, vel Prælato, ne ipsam in iure suo de facto molestet, dum modo illud bona fide possideat.

19 Demum sciendum est, eos Prælatos subiacere Canonicæ districtioni, qui vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu (obuentiones iurisdictionis tanquam fructus vendentes) concedunt: quia dum Sacerdotium, sub hujusmodi mercede venale disponitur, ad æternum retributionis premium consideratio non habetur. Non tamen adeò subtili religione teneatur, vt munere aliquo citra pactum, & conuentionem induci existimet Simoniam: sed dantis, accipientisque personæ qualitatem, & muneris quantitatem, similiter & donationis genus ad cognoscendam Simoniam metiri inspicereque debemus.

TITVLVS IV.

De Hæreticis.

1 POstquam vidimus de delicto, quod mutat naturam Dei, & dona illius venalia pecunijs habet, sequitur videre de alio, quod ipsum negat, blasphemat, & tollit; & dicitur hæresis, quod quisque hæreat in sua opinione, & quæque erronea opinio ita firmi-

ter hæreat in mentẽ prauorũ huiusmodi, vt sæpe maximo labore & industria, crebrisque, & sollicitis vigilijs ei euellendæ opus sit. Quæ tametsi interdum parua, & vana motu primo videatur, tamẽ quamprimum vestigiorum, vel leuiter premendorum potestatẽ nacta fuerit, paulatim serpens in dies maiores sibi vires comparat: & postquam eò virium peruenerit, vt iam in multos populos vagata regni sui fines latè protenderit, tum vero sic labem suam mentibus humanum imprimit, vt in tyrannidem potius, & sæuitiam sceleratam, quam in religionem fucatam conuertatur, sæpiusque non minimas calamitates fidelibus inuehat, priusquam extingui, & à radicibus euelli possit: quod res ipsa testatur. Propterea, quò est hæc pestis Orbis Christiano perniciosior, eò vigilantius illi obuiam eundũ est. Et titulo præsenti inquirimus, quinam sint hæretici, & qua pœna puniendi, considerandum: deinde, quid iuris sit si ad Ecclesiam reuertantur: tum qui dicantur esse relapsi, & qui suspecti, & quomodo sit cum eis procedendum.

2 *Hæretici itaque sunt*, qui vanæ gloriæ, principatusque sui causa, falsas opiniones gignunt, vel sequuntur. Vel hæretici sunt, & dicuntur, qui à fide & doctrina Christi Apostolorum, & Ecclesiæ discedunt, articulos fidei, vel Ecclesiastica Sacramenta cum asseueratione refellentes.

3 Eorum plures, & diuersæ sunt sectæ. Et alij quidem de nomine suorum authorum nuncupantur, vt Macedoniani, Nestoriani, Ariani, Luterani, Zuingliani, Caluinistæ, & multi id genus alij, quorũ vt olĩ ita nostro æuo infinitus est numerus. Alij vero ex causis nouorum rituum, vel opinionum appellantur, quas vel instituerunt, vel tutari conati sunt, vt Aquarij, Alogij, Anabaptistæ, Antropomorfitæ, pluresque alij, qui omnes quibuscunque nominibus censeantur, vel quibuscunque ritibus, & opinionibus inter se differant, etsi facies habeant diuersas, caudas tamen connexas habent, cum vanitate in vnum conueniant, & communi nomine aduersus Ecclesiam Dei conspirent.

4 Eapropter multæ sæpe constitutiones diuersis temporibus

poribus factæ sunt per Romanos Pontifices, & Sacrosancta Concilia Generalia, quibus multa prudenter statuta sunt, vt vel amore, vel metu homines coercerentur, ne huiusmodi labium authores, adiutoresue, aut sectatores existerent. Quamuis enim ad fidem nemo sit compellendus, sed suo arbitrio, suoque more sibi viuere à principio permittatur, quam tamen scilicet quis acceperit fidem, si deseruerit, coercendus est; nec permittendus est impunè abire, qui alios secum in errores suos trahere tentarit: prætterquam quod Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ muneribus, & priuilegijs indignus iudicandus est, qui ab ea dissentire dignoscitur.

5 In hæresi itaque deprehensi (vel euidentia facti, vt quia publice prædicāt hæresim: vel legitima probatione, puta per testes: vel propria confessione) præter perpetui vinculum anathematis, si clerici sint, vel religiosi, totius Ecclesiastici ordinis prærogatiua spoliandi erunt (scilicet ab Episcopo qui cognoscit de crimine hæresis, tam contra clericos, quam contra laicos) & omni officio, & beneficio nudati, sæcularis relinquētur arbitrio potestatis, animaduersione debita, puta capitis, puniendi. Nisi continuo post deprehensionem erroris, ad fidei Catholicæ vnitatem recurrere, & errorem suum publice abiurare, & congruam satisfactionem exhibere consenserint.

6 Laici vero nisi prout dictum est, abiurata hæresi, & satisfactione exhibita, ad fidem redierint orthodoxam, sæcularis iudicis arbitrio relinquentur, quia cognitio criminis hæreseos ad iudicem Ecclesiasticum spectat, (sola vero executio relinquitur iudici sæculari post sententiam Episcopi) debitam pro qualitate facinoris vltionem recepturi.

7 Bona quoque damnatorum propter hæresim ipso iure, & omni spe potiundæ hæreditatis filijs adempta, confiscata intelligentur: aut si clerici fuerint, Ecclesijs, à quibus stipendia receperunt, applicabuntur. Confiscationis tamen huiusmodi executio, vel bonorum occupatio facienda nō erit, antequā super crimine sentētia fuerit promulgata.

8 Sed

8 Sed, & cum alteri per alterum iniqua conditio inferri non debeat, propter hæresim maritorum, vxorum catholicarum dotes confiscari non debent: Nec bona paraphernalia illius, nec donatio facta propter nuptias à marito, aut acquisita per vxorem constante matrimonio.

9 Ecclesiastica quoque sepultura vsque adeo carere debent, vt si qui eosdem credentes, aut fautores eorum scienter Ecclesiasticæ sepulturæ tradere ausi fuerint, excõmunicationis sententiam subiacere debeant, nec antea absolutionis mereantur beneficium, quàm proprijs manibus eiusmodi opera extumulent, & proijciant. Locus autem ille nullius sepulchro Orthodoxi aptus deinceps censebitur.

10 Sed & eorum filij ad beneficia Ecclesiastica, seu publica officia admittendi non erunt, quod quidem per paternam lineam vsque ad secundum gradum, per maternam vero vsque ad primum tantum extenditur. Cum enim secundum legitimas sanctiones, reis læsæ maiestatis capite punitis, & bonis confiscatis eorum, filijs vita solummodò èx misericordia conseruetur, quanto magis, qui aberrantes in fide Deum offendunt, muneribus, bonis, honoribus debent spoliari? Cum longè sit grauius æternam, quàm tẽporalem lædere maiestatem. Hoc tamen intelligendum est de filijs & posteris eorum, qui tales esse, vel etiam decessisse probantur: non autem illorum, quos emendatos, & Ecclesiæ vnitati reincorporatos esse constiterit.

11 Sed videamus qui, & quando incorporari debeant: & constat, eos qui pro culpa huiusmodi ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam acceptauerint, eamq; vel perfecerint humiliter prosecutioni eius insistant, recipiendos esse. Idẽ iuris est, si pœnitentia nec peracta sit, nec imposita, dum tamen crimini obnoxij ad eam recipiendam parati fuerint. Quod si qui post abiurationem erroris, vel postquã se proprij Antistitis examinatione purgauerint, in abiuratam hæresim recidisse deprehensi fuerint, sæculari iudicio sine vlla pœnitus audientia relinquendi erunt. Licet si postmodum pœniteant, & pœnitentiæ signa in eis apparuerint

ma-

manifesta, nequaquam sint relapsis, humiliter petita Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ deneganda.

12 Relapsi autem intelligendi sunt non solum ij, quorũ ante abiurationem crimen planè probatum fuerit, verum etiam ij, qui postquam accusati, vel vehementer suspecti semel hæresim in iudicio abiurauerint, & postmodum in eãdem iterum reincidunt. Planè, si ex modica & leui suspicione semel quis abiurauerit, reincidens quanquam ex hoc sit grauius puniendus, non tamen debet in hæresim relapsorum pœna puniri.

13 Is verò, qui in vna heresis specie, vel secta commisit, aut in vno articulo fidei, seu Ecclesiæ sacramẽto errauit, & postmodum hæresem simpliciter, vel generaliter abiurauit si deinde in aliam etiam hæresis speciem siue sectam, aut alio articulo, seu sacramento committat, vt relapsus in hæresim iudicandus erit.

14 Qui vero inuenti fuerunt sola suspicione notabiles, ob eam, quantumuis vehementem, de tam graui crimine condemnandi non erunt, sed nisi iuxta considerationem suspicionis, qualitatemq; personæ propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio sese feriendos exponunt. Et vsque ad satisfactionem ab omnibus euitabuntur: & si per annum in excommunicatone constiterint, velut heretici condemnabuntur.

15 Plura quoque ad hoc atrocissimum crimen vindicandum specialiter, & præter ordinarias iuris regulas inducta sunt, tam circa iudicium, & processum instituendum, & testium depositiones, carcerem, custodiam, & immurationis pœnam; quam etiam contra fautores, recepratores, & defensores eorum, vt clarè ex lectione sacrarum constitutionum apparere potest.

16 Qui etiam Principi heresim suadere tentauerit, tanquam relapsus Curiæ seculari traditur puniendus per Constitutionem Clementis VIII. Anno 1603. die 3. Feb. que incipit, Dominici gregis.

17 Nec potest quidquam hereticis ab Episcopis Pr[illegible]

byteris, Abbatibus, alijsue Clericis conferri, aut possessiones Ecclesiasticæ eis in vsum dari, quamuis sanguine etiam eis essent coniuncti; nisi velint largitores anathemati obnoxij esse. Idem euenit, qui famulos, œconomos, spenditores, medicos aut iureconsultos in aulis suis fouent, & eorum opera neglectis catholicis, contra Episcopalem decentiam vtuntur, & promouent eos ad dignitates, & fauores sæcularium Principium.

TITVLVS V.

De Schismaticis.

1 SChismatici dicitur, qui se ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ Romanæ per inobedientiam separant, suos sibi seorsum constituentes Sacerdotes, Episcopos, & Patriarchas. Differunt aut Schisma, & Hæresis, sicut dispositio & habitus: quia Schismaticus separans se ab vnione Ecclesiæ, disponitur ad incidendum in mille errores, in quibus pertinaciter permanẽs fit deinceps hæreticus, dum re ipsa negat articulum Symboli, *Et vnam sanctam Ecclesiam*, & proinde hæreticis annumeratur.

2 Schismaticos quosuis excommunicationis sententia Canones infectantur, & si nec sic resipuerint, à sacris ordinibus, omniq; ministerio Ecclesiastico deponentur: adhibito etiam si necesse fuerit brachij sæcularis auxilio, ad illorum insollentiam coercendam, cum omnium etiam bonorum confiscatione.

3 Ordinationes quoque ab eis factæ irritæ habentur. Et qui dignitates Ecclesiasticas, vel beneficia per ipsos sunt consequuti, eis priuantur. Item alienationes rerum Ecclesiasticarum per ipsos factæ nullius sunt momenti.

TITV-

TITVLVS VI.

De Apostatis.

1 APostatæ sunt, qui à statu fidei, obedientiæ, vel religionis, quam se teneri professi sunt, temerariè recedunt. Diciturque apostasia, veluti post statio, seu retrogradus status; & Apostata quasi retro stans, vel retro abiens, à suo proposito.

2 Apostasiæ triplex est species: alia enim est perfidiæ, alia inobedientiæ, & alia irregularitatis. *Apostasia perfidiæ est*, quando quis à fide Christiana recedit, & ad Iudaicos, vel Mahometanos ritus, & impietatem se conuertit; aut in Atheismum incidit. *Apostasia inobedientiæ est*, quando quis præcepta regulæ & superioris sui, quæ iurauerat sponte, transgreditur, & relicto sacerdotio patrũ constitutionibus non obtemperat. *Apostasia Irregularitatis est*, quando quis ab Ordine suo recedit & Religionis susceptæ desertor existit.

3 Licet igitur pro diuersitate apostasiæ, diuersæ delinquentibus inferantur pœnæ, omnes attamen æqualiter Sacri Canones tam inter infames deputant, quam etiam excommunicationis vinculo innodandos esse præcipiunt.

4 Nec possunt tales condere testamentum, quia omnia bona ipsorum confiscantur. Nec peracta pœnitentia redeunt ad pristinum statum, Et repelluntur à testimonio, & dignitatibus, & per omnia vt hæretici puniuntur si correctionem nullam admoniti admiserint. Deponi etiã possunt, & demum fœdi carceris squalorem etiam experiri coguntur; donec ad saniores mores, à quibus tam obstinatis animis declinarunt, suos pertæsi errores reuertantur.

TITVLVS VII.

De Sortilegis, Maledicis, & Sacrilegis.

1 CVM nobis dissertatio sit de delictis, quę immediate respiciunt Deum, & inter ista connumerentur etiam Sortilegia, maledicta, &

Sacrilegia, propterea cõgruẽti ordine illa in presenti titulo discutiemus, quærentes inprimis an ista delicta pertineant ad Inquisitorem hæreticæ prauitatis: deinde quid sint, & quomodo committantur: & tandem quomodo aut qualiter puniantur.

2 Sciendum itaque est, hæreticæ pestis inquisitores, (qui certis in prouincijs habentur) de diuinationibus, & sortilegijs (nisi hæresim saperent manifeste, sicuti est circa aras idolorum nefarias preces emittere, sacrificia offerre, dæmones consulere, adorare, ac eorum responsa accipere) sese intromittere non debere, vt Episcoporum iurisdictio minus lædatur, nec talia exercentes posse punire: sed eos suis debere iudicibus (puta Episcopis, & Legatis aut iudicibus sęcularibus) puniendos relinquere. Cum negotium fidei, quod summè priuilegiatum esse conuenit, per occupationes alias non debeat impediri.

3 Sortilegij nomen generale est, sub quo continentur diuinatore incantatores, malefici, Superstitiosi, Magi, Arioli, Aruspices, & alij. Proprie tamen Sortilegi sunt qui prætextu religionis, per quasdam sortes diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione facta, futura promittunt. Superstitiosi verò, qui cultum diuinum exhibent, cui non debent: vel Deo ipsi, sed eo modo quo non debent.

4 Diuinationis aut sunt diuersæ species, sed bifariam diuersę: quędam cum inuocatione dęmonum, quędam sine inuocatione. Prioris generis sunt nouem 1. *Præstigium*, ex eo dictum, quod oculi hominum præstinguntur dum dæmones præstigiosis apparitionibus se aspectui, & auditui hominum ingerunc. 2. *Somniorum visio*, & interpretatio. 3. *Necromantia* per mortuorum allocutionem diuinatio. 4. *Pitonomia* per homines viuos arreptitios futurorum annuntiatio. 5 *Pronunciatio, seu demonstratio futurorum per figuras*, & signa in rebus animatis apparentia quæ si apparent in corpore terrestri vocatur 6. *geomantia*: si vero in aqua vocatur 7. *hydromantia*: si in igne 8. *pyromaatia*: si in aere 9. *herenoman-*

tia: si in visceribus animalium immolatorum in aris dæmonũ, vocatur aruspiciũ. Secundi vero generis sunt sex 1. *Geneantici*, qui ex motu siderũ natalem diem hominis considerant, & futura prædicunt. 2. *Aruspices*, qui à garritu auiũ nunciant futura. 3. *Augures*, qui ab inspectione intestinorum auium auspicia prænunciant. 4. *Ominatores*, qui dicta hominum absque intentione prolata ad futuros euentus detorquent. 5. *Chiromantæ*, qui ex lineamentis manus diuinationes sumunt. 6. *Spatulatores*, qui ex signis in spatula alicuius animalis apparentibus futura prædicunt.

5 Sapiunt autem manifestam hæresim sortilegia illa, in quibus sortita miscentur, & in quibus fit inuocatio Dæmonum, & interrogatio de futuris euentibus, & in quibus admiscentur verba sacra, vel admiscetur vsus candelæ aut aquæ benedictæ, baptizando imagines, rebaptizando pueros: vel dum in annulo aut aliqua alia re includuntur dęmones, & pacta cum illis concluduntur: conscribunturq; characteres. Sed de his omnibus, vbi non sunt Inquisitores, cognoscit Episcopus, tanquam iudex ordinarius, aduocatis ad consilium prudentioribus Sacerdotibus.

6 Ariolorum igitur, aruspicum, incantatorum, & omnium sortilegiorum maleficiorumq; artes, cum sint ex quadam pestifera societate dæmonum, atque hominum, quasi pacta infidelis, & dolosæ amicitię constituta, penitus sunt ab Ecclesia eliminandæ. Et superstitiosi artifices, nisi per pœnitentiam resipiscant, perpetuo anathemate feriendi, & si Clerici sint, degradandi.

7 Diuersa est poena Maledicorum. Nam si quis in Deum, vel aliquem Sanctorum linguam in blasphemiam publicè relaxare ausus fuerit, pœnæ iuxta Gregorianæ constitutionis tenorem subdendus erit: quam si recipere, & pœnitentiam peragere recusauerit, & Ecclesię eidem interdicetur ingressus, & in obitu ecclesiastica carebit sepultura.

8 *Est autem blasphemia*, dictio tacita, vel expressa, vel etiam scripto concepta contra Deum, aut Sanctos eius, contumeliam aliquam in se continens, vel tribuens Deo

quod Dei non est, negansue de Deo quod Dei est, vel sibi quod Dei est, temerariè vsurpans.

9 Species etiam blasphemiæ duæ sunt, vna simplex, & altera hæreticalis. *Simplex est*, quando aliquis Deum, aut Virginem Beatam, Sãctosue eius maledicit, & turpia de eis loquitur. *Hæreticalis vero est*, quando aliquis dicit contra articulos fidei, damnatue sacramenta, aut deridet ceremonias Ecclesiæ, & Sanctos Dei. Sed olim Clerici blasphemi arbitrio iudicis puniebantur, & degradabantur. Laicis alia pœna imposita erat per Greg. IX,

10 Similibus, interdumq; acrioribus vrgentur pœnis, qui in sacrilegij crimen incidunt, & Ecclesias incendere, & violare minime verentur. Nam pro modo sceleris admissi facinorisq; perpetrati, nisi plenè satisfecerint, aut de satisfaciendo plenam securitatem exhibuerint, nunc pœnitentiæ beneficium sacrilego penitus denegatur, nunc anathemate vincitur, nunc perpetua damnatus infamia carceri traditur: aut ex illo perpetuæ deportationis, & depositionis animaduersione coercetur: aliquando etiam pecuniaria pœna mulctabitur.

11 *Est autem sacrilegium* rei sacræ læsio, violatio, aut vsurpatio; Cuius quatuor species esse videntur. *Prima* circa personam, puta percutiendo Clericum. *Secunda* per coniunctionem carnalem, puta cum moniali Deo sacrata. *Tertio* circa locum sacrum, vt puta violando Ecclesiam aut cemiterium. *Et quarta* per ablationem rei sacræ, vel in loco sacro. Cum igitur sacrilegium pluribus modis committatur, non propterea semper eadem pœna (capitis,) sed vti supra diximus pro diuersitate, & grauitate criminis, arbitrio Antistitis diuersimodè punietur. Clerici deponantur ex Concil. Lateranense sub Leone X. vel in monasterium detrudantur.

12 Nec solum talibus pœnis illi plectendi erunt, qui sacrilegium admiserint, sed etiam consentientes eis, aut adiuuantes. Presbyteri quoque, vel Clerici, qui in vita vel morte sacrilegis pœnitentias dare (quod intellige de illis,

qui

qui nec in vita, nec in morte satisfacere volunt,& possunt; his enim deneganda est pœnitentia in fine,& alia Ecclesiastica sacramenta, cum in pecato mortali decedant, aut sepulturæ interesse, vel eorum eleemosynas accipere ausi fuerint, à publico enim peccatore non debet sacerdos recipere eleemosynam,ne videatur illum fouere in delicto suo siue rapinæ participes inuenti fuerint, Ecclesiastico beneficio priuati,ordinis sui damnũ irrecuperabiliter patiẽtur.

13 Obserua hic, quod Clericum ob scelus aliquod depositum Episcopus proprius non potest restituere: sed requiritur dispensatio Papę. In beneficio tamen quo priuatus,fuerit potest Episcopus dispensare.

TITVLVS VIII.

De Furtis.

1 QVia titulo superiore diximus, sacrilegium committi etiam per furtum,seu rei sacrę,vel in loco sacro profanæ ablationem, ideo titulo pręsenti videbimus singulariter quid sit furtum, & quomodo puniatur, & de quo facto id intelligatur, cum furti nomine omnis illicita vsurpatio contineatur.

2 *Furtum itaque est*, contrectatio rei alienæ mobilis fraudulenta, inuito diuino, lucri faciendi gratia, siue ipsius rei, vel vsus possessionisue, quod lege naturali prohibitum est, admissa. In re enim immobili non consistit propriè furtum,quia non mouetur de loco ad locum. Dicitur autem furtum à furuo, idem nigro, quia clam fit & obscurè,& plerumque de nocte. Latrocinium vero fit cum violentia & aperte. Vnde non mirum, si differentia etiam est in pœnis: nam & ius ciuile acrius punit latrones, quam fures ocultos.

3 Fures igitur non solum sęculares leges,verùm etiam

Ca-

Canones acriter insectantur : nam nec ad sacros ordines promoueri (nisi de eiusmodi delicto nulla fama fuerit, & ipse delinquens cui damnum intulerat, satisfactionem dederit) promoti ab eisdem deijci, & si depositi incorrigibiles fuerint, excommunicari, & demum potestati sæculari tradi debent. Et si dum furtum committitur occisi fuerint, pro eis minimè orandum erit: quanquam si comprehensi, aut vulnerati confessi fuerint, communio eis non sit deneganda.

4 Sed hæc de illis intelligere nos oportet, qui nulla necessitate adacti furtum commiserunt. Cæterum si quis propter necessitatem summam cibaria, vestem, vel pecus furatus fuerit, longè mitiori pœna puniendus erit. Quia igitur tempore necessitatis omnia sunt communia, & voluntas tantum faciat furtum; ideo grauius punitur furtum commissum ex auaritia, quam commissum ex inopia.

5 Nec fures solum supradictis pœnis tenentur, sed ij quoque, qui aut cum furibus partiuntur, aut qui furtorum conscij fures quærentibus possessoribus nō indicant. Quod si quis verò emeret res furtiuas scienter sine voluntate restituendi, si contigerit dominum reperiri, vtique peccat mortaliter, & pretium solutum amitteret. Secus si voluntatem habuit conseruandi rem illam domino suo.

TITVLVS IX.

De Vsuris.

1 CVm vsuram exercens quodammodo furtum committere videatur, ideo post titulum de furtis, statim videndum est de vsuris: nimirum expendendo quid sit vsura, vnde dicatur, quotuplex sit, quomodo puniatur, & demum quo iure sit prohibita.

2 *Est igitur vsura*, lucrum ex mutuo pacto debitum: vel est crimen ex lucro proueniens, quo sors mutuo data accessionem accipit, vel ex pacto, vel intentione mutuantis. Et

cum dixerimus vſuram ex mutuo oriri, conſequens eſt etiã vt in his duntaxat rebus committi poſſit, in quibus & mutuum conſiſtit, nempe his, quæ pondere, numero, menſurare conſtant. Dicta vero eſt vſura ab vſu, quia ſcilicet pro vſu pecuniæ mutuatæ recipitur. Et nitantum eſt crimen & teſtamenti vtriuſque lege, & prohibita, quod dicens vſuram eſſe licitam dicitur hæreticus. Siue id ſit, qui à naturam ſuperare, & quodammodo violare velle videntur, qui id agunt, vt pecunia res ſuapte natura nulli propagationi apta, nullo tamen domini labore, nullaque eius induſtria, quaſi fructus ex ſe gignat. Seu quia pietati contrarium ſit, & à Chriſtiana charitate alienum, nolle opibus ſibi ſuperantibus proximo egenti gratis ſuppetias ferre. Seu etiam, quia ſi huiuſmodi mercimonia exercere fas eſſet, cætera omnia, vt agricultura, & quæ generi humano vtiliora ſunt, facile poſthaberentur, quod huius lucrum certius, tutiuſq; ſit.

3 Si quis itaque pignoris obtentu rei alicuius nactus fuerit poſſeſſionem, ſi ſortem ſuam deductis expenſis de fructibus iam perceperit, ſi eadem debitori reſtituere recuſet, & perceptos fructus in ſortem computentur, proculdubio vſurarium committitur crimen.

4 Duplices ſunt vſurarij, alij qui exercent vſuras ſimpliciter, & alij qui exercent vſuras vſurarum: vtrique tam Cæſareo quàm Pontificio iure damnandi, ſed magis qui manifeſti ſunt, & credunt licitas eſſe vſuras, & ſine peccato poſſe exerceri, quam illi qui non ſunt manifeſti, & improprie vſuram exercent vendendo fruges aut merces carius ad tempus, licet ſciant eſſe peccatum, ſeq; teneri ad reſtitutionem.

5 Multiplicibus autem pœnis Sacri Canones vſurarios inſequuntur: nam præter inuſtam infamiam, nec ad Chriſtianam nec ad communionem admittuntur altaris: (idem ad ſuſcipiendum ſacramentum Euchariſtiæ) nec quiſquam de manu eorum oblationes accipiet. Et ſi Clerici fuerint tam officij, quam beneficij Eccleſiaſtici periculo-

lum patientur, si admoniti, in hoc crimine incorrigibiles exstiterint. Clericus vero mediator, seu proxeneta illicitorum contractuum, & vsurarum, tenetur reddere vsuras, ac si ipse eas accepisset.

6 Nullus quoque sub pœnis in Gregorij X. constitutione comprehensis, manifestis vsurarijs, aut locabit domus, aut conductas habere permittet, sed & si in hoc scelere decesserint, Ecclesiastica carebunt sepultura. Nec proderit defuncto, quod hæres eius velit satisfacere: nam oportet, quod ipsemet restituat, vel de restituendo caueat ita quod appareat illum non decessisse in illo peccato.

7 Et id adeo obtinet, vt etiamsi morituri in vltima voluntate de vsuris satisfieri expressa quantitate, vel indistincte mandauerint, donec secundum Gregorianæ constitutionis tenorem satisfactum fuerit, Ecclesiastica sepultura carere debeant. Quicunque vero manifestos vsurarios contra prædictæ sanctionis formam, tumulare ausi fuerint, pœnæ Lateranensis Concilij sub Alex. III. contra vsurarios promulgatæ subijciendi erunt.

8 Debet autem satisfieri ei, à quo pecunia fuit extorta, vel eius hæredibus: illis verò non extantibus, vel non petentibus, vel non curantibus, pauperibus extortum erogabitur, pro arbitrio loci Ordinarij, vel Rectoris Parochiæ, sub qua testator ipse vsurarius habitat.

9 Testamenta quoque ab vsurarijs facta, & codicilli, aliter quàm secundum dictam Constitutionis formam (hoc est præstita cautione de restituendis vsuris per pignus, aut fideiussionem illis quibus restituenda est vsura, aut illorum procuratoribus, vel ipsis absentibus Ordinario loci, aut Parocho Ecclesiæ) non valebunt, etiamsi ad pias causas aliquid legauerint; sed ipso iure erunt irrita.

10 Nec quidquam proficiet, quod quis pro captiuis redimendis, vel eleemosynis dandis sese vsuras exercuisse alleget; nec enim propterea magis cum vsurario dispensari poterit, cum pro vita alterius, nec mentiri quidem, nedum rapere liceat. Sic etiam eleemosyna non potest fieri

de

de rebus restitutioni subiectis, quia prætextu boni, malum fieri non debet.

11 Planè, si nec ij, à quibus quis vsuras extorserit, nec illorum sint hæredes superstites, iudex tamen Ecclesiasticus ex officio suo parte non petente, tenetur cogere vsurarium, eiusque hæredem ad restitutionem faciendam, vt elargiatur pauperibus illius loci, vbi pecunia fuit extorta. Optimum autem erit, publicis edictis pronunciare in locis à quorum incolis soluta est vsura, vt quisquis fœnoris nomine à se aliquid, sciat ablatum, id veniat recepturus. Sed si principales fuerint superstites, & extortas vsuras vsurario remiserint, hinc sufficiet illi vt liberetur à peccato.

12 Nec is tantum Ecclesiastica dispensatione extortas vsuras restituere cogendus erit, qui fœneratus est, verum etiam filij, & quicumque extranei hæredes, qui omnes super vsuris conuenti nullius appellationis remedio restitutionem subterfugere permittendi erunt. Alias, si iniustè grauaretur, non est appellatio deneganda.

13 Sed & si quis sub vsuris pecuniam acceperit, & de eis nunquam repetendis fœneratori iurauerit, adhuc iudex vsurarios per censuram Ecclesiasticam compellere poterit, tam vt ab earum desistant exactione, & iuramentum remittant; quam etiam vt exactas restituant, ne de dolo, & fraude quemquam contingat commodum reportare. Iuramentum enim præstitum de vsuris non repetendis, non inducit liberam remissionem vsurarum, immo vsuræ præsumuntur magis extortæ, cum iuramentum huiusmodi nõ præsumatur interuenire ex libero consensu iurantis.

14 Iudæi quoque si à Christianis quocũque prætextu graues immoderatasue vsuras extorserint, & per sæculares principes, & potestates illas remittere sunt compellendi, & donec de immoderato grauamine competenter satisfecerint, ab vniuersis Christi fidelibus tam in mercimonijs, quam in alijs, per excommunicationis sententiam eis omnimoda communio denegabitur.

15 Sunt tamen casus, in quibus aliquid vltra sortem absque vitio vsurarum licitè recipitur: vt puta, si Clericus Ecclesiasticum beneficium aliter redimere nō valens, prętextu pignoris de manu laici illud acceperit. Nec enim hic in sortem fructus tenebitur computare. Idem si terra non sit beneficij alicuius Ecclesiastici, sed ad accipientem in pignus iure dominij directi pertinere noscatur.

16 Idem si possessiones pro non numerata dote genero à socero pignori obligatæ fuerint. Cum enim frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonij supportanda, pignoratarum possessionum fructus in sortem computandi non erunt.

17 Ille quoque qui dat decem solidos, vt alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, ex hoc vsurarius censeri non debet: quia licet tunc plus valeant, vtrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ verisimiliter dubitatur. Et licet dubia in meliorem partem interpretari debeant; tamen si certum esset, quod tempore solutionis plus valerent, abstinendum esset à talibus contractibus ob periculum animæ.

18 Aliud autem iuris est, si quis nauiganti, vel ad nundinas eunti certam pecunię quantitatem mutuatur, & ex eo quod in se mutuans periculum suscipit, aliquid vltra sortem vt recipiat conuenit: nam hic vsurarius reputandus erit. Similiter, quando quis vltra sortem mutuatam aliquod factum exigit, quod sit pecunijs æstimabile, v. g. certos dies laboris circa agriculturam excolendam, is hoc modo faciens vsuram committit. Idem censendum est, quando aliquis mutuando recipit aliquid in pignus mobile, vel immobile, & intendit recipere vtilitatem aliquam ex vsu illius pignoris ratione mutui; vt puta recipit villam, vel agrum aut equum, & fructum horum recipit tamdiu, quādiu mutuata pecuniæ summa illi non restituatur. Si igitur pretium fructuum illorum in partem sortis non computat, vsurarius reputandus erit.

19 Sed si quis mutuatarius generositatis suæ causa, &

ex beneuolentia mutuanti donat aliquid, poteſt prædictus mutuans abſque peccato donũ illud recipere. Similiter ſi mutuanti ex mera liberalitate mutuatarius pręſtat aliquod beneficium, vel promotionem ad aliquam dignitatem facit, in eo nõ committitur vſura, quia beneuolentia ſub ęſtimatione pecuniæ non cadit. Prout & ille, qui recipit ex mutuo intereſſe ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis, vſuram non committit.

TITVLVS X.

De Adulterijs, & alijs coniunctionibus illicitis.

1 ADulterium eſt alieni thori violatio. *Et fit tribus modis*. Quando ſcilicet vir coniugatus ad mulierem coniugatam accedit; ſecundo, quando ſolutus ad coniugatam: tertio, quando coniugatus ad ſolutam. Pœna in laico excommunicatio, in Clerico depoſitio: ſi adulterium fuit notorium in, utroque certę pęnæ impoſitio, in foro pœnitentiali, ſi adulterium erat occultum; Alias ex lege veteri moſaica, & iure diuino adulter, & adultera morti adiudicantur.

2 Eadem, vel etiam pro iudicis arbitrio maior aut minor eos maneat pœna, qui inceſtum commiſerunt. Vt puta, cum qui contra naturam humanę ſocietatis parentibus, vel alijs conſanguineis perſonis impudice adhæreat: aut ſi cum illa, quam quis de ſacro fonte ſuſceperit, aut quam ante Epiſcopum tenuerit, cum ſacro Chriſmate vngeretur fornicationis ſcelus perpetrauerit: aut cum relicto naturali vſu contra naturam more ſodomitico fornicabitur, aut humani generis naturam tranſgreſſus ſeſe brutis commiſcuerit.

3 Inceſtus igitur eſt, vti diximus, conſanguineorum, vel affinium abuſus: & duplici modo committitur: vel cum ma-

matrimonio,& punitur poena mortis:vel sine matrimonio, & punitur poena deportationis; quæ poena quia hodie nō est in vsu,ideo poenam hanc arbitrariam esse diximus.

4 Sodomitæ autem poena semper est,poena mortis de iure diuino, & post mortem igne concrematur, & bona ipsius confiscantur. Clericus vero per hoc crimen beneficijs priuatus deponitur, & in monasterium detruditur, vel degradatus potestati sæculari traditur secundum Bullam Pij V. Similiter & Regularis quilibet eo delicto notatus.

5 Quod si quis stuprum admiserit, multum intererit, vtrum cum muliere honeste viuente rem habuerit, aut virginem deflorauerit. Primo enim casu stuprator poenitentiæ subditus pecuniaria etiam poena coercendus erit iuxta qualitatem facti, & conditionem personarum. Posteriore vero, dotata virgine eandem patre consentiente habebit vxorem: si vero pater virginis dare noluerit, aut stuprator eam vxorem habere legibus impediatur, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines arbitrio iudicis accipere consueuerunt, consideratis facultatibus stupratoris & dignitate puellæ,& impositā pęnitentiā subibit.

6 Quod si consentiente patre, stuprator ipse corruptā virginem in vxorem ducere renuerit, corporaliter castigatus carcere verberibusue, ad arbitrium iudicis (licet seuerius de iure ciuili agatur)& excommunicatus(quoad communionem sacramentorum) in monasterium ad agendam poenitentiam retrudetur,de quo nulla erit ei egrediendi sine iudicis permissione licentia.

7 Maior legum seueritas raptores cohibet:nam præter sæcularium sanctionum poenas, idest poenam capitis, & bonorum adscriptionem raptæ,si sæcularis,si vero monialis monasterio, anathemate cum suis adiutoribus feriri, aut si Clerici sint, proprij ordinis, & honoris amissionem sustinere debent. A qua poena rapiens non excusatur,etiam si mulierem rapuerit animo contrahendi cum illa matrimonium,non solùm cognoscendi eam carnaliter. Prædictæq; poenę habēt locum non tantum in rapientibus puel-

las virgines, sed etiam in rapientibus nuptas, desponsatas viduas, seruas, libertinas, tam viles quam nobiles: licet ipsa mulier in raptum consenserit.

8 Statuitq; Concil. Trid. nullum matrimonium posse consistere, quamdiù rapta in potestate raptoris manserit, nisi separata ab illo, in loco tuto & libero constituta fuerit: & nihilominus raptor ipse ac fautores adiutoresue illius acerrimis poenis punientur.

9 Raptus autem tunc committi dicitur, cum illa de cuius nuptijs nihil actum fuerit antea, de loco in locum inuita asportatur. Vnde qui sibi desponsatam, vel parentibus reclamantibus adduxerit, in crimen raptus & in pęnas minimè incidit. Rapta quoque puella legitimè cum raptore matrimonium contrahet, si prior dissensio in consensum transeat. Raptor enim & rapta, nomina sunt vitiorum, non personarum. Vitia autem cum purgata fuerint, eorum etiam nomina abolentur.

10 Sed hæc de illis intelligenda sunt, qui mulierum laicarum consensum habuerunt: nam si quis Deo dicatas virgines, vel rapuerit, vel volentes matrimonio sibi sociare tentauerit, tanquam sacrilegium admittens pro tam nefandi criminis atrocitate plectendus erit; nulla prorsus voluntatis sacrarum virginum habita ratione.

11 Demum, si quis cum muliere soluta, & impudica simpliciter fornicatus fuerit, tam poenitentiæ modus, quā etiam alia poena in iudicis potissimum reponetur arbitrio qui ex qualitatibus varijs, minorem, vel maiorem poenam statuet.

TITVLVS XI.

De Crimine Falsi.

1 CRimen quoque falsi magnum æstimatur, magnisq; poenis vindicatur, quòd illo in primis Deus læditur, deinde Princeps, cuius literæ fal-

falsificantur, & postmodum is, aduersus quem falsum adstruitur. Committiturq; hæc falsitas(vt hic sæcularem potestatem excludam) vel in literis Pontificijs, quæ vel à Cãcellaria Apostolica, vel à summo Pœnitentiario Papę proficiscuntur: vel in literis aliorum Prælatorum & Iudicum inferiorum: vel denique in Instrumentis publicis, & testimonijs ferendis.

2 Quatuor autem modis hęc falsitas in scripturis committitur. *Primo*, cum scribitur quod aliquis est præsens, cum realiter non erat. *Secundo*, cum scriptum alterius manu simulata subscribitur. *Tertio*, cum est alterius sigillo munitum. *Et quarto*, cum est contrarium scriptum, vel falsè aliquid additur.

3 Vt igitur quis de crimine falsi puniri possit, hæc tria in falsis literis requiri debent. *Primo*, mutatio veritatis. *Secundo*, dolus & culpa *Tertio*, iactura seu damnum.

4 Quamuis itaque aduersus eos qui falsi crimen commiserunt, varie statutum in Canonibus sacris reperiatur, illos tamen cæteris acrius leges insectãtur, qui literis Apostolicis falsis vsi fuerint. Talium enim literarum falsarij cum fautoribus, & defensoribus suis anathemate feriuntur. Et si Clerici fuerint, omnibus officijs & beneficijs ecclesiasticis perpetuò priuabuntur: ita vt qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per Ecclesiasticum iudicem degradati fuerint, sæculari potestati tradendi sint, secundũ legitimas constitutiones puniendi, (hoc est deportatione, & bonorum proprior publicatione, si liber quis fuerit; si seruus, vltimo supplicio) per quam & laici, qui fuerint de falsitate conuicti, legitime punientur.

5 At qui non ipsi falsum perfecerint, aut fieri mandarint, falsis tum ab alijs fabricatis literis scientes vsi fuerint officijs, & beneficijs Ecclesiasticis spoliandi sunt. Laici excommunicatione innodandi, à qua tunc demum soluendi erunt, cum satisfecerint competenter. In vtrisque tamen malitia grauius quam negligentia punietur: quod & de his qui falsas literas impetrant obseruabitur.

6 Qui

6 Qui vero alterius Principis secularis literas aut sigillum falsauerit, is si Clericus fuerit, ab ordinibus depositus, charactere compungendus erit, ac in exilium mittendus. Sed si Prælati alicuius literis, aut iudicis inferioris falsitatem Clericus adhibuerit, ab ordine deponetur, & omnibus beneficijs exutus in monasterium ad agendum pœnitentiam detrudetur, si accusationis tramite conuictus fuerit. Sed si per modum inquisitionis contra eum fuerit processum, ab offitio & beneficio suspendendus erit, donec indulgentiam Sedis Apostolicæ meruerit obtinere.

TITVLVS XII.

De Homicidio.

1 HOmicidium, vt est delictum contra quintum Decalogi præceptum commissum, nil aliud est, quam corporis humani animati occisio facta contra iustitiam proximo debitam. Et committi potest non solum opere ipso, sed etiam mandato, consilio, auxilio, fauore, cooperatione, permissione, approbatione.

2 Est autem homicidium duplex, voluntarium vnum, & alterum casuale. *Voluntarium* aliud simpliciter, & directe commissum, & aliud secundum quid indirecte, & reductione. *Similiter & casuale* aliud simpliciter, & directe, & aliud secundum quid, & indirecte, vt latius de hac re Theologi. Semper tamen est iniustum, cuiuscunque homnis, siue pagani, siue Iudæi, siue excommunicati, siue banniti.

3 Et cum non ad opera tantum sit respiciendum, sed tempus quoque & causa, tum voluntas etiam ipsa, & personarum differentia, & omnia quæ operibus accidunt sint peruestiganda, sequitur vt non sit omnium homicidiorum eadem conditio, & pœna. Cunctorum vero illud atrocissimum videtur, quod Assassinium vulgo Itali nuncupant, cum quis libera voluntate suggerente in vijs publicis ho-

mines interficit, aut domos inuadit, horrenda inhumanitate mortem sitiens aliorum magis quam prædam aut lucrum temporale. Vnde non solum Assassini ipsi, sed etiam receptatores, occultatores, & defensores eorum, & qui per eosdem quenquam interfici fecerit aut mandauerit, dignitatibus, honoribus, officijs, beneficijs, omnibusq; bonis nudatus, excommunicationis & depositionis incurret ipso iure sententiam, & tanquam Christianæ religionis hostis à toto Christiano populo perpetuo diffidatus erit.

4 Non absimilis eum tenet pęna, qui licet non per assassinium, per insidias tamen & ex proposito hominem interfecerit: qui si laicus sit, iudex eius Ecclesiasticus causam seculari iudici mandabit, vt ille iustitiam faciat, & secundũ leges seculares, decretas in eum pœnas statuat. Si Clericus sit, deponetur, atque etiam, si adiacentes crimini loci valde illud exaggerent, vt iam non videatur amplius dissimulanda, aut ferenda rei proterua temeritas, laicorum manibus, sacris ei ordinibus antea ablatis, plectendus dimittetur.

5 Quod si quis latronem vel furem peremerit, liberando se & sua, an aliqua pœna sit puniendus? Et si quidem furem absque occisione comprehendere potuit, certa aduersus eum statuta pœnitentia reperitur: quod si non potuit, nulla occisori erit ex necessitate iniungenda pœna.

6 Idem etiam obtinebit, si casu perpetratum fuerit homicidium, vt puta, si quis necessario insistens operi arborem inciderit, & aliquis subtus transiens opprimatur: nam si neque uoluntate, nec ulla incidentis culpa factum fuerit, ut pertransiens opprimeretur, arborem incidens homicidij pœnis obnoxius non erit.

7 Alia ratio est eorũ, qui proprios filios oppressisse reperiuntur in lecto, vel eisdẽ alimenta denegant, uel consentiunt denegari. Cum enim hos grauiter deliquisse non sit dubium, certorum annorum erit illis iniungenda pœnitentia, quia parentes debent prouidere saluti liberorum suorum, nec habent eos quoad uitam in sua potestate.

8 Quod si filius infans, aut languidus cuiuscunque ætatis à patre, vel ab alio, patre sciente, fuerit expositus, aut eidem alimenta denegata fuerint, hoc ipso à potestate patria liberabitur. Nec tamen propterea, qui expositos susceperit, aliquod in eis ius uendicare poterit.

9 Is quoque, qui vel causa explendæ libidinis, vel odij meditatione, propter amorem scilicet, vel lucrum, sperans successionem abintestato, viro aut mulieri aliquid fecerit, vel potandum dederit, quo minus possit generare vel concipere, vel nasci soboles, vt homicida puniendus erit, quia par est impedire natiuitatē, & eā tollere, quia in vtroq; casu infans priuatur vita. Quamquam alias si conceptus nondum viuificatus fuerit, nec vt abigeretur quisquam dolo malo fecerit, qui abortui occasionem tradidit, puniendus non erit.

10 Denique sciendum est, pro his qui quocumq; prætextu, puta tædio vitæ, morbo, furore, doloris impatientia, conscientia criminis, pudore, voluntarie, ferro vel veneno, uel suspendio, vel quolibet modo sibi mortem inferunt nullam in oblatione facienda esse commemorationem: & Ecclesiastica eos debere carere sepultura, non aliter atque illos, qui pro suis sceleribus impœnitentes moriuntur. Quia non solum iure ciuili, & canonico, sed etiam naturali prohibitum est seipsum occidere, quæ secum quandam ordinatam charitatem habet, vt quod in alium nefas, multo magis in seipsum nefandum iudicet. Vnde etiam non sequuto effectu in isto crimine punitur, si seipsum percutiens aut vulnerans animo occidendi ab alijs fuerit detentus seu impeditus.

TITVLVS VLTIMVS.

De Iniurijs, & damno dato.

1 CONcludens iudicia publica quæ circa delicta in Deum, & proximum lædentia versantur, restat

hoc vltimo titulo agere de iniuria, vel ab homine, vel ab aliquo animali illata, considerando diligenter quot modis committantur, & quibus pœnis puniantur. Cum aliæ iniuriæ sint personales, & alię verbales. Et personæ aliæ sint spirituales aliæ sæculares; aliæ in iurisdictione, & præeminentia aliqua positæ, & aliæ simplices, & subiectæ.

2 Personalis iniuria graue delictum dicitur, & potest inferri pluribus modis. *Primo* cum quis Ecclesiasticas personas, non habens in eas iurisdictionem vllam, carceratas detineret: quod peragendo non modo incideret in iniuriarum actionem, sed etiam in excommunicationis sententiam; hoc tamen nõ procedit, si in fragranti fuisset captus & remissus ad suum superiorem, quod fieri potest lege permittente. *Secundo dicitur* inferri iniuria, cum Ecclesiastica persona per vestes inuita detinetur, vt interim afficiatur aliquibus opprobrijs, & verbis contumeliosis ab alio. *Tertio* dum proceditur ad verberationem, & alapæ percusionem. *Quarto* dum de possessione sua fugatur, & eijcitur contumeliose. *Quinto* dum inuaditur in domo sua, & molestijs iniurijsque aut damno aliquo afficitur. Tum & alijs pluribus modis.

3 Verbalis quoque iniuria, quæ voce profertur, similiter pluribus modis fi: sed generaliter loquendo dicitur omne id per quod alicui improperatur, & turpiloquium, execrationes, mendacia, aut maledicta ingeruntur, dicendo esse filium meretricis, hæretici, aut pagani alicuius: aut dicendo aliquem esse nugatorem, impostorẽ, parasitũ &c.

4 Sed verbalis iniuria quæ scripto committitur, multo grauior est illa quæ conuicium voce iactat; scribensq; in alterius vituperationem carmen, aut famosum libellum, pro atrocitate criminis prudentis iudicis arbitrio pœnas luet, secundum leges ciuiles decapitationis, secundum vero Canones verberum, carceris, depositionis, & anathematis, si conuictus fuerit: mitius cum non possit probari. Sed & qui famosum libellũ inuenerit, & nõ statim eũ cõbusserit, sed eius tenorẽ dolose manifestauerit, qua auctor ipse pęna plectendus erit.

5 Item

5 Item alia iniuria est atrox, alia leuis, & alia tolerabilis. *Atrox est*, cum Clericus in sacris constitutus offert duellum, vel oblatum suscipit, & pugnat: hoc enim enorme crimen est dum vel vulneratur, vel vulnerat, aut fustibus excipitur. Aut in Episcopum, vel Abbatem suum insurgit, & contra vitam aut honorem illius coniurationem aliquam machinatur. *Leuis vero iniuria est*, quam facile quisque iniuriatus condonare potest. *Tolerabilis* demum, quę vel statim similibus verbis aut factis, absq; commotione animi refundi potest, vel per dissimulationem subticeri.

6 Sed quia secundum varietatem locorum, personarum, temporum & factorum iniuriæ illatæ fiunt grauiores aut leuiores, ita quoque & pœnarum; non potest pręscribi certa regula & modus: sed vt crimina extraordinaria fieri solent, ita, & pœnas extraordinarias merentur. Nihilominus in eiusmodi delictis hęc quatuor sunt obseruanda. *Primo*, an sit Sacerdos, vel Prælatus aliquis maior. *Secundo*, an in loco sacro delictum factum, puta in Ecclesia, cœmiterio aut capella aliqua, seu Monasterio aut Sacristia. *Tertio*, an tempore celebrationis officiorum diuinorum. *Et quarto*, an per hoc officium diuinum fuerit turbatum, & scandalum aliquod fidelibus prębitum: tunc enim imponenda esset vltimi supplicij pœna.

7 Læsæ quoque maiestatis crimini obnoxius Clericus, cuiuscumq; ordinis sit, deponendus est.

8 Maximum porrò eius crimen æstimatur, qui S. R. E. Cardinalem hostiliter insequitur, vel percutit, aut capit: Vel socium hæc patranti se adiungit: vel fieri mandat; vel facta rata habet, aut consilium & fauorem dat, aut postea receptat, & defensat scienter. Is enim sicut læsæ maiestatis criminis reus, perpetuò fit infamis, vt nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad alicuius bona ex testamento, vel ab intestato vocetur, quatenus ab omni successione repulsus, publicaq; repulsa confusus, minus inueniat suum malitiæ successorem. Fieri iubentur habitationes eius desertæ, vt non sit qui eas inhabitet; dari præcipiuntur cun-

ꝯta eius ædificia in ruinam, & vt perpetuam notam infamiæ perpetua ruina testentur, nullo tempore instaurari permittuntur. Nullusq; ei debita reddere, nullus respondere in iudicio tenetur. Bona eius omnia fisco vel Reip. applicantur: feuda, locationes, officia, & beneficia omnia quæ ab Ecclesijs habebat, ad easdem pleno iure reuertuntur. Filij & nepotes ipsius omnibus beneficijs, ac etiam Pontificali dignitate sunt ipso iure priuati; nec ad aliquã dignitatem, vel officium publicum, aspirare possunt, nec alicuius legitimi actus capacas sunt. Multaq; alia aduersus huiusmodi sacrilegos homnnes per Bonifacium VIII. statuta sunt: quemadmodum & ferè easdem pœnas Clemens V. contra eos sanxit, qui Pontificem quemlibet supradictis modis affecerint, insecuti fuerint, vel ei iniurij extiterint.

9 Mitius cum his agitur, qui in pugna, vel rixa aliquẽ lapide, vel pugno percusserint. Si enim ille mortuus nõ fuerit, sed in lecto iacuerit, vel operas exercere fuerit impeditus, qui percusserit, & opera eius, & impensas in medicos restituet. Et generaliter, si culpa tua datum est damnum vel iniuria irrogata, vel alijs irrogantibus opem tulisti, aut hæc imperitia tua, sine negligentia euenerunt, iure te super his satisfacere oportebit. Nec te excusabit ignorantia, si scire debuisti ex facto tuo iniuriam verisimiliter posse contingere, vel iacturam.

10 Quod si animalia tua nocuisse proponantur, nihilominus ad satisfactionem teneberis: nisi ea pro noxa dando damnum passis, te ipsum velis liberari; quod tamen ad liberationem non sufficit, si fera fuissent animalia, & quæ nocere consueuerant, & quam debueras diligentiam non adhibuisti, quia eiusmodi animalia non debent teneri in publico, & vbi est publicum iter. Diuersum statuitur in eo, qui vt damnum non contingeret, nihil omisit.

11 Cæteras autem delictorum species, si quæ sunt, & eorũ pœnas studiosus ex corpore Iuris Canonici excipiet; nos enim de his tantum diximus, quantum pro instituto

no-

nostro necessarium esse iudicauimus. Restat vt pœnarum ipsarum, quibus Ecclesia in delinquentes seuerè, vel remissè vtitur, genera & varietatem prænumeremus, vt proinde sciant iudices acri iudicio æstimare, quænam pro delicti qualitate, & delinquentis statu, & conditione, omnibus maturè circumspectis, vnicuique statuenda sit.

LIBER VLTIMVS.

De Pœnis, & Censuris Ecclesiasticis.

TITVLVS I.

De Appellatione Censuræ, & Pœnæ Ecclesiasticæ.

1 Postquam duobus libris prioribus personarum deinde duobus sequentibus rerum Ecclesiasticarum tractatum complexi fuimus, subinde ad reliquos duos descendentes, iudiciorum tàm ciuilium, quàm criminalium materiam & seriem explanauimus, delictorũ naturã & poenas breuiter perstringentes. Cum tam ratione contumaciæ, quam etiam aliorum excessuum, Ecclesiasticis Censuris interdum aliquos innodari varijs locis admonuerimus: superest nunc, vt operi finem imponentes, de ipsis censuris hoc vltimo libro fusius, & distinctius disseramus. Et nominatim hoc primo titulo, quid sit Censura, & quæ eius etymologia: tum quotuplex sit, & quot modis ab Ecclesiasticis scriptoribus vsurpetur, dilucidè explicemus.

2 *Est igitur Censura*, poena spiritualis fori exterioris Ecclesiæ, qua spiritualium vsus impeditur, vt à contumacia discedatur. Vel, est vinculum spirituale Ecclesiasticum ordinatum ad salutem spiritualium, tum illius qui ligatur, tum

tum etiam ad salutem aliorum. Nam licet ab Ecclesia inferantur poenæ ieiunij, verberum, seruitutis, exilij, pecuniarum, atque carceris, istæ tamen non dicātur poenæ spirituales, nec proprie censuræ appellantur Ecclesiasticæ, sed interdum poenæ corporales duntaxat adnexæ spiritualibus pro grauitate criminis seu delicti cuiusque, veluti accidens suo subiecto; Anima enim cum spiritus sit purus, spirituali poena puniri debet, quę ad differentiam poenæ corporalis proprio vocabulo Censura Ecclesiastica appellatur. Et fieri non debet sine causæ cognitione, per eum, qui fori contentiosi iurisdictionem habet: vnde poena quæ à laicis infertur, censura non est; neque illa quam Sacerdos in foro poenitentiali iniungit, licet spiritualis sit.

3 *Dicitur autem Censura à censendo*, quod nomen in vsu fuit apud antiquos Romanos, in duplici significatione, vt primo pro Censoris dignitate, & deinde pro censione, sententia, seu correctione ipsius censoris acciperetur.

4 Et est triplex, Excommunicatio scilicet, Suspensio, & Interdictum. Excommunicationi subijciuntur tam laici quam clerici: Suspensione soli clerici afficiuntur: Interdicto vero & loca, & personæ subijciuntur. *Excommunicatio est*, à communione fidelium, & sacramentorum exclusio. *Interdictum Ecclesiasticum est*, à certis sacramentis, & omnibus diuinis officijs, & sepultura Ecclesiastica facta prohibitio. *Suspensio denique est*, inhabilitas quædam ordinum, vel officiorum executionem impediens.

5 Excommunicatio omnibus alijs censuris maior atq; grauior est: tum quia inter homnes esse, & hominum carere commercio maxima poena est; tum quia per eam quis traditur Satanæ in interitum carnis; tum denique quia priuat medijs ad vitam animæ oportunis, vt Sacramentis, & suffragijs Ecclesiasticis, ac perconsequens profanis etiam Ecclesiæ bonis caremus.

6 Censura igitur cum sit quæda poena, consequenter dicitur hominem priuare aliquo bono, vel executione officij, vel communione rerum, & hominum. Si primum, aut

ho-

homo priuatur simpliciter, & si non pertinet ad censuram aut priuatur ad tempus & hinc datur suspensio. Si secundum; aut respicit hominem, vt est persona priuata & hinc habetur excommunicatio; aut est pars vniuersitatis, & inde oritur interdictum.

7 Cæterum, maxima iure nostro in Clericum pœna est degradatio, id est omnibus gradibus, & ordinibus spoliatio: quę etiam in Clericum minorum ordinum cadere potest. Eaq; est duplex: *altera* quæ solis verbis fit, & depositio simplex appellatur: *altera* quæ non tantum verbis, sed etiam factis celebratur, ideoq; actualis appellatur degradatio. Et Episcopo deponendo duodecim Episcoporum pręsentia opus est, quæ tamen sine authoritate Summi Pontificis fieri non debet, vt supra libro primo diximus. Præsbytero autem deponendo olim sex Episcopi interesse debebant; Diacono, & Subdiacono tres, præterproprium ipsius Episcopum. Nunc sola proprij ipsorum Episcopi sententia sufficiet, conuocatis Abbatibus alijsq; Pręlatis & religiosis personis, & literatis suæ Diœcesis.

8 Multa autem solennitas in solenni degradatione requiritur, quæ tam ex Concil. Carthaginensi secundo, quā ex Bonifacij Octaui responso ad Arelatensē Episcopum pręscripta est. Eo enim modo fit, quo exauthorari solet, qui in militiam armatam adscriptus est. Nam sicut illi militaria detrahuntur insignia, atq; à militia, & castris exturbatur priuatus consortio & priuilegio militari: ita Clericus in cælestem militiam adscriptus, singula ordinum, quos receperit insignia reddere compellitur. Qua degradatione perfecta exinde curiæ seculari præsenti est tradendus, vt eum in forum suum recipiat, & pœnas quas ei visum fuerit infligat: habita eius erroris tamen aliqua miseratione. Quod vt iudex sæcularis faciat, & præsertim ne mortem ei inferat, à iudicibus Ecclesiasticis est impensè monendus, & rogandus.

9 Simplex autem depositio nullam facti solennitatem desiderat, quippe eius executio est degradatio actualis: & si

si non tamen semper depositio verbalis fiat, quo actualis executionem secum trahat; quo casu multa ex supradictis remitti aliqui censuerunt. Non solet autem depositio nisi pro grauibus & capitalibus delictis inuri, & nisi legibus Canonicis cautum sit, & grauius etiã negocium esse oportet, vt actual s degradatio fiat. Et ex his causis fieri potest videlicet propter hæresim, crimen falsi, schisma indomitũ, homicidium atrox, puta parricidiũ, vel Episcopi, aut Presbyteri cedem.

10 Carcerem quoque ad perpetuum damnatio non infima est inter pœnas, quæ hoc iure irrogari solent: nam etsi reis custodiendis magis, quam puniendis, carceris angustiæ inuentæ sint; iure tamen nostro hic quoque carcerũ vsus pro delinquentium supplicio est receptus. Atque hęc pœna capitalibus interdum annumeratur, eiq; supplicio quàm simillima est, quo seculares vtuntur, dum quempiam in metallum, vel ad triremes damnant: & in eum qui depositus fuerit exerceri potest, his videlicet casibus, quibus in foro laicorum vita adiuuetur. Potest tamen etiam ad tempus fieri in carcerem relegatio.

11 Item beneficiorum ademptio grauis pęna censetur nec nisi pro grauibus delictis imponi solet, nec nisi delictũ eam priuationis pœnam mereri in iure sit expressum: vt contingit etiam, cum agitur de aliquo priuando potestate eligendi, vel præsentandi. Et in bonorum quoque publicatione hæc locum habent.

12 Supplicij etiam loco detruduntur sontes, quandoq; in arctum Monasterium, extra quod eis facultas non sit exiliendi, quod ferè post depositionem factam contingit. Hinc iudicari potest, ex grauissimis duntaxat delictis hanc pœnam irrogari solere.

13 Item possunt Clerici notis, & stigmatibus compungi, dum citra sanguinem id fiat, idq; post depositionem duntaxat. Seruitutem quin etiam in pœnam interdum Canones irrogant. Verberibus quoque, & flagellis sontes affici possunt, dum moderate id fiat citra sanguinis effusionem,

nem, & præsertim citra vitæ, & membrorum periculum.

4 Mittuntur etiam interdum in exilium delinquentes ex Iuris Canonici Constitutionibus. Alijs admitur in pœnam priuilegium Clericale. Indicuntur ieiunia, & pecuniariæ mulctæ irrogantur, quæ tamen pauperibus aut pijs locis, non verò vsui iudicum adscribendæ sunt. Sunt & aliæ pœnæ complures, quæ iudicum arbitrio pro varietate delictorum inferuntur, sed non vocantur censuræ. Nam hę tantummodo tres sunt, vt supra admonuimus, Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum, de quibus mox subijciemus.

TITVLVS II.

De Excommunicatione.

1 PRimum locum inter censuras Ecclesiasticas Excommunicatio habet, vel quia est in vsu frequentior, vel quia reliquæ præsupponunt eam, & aliquo modo dependent ab ea: quæ sicut medicinam affert eam metuenti, atque ut decet magni facienti, sic contra, si fuerit contempta, mortem æternam inuehit, nisi resipiscat, cuique delinquenti.

2 Est igitur Excommunicatio censura Ecclesiastica, à Canone uel Iudice prolata, & inflicta, priuans Christianum legitima communione Sacramentorum, & quandoque hominum. Vnde hoc nomen accepit, quasi extra communionem: & æquiparatur banno dato contumaci, quod pariter dicitur medicinale, quia per inobedientiam fit, prout & excommunicatio.

3 Excommunicationum duæ sunt species, maior scilicet, & minor. *Minorem*, per quam quis à sacramentorum participatione conscientia, vel sententia arcetur, non vero hominum consuetudine. *Maiorem*, per quam quis non solum à sacramẽtorũ excluditur perceptione, verum etiam à

 com-

communione fidelium, quæ ab omni actu legitimo separat ac diuidit: & alio nomine anathema appellatur.

4 Rursus excommunicationum alia Canonis, alia Iudicis. *Canonis est*, qua quis ab ipso solum Canone absque iudicis ministerio innodatur: quæ etiam alio vocabulo, latæ sententiæ excommunicatio nuncupatur. Complures enim casus sunt, in quibus nulla expectata iudicis prolatione, ipso iure delinquens excommunicationis vinculis innodetur. Exempli causa. Si quis in clericos, regulares monachos professos, vel nouitios, vel conuersos, violentas, & impias manus iniecerit, ipso iure Canonis incurret sententiam, à qua præterquam à Romano Pontifice, vel eius de latere legato, à quoquam absolui non poterit.

5 Sed etsi manus quis violentas non iniecerit, inferenti tamen, vel auctor, vel fautor, vel adiutor fuerit, aut factum ratum habuerit, pari pœna illum plectendum Catholica sanxit auctoritas, delinquentibus fauere interpretata, qui cum possunt manifesto sceleri desunt obuiare.

6 Interdum etiamsi nullam corporis læsionem Clericis quis intulerit, excommunicationis tamen pœnam non euadet: vt puta, si laicus in publica, vel priuata custodia illos detinuerit, vel in vincula coniecerit, nisi tamen id de mandato faciat Prælatorum, quorum illi sunt iurisdictioni subiecti: tunc enim citra excommunicationis metum, capere clericos, & ad iudicium violenter ducere laici poterunt; cum hoc non ipsi, sed illi quorum authoritate hoc faciunt agere videantur. Dum tamen non amplius eorum se extendat violentia, quam defensio Clericorum exigit.

7 Item excommunicatio diuiditur in iustam, & iniustam. *Iusta dicitur illa*, quæ fertur à legitimo iudice ob iustam causam seruatis debito ordine, & fine. *Iniusta est illa* cui deest aliqua ex conditionibus assignatis excommunicationis iustæ.

8 Et hæc item iniusta excommunicatio fit dupliciter iniusta, aut accidentaliter, cùm deest illi aliqua conditio; aut substantialiter, cum deest illi causa, quę est veluti anima

ex-

excommunicationis. Vtraque harum fit nulla quinq; modis. *Primo* quando fertur à non iudice: vel à iudice excommunicato nominatim, & publicato. *Secundo* quando fertur contra tenorem priuilegiorum. *Tertio* quando fertur post legitimam appellationem. *Quarto* quando continet expresse errorem, excommunicando illum qui non fecit delictum, loco alterius qui fecit. *Quinto* quando iudex excommunicat participantes cum excommunicato, non tamen eos nominat expressè.

9 Cum vero dicitur complices, fautores, & auxiliatores percutientium clericos, eandem incurrere excommunicationem quam incurrit & ipse delinquens, intelligendum est, cum assistunt & iuuant percutientem aut violentiam inferentem. Qui vero post delictum auxilio sunt percussori, vel fauorem aliquem præstant, vt eum à iudice liberent, illi non incidunt in excommunicationem, quia non dant operam delicto, sed delinquentē, vt à peccato resurgat, & reconcilietur offenso, iuuant pro posse suo ne poena puniatur temporali.

10 Qui delicto assistit, vel dat auxilium volenti aliquē verberare, vel occidere, talis licet non excusetur à poena temporali, ex quo sciebat delictum committendum; excusabitur tamen à poena excommunicationis, quia nesciebat illud delictum fore contra clericum qui verberatus aut occisus fuit. Quemadmodum & ille qui volens percutere laicum, percussit Clericum, ignoranter non erit excommunicatus.

11 Item si quis mandaret vt Clerico inferatur iniuria realis, vel verbalis, & mandatarius excedens mandatum faceret illi iniuram personalem, tunc mandans non erit pro delicto mandatoris excommunicatus. Sicut nec capiens eum non incurrit excommunicationem vt eum præsentaret suo Superiori quam primum poterit. Vel quando detinet eum, cum videt resolutum delictum velle committere vel seipsum occidere.

12 E contra, si Abbas imperet laico, vt monachum etiā

causa disciplinæ verberet, vterque incidit in excommunicationem. Nam si disciplinæ regularis gratia id faciendum sit, vel Abbas id per seipsum faciet, vel si necessitas vrgeat, per clericum, vel monachum id fieri iubebit.

13 Percutiens vero clericum, quem cum vxore, sponsa sua, matre, sorore, aut filia turpiter se gerentem innuerit, in Canonem latæ sententiæ non incurrit. Ignoscit enim lex iusto dolori, licet occidere eum non permittant Canones. Idem statuitur, & de eo qui Clericum percusserit, quem probabiliter ignorabat esse Clericum, quia incedebat in habitu non congruenti ipsi clerico, & non deferebat tonsuram clericalem. Item quando quis causa defensionis clericũ percutit inuasus ab eo, vel res suas rapi nõ permitteret ab eo quî defensio rei ęquiparatur vitę. Modo nõ sit res parua. Alias etiam occidens in his casibus (dico in ipso actu inuentionis) non solum erit tutus à pœna excommunicationis, sed nec puniri potest pro tali delicto, quia frustra implorat Ecclesiæ auxilium, qui in Ecclesiam ipsam committit. (Hinc est quod cognoscens monialem incedentem in habitu laicali, non punitur tanquam stuprans monialem.) Quod si percussio hæc fieret ex interuallo, post delictum commissum, percutiens incurreret excommunicationem.

14 Item si qui ratione officij, quod obtinent in Ecclesia, aut si Clerici seniores pueros, vel adolescentes in minoribus ordinibus constitutos diuinum turbantes officiũ: vel etiam si qui magisterij, vel prælationis obtentu subditos, & scholares correctionis causa percusserint, excommunicationis sententiam non incurrent. Quod & de his intelligendũ est, qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum graduum simili modo, vt ab excessibus prohibeantur, & scientia, bonisq; moribus informentur, corrigendos duxerint: & alijs casibus compluribus. Sic & iudex compescere potest omnes turbantes, & impedientes iurisdictionem suam. Quod si vero excederet modum correptionis grauiter, tunc iam esset excommunicatus In supe-

perioribus enim gradibus constitutus liberatur à patria potestate, & à percussionibus, vt deferatur sacro ordini.

15 Quod autem supra diximus, ab hac excommunicatione, ab alio, quam ab Apostolico, aut eius Legato absolui neminem posse, non est perpetuum. Nam si quis excommunicationis latæ sententiæ vinculis innodatus in mortis articulo constitutus reperiatur, aut capitales habeat inimicitias, aut nauigaturus est mare, aut confligere deberet cum hoste in acie, vel per loca insidiosa transiturus, vel obsessus ab hoste, vel crudelitatem tyranni potentis timeret, aut senex, & valetudinarius esset, membris destitutus, vel contractus, pauper & mendicus, aut alias iustas excusationes, ita vt sine periculo, Apostolico se nequeat conspectui præsentare, licebit Diœcesano Episcopo, & cuicunque sacerdoti (etiam non approbato, si alius inueniri non potest) absolutionis gratiam sibi impertiri. Periculo tamen & impedimento cessantibus, quamcitò commodè poterunt ad Sedem Apostolica se præsentabunt, mandatum illius super excessibus, pro quibus excommunicati fuerunt humiliter recepturi, & satisfacturi. Mulier tamen non est obligata pro petenda absolutione accedere ad Sedem Apostolicam.

16 Si vero non enormis, sed modica, & leuis iniuria fuerit clericis irrogata, inferens per Episcopum absolui poterit. Item ætatis intuitu iuris rigor mansuetudine temperatur. Vnde si in pueritia constitutus in Canonem inciderit sententiæ promulgatæ, siue ante, siue post pubertatem sese absolui postulet, diœcesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri poterit.

17 Monachi quoque, & alij regulares quomodocunque dum tamen non in Episcopum aut Abbatem aut Clericum sæcularem manus violentas inijciant, in claustro sese inuicem percusserint, non ad Apostolicam Sedem remittendi, sed secundum prudentiam proprij Abbatis coercendi erunt. Quod si Abbas non sufficit, Episcopus adhibendus erit. Si vero monachum alterius monasterij percusserint, tunc

vtriusque monasterij Abbas cōcurrere debet in absoluēdo.

18 Simile statuitur de monialibus: nam si vel in se inuicem, vel in conuersas suas, aut etiam in clericos violentas manus iniecerit, ne contra muliebris sexus verecundiam regularisq; obseruantiæ decorem peregrinari compellantur, per Episcopum in cuius dioecesi monasteria fuerint, absolutionem consequentur (non Abbatissa, quia sexui fœminino claues Ecclesiæ non sunt commissæ) qui ex causa certis casibus absolutionem potest alteri delegare.

19 *Iudicialis vero excommunicatio est*, quæ iudicis sententia infertur; siue ille ordinarius sit, siue delegatus. Sed excommunicationis sententiam præcedere debet trina monitio intra 15. dies, & debet ferri in scriptis, ita vt causam expresse ob quam profertur contineat, & copia debet dari petenti; Contra vero faciens per mensem suspensus existit. Qui vero cum excommunicato denunciato, vel manifesto percussore clerici communicauerint, ipso iure excommunicationem incurrunt, vt hi versus habent.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur,
Si quis pro delicto Anathema efficiatur.

Hoc est, prohibetur osculum pacis & amplexus, locutio per se, & per nuntium, & per epistolas, (nisi in ijs quæ ad salutem excommunicati pertinent) orare cum illo in templo aut missam simul audire, salutare ipsum, inuicem comedere. Debentq; iudices Ecclesiastici monere iudices sæculares, vt excommunicatos ab agendo, patrocinando, & testificando in suis curijs, & iudicijs repellant; donec constet de absolutione.

20 Cum autem non communicamus viuo, nec mortuo communicabimus: nisi dum viueret ostenderit signa poenitentiæ: tunc & absolui mortuus potest, & sepultura Catholica cohonestari; hæredesq; eius, vt pro ipso satisfaciant, si sponte nolint, Ecclesiastica censura compelli poterunt.

21 Sed etsi, qui pro sacrilega manuum iniectione in edictum excommunicationis incidit, denunciatus quidem

non

non sit, sed de patrato scelere publica laboret infamia, nemo sibi pari ratione cõmunicare debet nisi, vel ad arbitriũ Episcopi de hoc se purgauerit, vel ad cautelam absolutionis beneficium consequatur: Nisi forte soli sibi de facinore constet: hoc casu quamdiu toleratus ab Ecclesia, priuatim tantummodo à te vitandus erit, vt saltem verecundiæ rubore suffusus pro latenti excessu satisfacere compellatur.

22 Criminosa igitur participatio cum excommunicatis (dando videlicet auxilium, consilium, vel fauorem) implicat participantem eadem excommunicatione. Participatio vero non criminosa (puta in mensa, in sermone &c.) alligat participantem minori excommunicatione, à qua per ordinarium absolui potest. Si vero in ista excommunicatione minori indurescat, post iudicis monitionem, in maiorem excommunicationem incurret, sicut & ille qui in contemptum Ecclesiasticæ disciplinę commercium habet cum excommunicatis. Quod & in suspensionis, & interdicti sententijs obseruandum erit.

23 Interdum tamen excommunicato communicans, neutris excommunicationis vinculo obstringitur, vt accidit in eo, qui omni illo conuersatus fuerit, quem excommunicatum propabiliter ignorabat. Vnde vt excusationis causa omnibus auferatur, prouidere debent Episcopi, vt excommunicatorum omnium nomina, tam suis parochianis, quam vicinis Episcopis pariter indicent, eaq; in celebri loco posita, pro foribus Ecclesiæ cunctis conuenientibus inculcent, vt huiusmodi adhibita diligentia excommunicatis Ecclesiasticus aditus adimatur.

24 Omnes autem qui ante prolationem sententiæ tenebantur excommunicato communicare, tenentur etiam post prolatam excommunicationem participare, nullum incurrentes excommunicationis periculum, vt sunt, vxores, filij, serui, ancillæ, rustici, & quicunque ei deseruiunt. Item procuratores, œconomi, factores, peregrini, & viatores qui non habent vnde emant aut vbi hospitentur, transeundo, nisi in domo excommunicati. Dum tamen in his

cri-

criminibus,(in talibus enim nulla consentiendum aut obediendum est) pro quibus illi excommunicatione sunt notali, non communicent.

25 Prædicatores quoque, præsertim qui alias sustineri non possunt, ab excommunicatis, & alienorum bonorum detentoribus, eleemosynam, non tamen oblationes, quia eleemosyna recipitur in secreto, oblatio in publico: vnde ne Ecclesia fauere videatur excommunicatis, & detentoribus rerum alienarum, non debet ab eis oblationes recipere licitæ percipere possunt. Idem iuris est de ijs, qui adeo sunt rudes, & rustici vt eorum consilio verisimiliter scelera perpretrari non possunt: aut qui cum ijs communicāt qui participationem habent cum excommunicatis.

26 Coactus quoque communicans excommunicatis, labe excommunicationis non inquinatur. Sed communicans metu, excommunicationis pœnam non euadet, cum nullius metus obtentu mortale peccatum quis incurrere debeat.

27 Hoc neminem lateat, non debere in Collegium, vel Vniuersitatem proferri excommunicationis sententiam vt animarum periculum euitetur, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret innoxios huiusmodi sententiam irretiri; debebit igitur in illos tantum ex collegio, vel vniuersitate, quos in culpa esse constiterit, promulgari. Addiditq; Synodus Trid. vt excommunicatus quicunque, si post legitimas monitiones non resipuerit, non solum ad Sacramēta, & communionem fidelium, ac familiaritatem non recipiatur: sed si obdurato animo censuris annexus in illis per annum insorduerit, contra eum etiam tanquam de hæresi suspectum procedi possit.

28 Sententia vero excommunicationis ab homine prolata, ab eodem etiam auferri potest, à quo fuerit prolata. Et in minoris quidem excommunicationis vinculo dissoluendo alia solennitas non exigitur, quam vt Sacerdos detectam sibi ab excommunicato, causam excommunicationis in Sacramento Pœnitentiæ cognoscat, & eum absol-

uat,

uat, restituendo cum Ecclesiasticis Sacramentis, quibus fuerat priuatus.

29 In maioris autem Excommunicationis relaxatione maior etiam solennitas adhibenda est, siue à lege, siue ab homine inflicta sit. Nam primum non ante absoluendus est, cum offensa est manifesta, quam cum iuramento promiserit, se Ecclesiasticis mādatis, vt supra diximus, pariturum, & de omnì damno illato, omniq; offensa plenè satisfecerit, vel saltem cautionem cum iuramento præstiterit (vbi tunc de damni summa non constaret, vel vbi soluendo non esset) se satisfacturum. Quibus peractis ille, qui absoluendi ius habet, vel cui mandatum sit à potestatem habente, huiusce negotij causa aditus excommunicatum coram se supplicitet prostratum seruata forma absoluet.

30 Conceditur tamen & quandoque absolutio ad cautelā, vt cum quis sententiam excommunicationis in se latā asserit esse nullam. Vel iudicem esse incompetentem, vel excommunicatum, vel intrusum, aut à iurisdictione suspensum, alijsque modis: quę relaxatio quidem ad cautelam cōcedenda est, quamuis ei excommunicator, vel aduersarius seopponat. Nisi eum pro manifesta dicat offensa excommunicatum: quo casu terminus octo dierum indulgebitur sic dicenti, vt si probauerit, quod opponit, nō relaxetur sententia, nisi prius sufficiens fiat emendatio, vel competens cautio de parendo iuri, si dubia offensa sic proponatur. Cum vero ad probandum admittitur, qui absolutionem ad cautelam impetrauit, pendente probationis articulo in cæteris, quæ vt actor in iudicijs intentauerit, interim euitādus est, sed extra iudicium tamen in officijs, postulationibus, & electionibus, ac alijs legitimis actibus est admittendus.

31 Qui vero in causis exceptionem excommunicationis opponit, speciem illius, & nomen excommunicatoris exprimere tenetur, quam intra octo dierum spatium (die in quo proponitur minime computato) probare appertissimis documentis debet. Quod si non probauerit, iudex in causa procedere non omittat, reum in expensis, quas actor ob

hoc diebus illis se fecisse docuerit, præhabita taxatione damnans.

32 Si verò postmodum instantia durante iudicij, & probationis copia succedente, de eadem excommunicatione, vel alia iterum excipiatur, & probetur, actor in sequentibus excludatur, donec meritus fuerit absolutionis gratiam obtinere; his, quæ præcesserunt, nihilominus in suo robore duraturis.

33 Vt tamen vltra duas vices hæc exceptio non opponatur, prætetquam si excommunicatio noua emerserit, vel euidens, & prompta probatio superuenerit de antiqua. Sed si post rem iudicatam talis exceptio proponatur, executionem impediet; sententia tamen quæ præcessit, non minus robur debitum obtinebit: eo tamen saluo, quod si actor publicè excommunicatus sit, hocq; iudex nouerit, quandocumque, & si de hoc reus non excipiat, iudex repellere actorem ex suo officio debebit.

34 Absolutio surreptitia non tenet: Quinimmo si ordinarius sciat per surreptionem impetratam ab Apostolica Sede absolutionem, debet remittere perperam absolutum ad Sedem Apostolicam, Ecclesiastica censura eum compellens. Si vero hoc sibi non constet, sed suspicetur, debet absolutum cogere ad purgationem præstandam.

35 Illud etiam admonendi sumus, quod licet vi, vel metu facta regulariter mero iure teneant, si quis tamen excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententia, absolutionis, aut reuocationis cuiuscunque beneficium, per vim, vel metum cadentem in virum constantem, puta mortis, vel cruciatus, extorserit, viribus omnino cariturũ. Quin potius, ne sine vin dicta violentiæ crescat audacia, qui absolutionem, vel reuocationem vi, vel metu extorserit, quasi propria consossus sagitta iteratæ excommunicationis sententiæ subiacebit, vt per Concil. Trid. statutum est. Idq; non solum quando extorquet absolutiouem à censura contra se lata, sed etiam quando lata esset contra alium: Siue extorqueat per se, siue per alium. Quod si verò per vanum metũ

fuit

fuit absolutor compulsus, non habebit locum hæc pœna. Et hæc de excommunicationis sententia delibasse sufficiat; nunc de Suspensione secunda specie Censuræ Ecclesiasticæ paucis dispiciamus.

TITVLVS III.

De Suspensione.

1 SVspensio est Censura Ecclesiastica, qua Clericus tàm sęcularis, quam regularis, ob aliquam culpã à iure, vel à iudice, à beneficiorum, officiorum, vel Ecclesiasticæ iurisdictionis executione, in totum, vel iu partem, perpetuò vel ad tempus prohibetur.

2 Triplex autem est Suspensio, ab officio, à beneficio, & ab vtroq; simul. Sed qualiscunque sit, semper in scriptis ferri debet, & cum causa in eis expressa, & monitione pręmissa. Nullam autem earum suspendit appellatio subsequuta, sed quamlibet annullat præcedens.

3 Item alia Suspensio est Canonis, alia Iudicis, sicuti Excommunicatio, & Interdictum. *Canonis est*, cum quis ob Simoniam, vel ob notoriam fornicationem, vel aliud crimen ipso iure à sui executione ordinis, vel officij arcetur puta, ab oblatione altaris, à consecratione Episcoporum, aut presbyterorum, ab administratione Sacramentorum, &c. *Iudicis Suspensio est*, vt cum sententia quis per iudicem lata ab eadem executione ex causa remouetur.

4 At si crimen per sententiam, vel per confessionem factam in iure, aut per rei ipsius euidentiam notorium non sit: etsi quilibet pro mortali peccato quoad ipsum sit suspēsus, quo ad alios tamen pro suspenso non habetur, ideoq; in officijs Ecclesiasticis vitandus non erit.

5 Est autem suspensio (velut Ecclesiastica Censura considerata) respectu quodam, aliquanto quam excommunicatio, vel interdictum strictior: quippe quod, & excommunicatio, & interdictum, non solum Clericos, verum etiam laicos innectere possunt: At suspensio, cum nihil

aliud sit, quam inhabilitas quædam ad exequendos ordines, & officia Ecclesiastica, nullos præterquam ipsos Clericos attingere potest. Nec enim ulli eius ordinis, vel officij, cuius est penitus expers, administratio vetari, & interdici potest.

6 Cauebunt igitur Clerici, iudices, & Ecclesiarum Prælati, ne pœnam hanc suspensionis incurrant, scituri, quod si ea durante sese diuinis ingesserint, secundum canonicarum sanctionum tenorem, & districtionem, irregularitatis laqueo sese inuolent, à quo interim non nisi per Summum Pont. liberari poterunt.

7 Suspensio vero quæ infligitur à Confessario in foro pœnitentiali, cum non sit verè cēsura Ecclesiastica, quamuis seruari debeat, contraueniendo tamen non inducit irregularitatem.

8 Item si quis violet suspensionem fluentem ex defectu corporis, vel animæ, quæ potius, & verius est irregularitas quam suspensio, non incurrit nouam irregularitatem. Est autem irregularitas nota seu canonicum impedimentum, ex facto seu defectu prouenicns, quo quis tam ad Ecclesiasticos ordines promoueri, quam promotus in ijsdem ministrare prohibetur. Quod qualiter accidat, supra libro secundo titulo sexto satis prolixe diximus.

9 Suspensus ab ordine nō dicitur suspensus ab actu iurisdictionis, quæ fundatur in ordine, qui specie differt à iurisdictione. Vnde sacerdos suspensus ab ordine potest absoluere ab excommunicatione, sed nō solemnibus precibus adhibitis; nec à peccato, cū hoc sit de ordinis illius iurisdictione. Et suspēsus ab ordine pōtificali, intelligitur suspēsus quo ad proprios ordines pōtificales, nō autē iurisdictionis, vnde poterit iudicare, instituere, corrigere, & excōmunicare.

10 Suspensio à voce actiua, & passiua & à Pontificalibus, potest suspendi per subsequentem appellationem legitimam; hæc enim valde differunt à suspensione ab officio diuino, & ingressu Ecclesiæ, quæ non suspenduntur per subsequentē appellationē. Ideoq; cum in iure non sit mētio

de

de ipsis, non est de illis intelligendum, neque de suspensione à beneficio, vel ab eius administratione.

11 Suspenso à beneficio, inualide fieret collatio alterius beneficij. Taliter autem suspensus non fit irregularis si diuina faciat, sed tamen prohibetur percipere fructus beneficij. Quod tamen locum non habet quoad fructus patrimonij, ad cuius titulum fuit ordinatus.

12 Suspensus ad tempus, sed non expresso temporis spacio, intelligitur suspensus in decennium, à simili de damnato ad tempus in metallum, qui decennium eam poenam patitur. Verum quo persona est dignior, eo in dubio dicitur de iure magis priuilegiata, & propterea optima ratione Innocentiana Constitutione cautum est, ne Episcopi eorumq; superiores, vllius constitutionis sententiæ, siue mandati occasione, interdicti, vel suspensionis sententiam (nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur) ipso iure incurrant: esset enim hoc nimis periculosum, ob Pontificalis officij, quod frequenter exercere compelluntur, executionem.

TITVLVS IV.

De Ecclesiastico interdicto.

1 INterdictum est, sententia à Iudice Ecclesiastico lata, quæ diuina officia prohibet palam celebrari, & Sacramenta Ecclesiastica ministrari.

2 Interdici autem solent, vel homines, vel loca, vel vtrumque. Et homines quidem Interdicto supponi possunt, vel generaliter, vel specialiter, vel singulariter.

3 Generale Interdictum hominum dicitur, cum alicuius Regni, vel Ciuitatis, vel Castri populus distringitur; quo casu locus ipse interdicto non continetur, nec clerus. Quare poterit tunc in Ecclesiijs nõ secus, ac prius celebrari, peregrinis admissis, interdictis vero hominibus exclusis.

4 Speciale autem contra homines dicitur Interdictum, cum

cum aliqua multitudo ſub certo vocabulo comprehẽſa, ſed in populo tamen incluſa, interdicitur, veluti Collegium, Capitulum, Vniuerſitas, Confraternitas: quo interdicto ſinguli eius congregationis homines dicuntur adſtricti, tam Clerici, quam Laici.

5 Singulariter vero dicuntur interdicti, qui non ſub nomine collectiuo multitudinis, ſed nominatim ſunt expreſſi, vt quicunque aliquid commiſerit, interdictus ſit.

6 Hoc autem interdicti genus in homines contortum quocunque ex tribus ſupradictis modis, homnem quocumque ſe transferat vſque comitatur, nunquam eum deſerens, vt vbicumque locorum ſit, ab illis actibus arceatur, qui ex interdicti cauſa ſunt prohibiti.

7 Similiter loca tribus modis interdici poſſunt: Generaliter ſpecialiler, & ſingulariter. *Generale loci interdictum eſt*, cum Prouincia, Regnum, vel Diœceſis interdicuntur. *Speciale*, cum Ciuitas, rus, caſtrum. *Singulare*, cum Eccleſia, Sacellum aut Oratorium aliquod. Quibus locorum interdictis nunquam homines continentur, ſed poſſunt extra hæc loca interdicta diuinorum celebrationi intereſſe, Eccleſiaſtica Sacramenta accipere, & ſepulturæ Eccleſiaſticæ concedi. Niſi ex his ſint, quorum odio ea loca interdicta fuerint: quo fit, vt cum propter delictum Domini, vel Rectoris ciuitas eſt interdicta, aut alius locus, ciues tamen, & indigenæ ciuitatis illius, qui in vitio non ſunt (dummodo & ipſi in vltionem Domini aut Rectoris non fuerint interdicti) poſſunt extra locum interdictum diuinis intereſſe.

8 Eſt autem interdictum duplex: aliud iuris, & aliud iudicis. Iuris ipſius diſpoſitione interdictum inducitur, cum in Eccleſia ſanguinis humani effuſione polluta, aut ſimoniace conſecrata celebrare iure vetatur. Iudicis vero ſententia interdictum inducitur, cum competens iudex ex aliqua cauſa terram, vel homnes à diuinis arcendos pronunciat, generaliter, vel ſpecialiter, vti ſupra iam diximus.

9 Sciendum vero, quod loco principali interdicto, cenſetur interdictus eſſe acceſſorius vicinus, & contiguus, vt ſub-

ſuburbia ciuitati adiacentia, & prædia circumuicina, Eccleſiæq; extra vrbem ædificatæ. Alioquin, ſi in illis locis poſſet licite celebrari, Eccleſiaſtica cenſura facile contemni poſſet. Eadem ratione, ſi Eccleſia interdicto ſit ſuppoſita, nec in capella ei adnexa celebrari, nec in cæmiterio eiuſdem Eccleſiæ ſepeliri poterit. Similiter interdicta vniuerſitate, ſinguli de vniuerſitate cenſentur interdicti eſſe, ne interdictum reddatur eluſorium.

10 Si tamen ſententia Interdicti proferatur in populum, Clerus interdictus non intelligitur, nec è conuerſo: vnde interdicto alterutro, ad diuina licite alter admittitur.

11 Excepti vero caſus ſunt, ſi qui ad Baptiſmi, Chriſmatis & Pœnitentiæ, Sacramenta, vel ad verbum diuinum audiendum admitti velint, tam ſi infirmi ſint, quam ſi ſint in bona valetudine conſtituti. (Quod tamen in his, qui interdicto cauſam dederunt, non obtinet indiſtincte; niſi prius dederint idoneam cautionem de ſatisfaciendo) Sed & alia quædam interdicti tempore Canones permittunt, vt celebrare ianuis Eccleſiæ clauſis, & excommunicatis interdictiſq; excluſis, ſine campanarum tinnitu.

12 Quatuor autem ſolennibus anni diebus ianuas quoque pateſieri Eccleſiæ, campanas pulſari, & clara voce officia celebrari, concedit Bonifacius VIII. qui dies ſunt, Natalis Dominici, Paſchæ, Penteceſtes, & Aſſumptionis Virginis ſacræ. Addito etiam per Martin. V. & Eugenium IV. Solenni Corporis Chriſti die vſque ad eius octauam.

13 Quæ quidem ſupra dicta, de Interdicto generali, vel ſpeciali, intelligenda ſunt, non de ſingulari. Nã ſi ſingularis aliqua Eccleſia interdicta eſſet, in ea, nec prædictis diebus ſolennibus ea licerent, nec alijs diebus etiam ſubmiſſa voce celebratio officiorum permitteretur.

14 Et licet regio ſit Interdicto ſuppoſita, poteſt tamen Chriſma die Cœnæ Domini confici. Et matrimonij celebratio non cenſetur eſſe adempta. Sed vnctio extrema, ſepultura Eccleſiaſtica, & diuinorum celebratio ſunt prohibita, niſi conceſſa quibuſdam ſint ex priuilegio.

15 Quod si quis à Summo Pont. hoc priuilegij, tam Clericus, quam Laicus, cuiuscumq; ille dignitatis, gradus, conditionis, aut status sit, retulerit, ne interdici à quocunque, vel excommunicari possit; nec terræ, vel Ecclesiæ ipsius Ecclesiastico interdicto supponi sub quacunque forma verborum concessa; is tamen effugere non poterit, quin Ordinariorum sententijs huiusmodi interdicti, vel excommunicationis distringatur: nisi is, qui tali priuilegio gaudet, Rex sit, vel Regina, vel Regum filius, vel Religiosus ex illo ordine, vel loco, cui hæc immunitas largita sit.

16 Episcopi autem, & alij superiores Prælati, vllius constitutionis sententiæ, vel mandati occasione, nullatenus ipso iure sententiam interdicti incurrunt: nisi de Episcopis expressa mentio habeatur.

17 Interdicti vero sententiam omnes illi ferre possunt, qui & excommunicationis ferendæ potestatem habent, ratione ordinariæ, vel delegatæ iurisdictionis. Ne autem temere hanc interdicti pœnam irrogari contingat, statuit Bonifac. VIII. ne quis interdicti sententiam proferat, qui canonicam monitionem non præmiserit. Et vt sententiam proferat in scriptis, causa interdicti addita, eiusq; exemplum passis sententiam, si fuerit petitum, edatur.

18 Religiosi tam exempti, quàm non exempti, cuiuscunque Ordinis, vel conditionis sint, interdicta Sedis Apostolicæ authoritate, vel à locorum Ordinarijs, vel Conciliorum Prouincialium statutis inflicta obseruare inuiolabiliter tenentur (cum illa tamen moderatione, quam supra ex Bonif. VIII. constitutione retulimus) cum Cathedralem, vel Matricem, seu Parochialem loci Ecclesiam illa viderint vel sciuerint obseruare (non obstantibus, quibuscumq; appellationibus antea ad Sedem Apostolicam, vel alios interpositis, nec obiectibus quibuscumque) quæ non obseruantes excommunicationis sententiam eo ipso incurrunt.

19 Ac Domini temporales excommunicationis sententia, à qua per Sedem Apostolicam tantum absolui possunt innodantur, si in locis interdicto suppositis quemquam

di-

diuina officia celebrare quomodolibet cogere ausi fuerint; aut si modo prædicto ad officia audienda aliquos excommunicationis præsertim, vel interdicti sententiam ligatos euocare, seu ne interdicti Ecclesias, dum in ipsis Missarum aguntur solemnia, à celebrantibus moniti exeant, prohibere non formidarint. Nec non & hi, qui cum interdicti sint, in Ecclesijs tamen contra expressam celebrantium monitionem, remanere non exhorruerint, quæ quidem à Clemente V. statuta fuerunt.

20 Sed & ante eum Greg. IX. iusserat, vt quisquis interdictum violasset, ab officio, & beneficio, omniq. iurisdictione suspenderetur. Et Innocent. III. sanxerat, vt Clerici, qui post latam interdicti sententiam in locis interdicto suppositis diuina officia celebrare ausi fuissent, Ecclesiasticis beneficijs spoliarentur. Monachi vero, vel Moniales, in arcta Monasteria ad pœnitentiam agendam detruderentur.

21 Interdictũ soluitur lapso temporis spatio, ad quod vsque indictum fuerat; puta, si vsque ad annum positum fuerat, lapso anno interdictum erit finitum. Sic, si interdictum aliquam conditionem ferebat puta, donec quis satisfecerit, vel quamdiu quis aliquid egerit, Interdicti vis ipso facto, cum fuerit satisfactum, desinet: vel cum id agere desierit, nec vlla absolutio desiderabitur. Quamuis excommunicatio ad tempus lata, post id temporis etiam absolutionem desideret: absolutioni enim faciendæ ab excommunicatione, certa forma præscripta est.

22 Sed si interdicti sententia simpliciter lata sit, absolutionem expectabit: & si quidem à Iudice lata sit, ab eodem iudice, qui eam tulerit, auferetur: vel ab eius superiore. Sin à iure interdictum sit impositum, Ordinarius, vel Legatus Sedis Apostolicæ ipsius tollendi ius habebunt, nisi Canonis conditor ipsius auferendi potestatem sibi reseruauerit.

TITVLVS VLTIMVS.

De Cessatione Diuinorum.

1 INterdicto Ecclesiastico quamsimillima est cessatio, quam Clerici faciunt, dum diuina officia Laicorum irritati iniurijs intermittunt. Nam & ipsa quandoque generalis est, plerumque specialis: sed cum specialiter tantum fit, videlicet in aliqua Ecclesia solũ, non modicum ab interdicto discrepat. Nam, nec irregularis efficitur, qui in ea celebrat, nec Religiosus eam non seruans excommunicatur, quamuis ea Ecclesia matrix sit.

2 Oportet autem eos, qui hoc modo cessant, hoc ius cessandi habere saltem ex consuetudine: & interdicti exemplo non pro quauis offensa leui, sed pro grauioribus tãtum fieri debet: puta, si onera Clericis per Laicos imponantur. Si contra eorum libertatem statuta à laicis facta sint. Si à Principe seculari Clericus detineatur captiuus. Si Episcopus Ecclesiæ onerosus sit, vel alius Clericus ei sit iniurius. Hæc quippe, & similia possunt iustam causam cessationi prębere. Pensionis autem subtractæ causa nequaquam cessatio fieri potest.

3 Et quid in cessatione facienda seruari debeat, Romana manifestè præscripsit Sedes. Bonifacius VIII. statuit, vt quibus à diuinis cessandi ex iure, vel consuetudine facultas competit, seculare, vel regulare Capitulum, Collegium seu Conuentus Ecclesię cuiuscumque id ne faciant nisi omnibus vocatis, perinde ac si electio quæpiam esset celebranda, & deliberatione inter se facta, ab eo percũctentur, qui cessationi causam præbet, an velit irrogatam offensam sarcire. Qui si velle se sarcire responderit, non cessabunt: si contra, cessare poterunt; ita quod intra mensem à cessatione vtraq; pars, vel per se, vel per procuratores ad Summum Pont. iter arripiant: nisi concordia interim inter eos contracta sit, & quam celerrime poterunt, se coram Pontifice Maximo sistent, vt ille negocium finiat, meritosque con-

condigne puniat. Quæ si pars cessare volens non seruarit, cessatio parui erit æstimanda.

4 Gregorius vero Nonus hanc formã dedit, vt qui cessare volunt, propositi huius causam instrumento publico, vel literis patentibus exarent, suo aut alieno authentico sigillo obsignatis, illiq; edant, cuius odio cessare decreuerint. Quam si formam prætermiserint. Vel causam non legitimam prætulerint, quicquid medio tempore ab ea Ecclesia tulerint, vel perceperint, restituere cogentur; nec aliquid deinceps percipient: Eiq; in cuius cessauerint contumeliam, de iniuria satisfacient.

5 At si non iniuste eos cessare constiterit, quicquid sua interfuerit, ab his repetent, quorum irritati iniurijs cessauerint, & certam præterea quantitatem, quam Prælatus fuerit arbitratus. Reiecit autem, & damnauit consuetudinem eorum, qui in huiusmodi cessationibus, Crucem, aut Virginis Sanctæ, aliorumue Sanctorum imagines spinis, vel vrticis obruere consueuerunt.

6 Innocentius vero Tertius ante hos statuerat, vt si Canonici absque manifesta, & rationabili causa, maxime in contemptum Episcopi, cessauerint à diuinis, Episcopus si voluerit, nihilominus celebret in Ecclesia Cathedrali, & Metropolitanus ad querelam ipsius tanquam super hoc à Sede Apostolica delegatus sic eos per censuram Ecclesiasticam cognita veritate castiget, vt pœnæ metu talia de cętero non præsumant.

7 Si qui autem Religiosi tam exempti, quam non exẽpti, cuiuscunque ordinis, societatis, & conditionis existant, cessationes generalis à diuinis Ciuitatum, Terrarum, & aliorum locorum, quas ex consuetudine, vel alias Capitula Collegia, vel Conuentus secularium aut Regularium Ecclesiarum sibi vendicant, non obseruarint, cum Cathedralem, vel Matricem, seu Parochialem loci Ecclesiam illam viderint, vel sciuerint obseruare, excommunicationis sententiæ ipso iure subiacebunt: non obstantibus quibuscumque appellationibus antea etiam ad Sedem Apostolicam,

vel alios interiectis, & obiectionibus quibuscumque.

Et hæc Deo Opt. Max. annuente, publicæ vtilitatis studentes, in vsum simplicium Sacerdotum, & Tyronum Iuris Pontificij absque Doctorum, & Decretorum allegationibus, ex immensis Canonum, & Interpretum spatijs collegimus, omnia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Iurisperitorum censuræ subijcientes.

FINIS.



Book 2 K.

